37
5 D
5

MAG 1035

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMINA
EX ANTIQVIS LAPIDIBVS.

Digitized by Google

CARMINA
EX
ANTIQVIS LAPIDIBVS
DISSERTATIONIBVS AC NOTIS
ILLVSTRATA

A P. FRANCISCO MARIA BONADA
CL. REG. SCHOLARVM PIARVM
Eloquentiae Profeſſore in Collegio Vrbano de Propaganda Fide.

VOLVMEN I.

ROMAE, MDCCLI.

Apud Joſephum Collini, & Benedictum Franceſi.
SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

PRINCIPI EMINENTISSIMO

JOANNI ANTONIO

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

GVADAGNI

S. D. N. IN VRBE VICARIO.

FRANCISCVS MARIA BONADA DE CL. REG. SCHOLARVM PIARVM

S. P. D.

TEMPORA morari tua, CARDINALIS AMPLISSIME, ſi alias iniquum eſt, nunc quodammodo ſit aequiſſimum. Neque enim, qui viro principi multa debeat,

beat, in eum gratus quoquo modo ſi aut videri, aut eſſe velit, res per ſe ipſa non maxime aequa eſt. Hinc benignitatem dum ego tuam, qualecunque ut grati animi monumentum facile excipiat, rogo, vix fas eſſe arbitror, ne tenuitati ſuccenſeat muneris, ſubvereri. Singularis illa humanitas, ad quam Scholarum Piarum Ordini univerſo, cujus jam tot annos patrocinium & amanter, & conſtanter ſuſtines, felices ubique aditus perpetuo patent, bono me eſſe animo, quin etiam ſperare jubet, ut id operis, ſeu potius obſequii ſpecimen, humaniſſime complectaris. Nec domeſtica mihi argumenta deſunt, quod ſperem facile id impetrare. Illius enim, qui in noſtro Ordine doctrinae probitatiſque laudibus egregie claruit, & quem Florentia, Civitas una omnium maxime perſpicax, inter viros numerat integritate illuſtres, quem tu denique, & tanquam gentilem tuum tibi jucundiſſimum in primis diligis, & tanquam hominem inter optimos admirandum eximie laudas, illius, inquam, P. Milioris Guadagni me tacite virtus admonet, eorum mihi obvia nunc fore nulla, quae ad tui ſimiles accedentibus timorem facere conſueverunt. Itaque carmina haec epigraphica patrocinium fidenter ac tutelam implorant tuam. Quam ſi ſuſcipere auctoritate, qua vales plurimum, non graveris, muſarum, quae ad te confugiunt, vetera monumenta tui ſplendore nominis illuſtrata in lu-

Digitized by Google

lucem prodire geſtient, & exultare quodammodo videbuntur. Poſtquam enim vel temporum labefactata motu, vel immanium proſtrata impetu barbarorum diu ſqualore ſituque obſita delituerant, quamvis jam pridem doctorum hominum diligentia ex abditis ſedibus evaſiſſent adſpexiſſentque ſolem: nunc tamen primum ex diverſis voluminibus, ubi diſperſa atque errantia legebantur, in unum collecta juris eſſe publici non timebunt, ſi Graecae, ac Latinae antiquitatis commendationi, quae maxima ubique eſt, accedere quoque ſentient immortale tui nominis ornamentum. An quiſpiam amplitudine id tua minus dignum exiſtimabit? At optimo ille ingenio, ſummaque doctrina vir, Gaſpar Contarenus Cardinalis ampliſſimus, pro ſingulari ſtudio, quo ferebatur in Graecam eruditionem, omnemque Graeciam, dixiſſe fertur, oportere nos, ſi grati eſſe velimus, illius telluris non homines, non litteras modo amore proſequi, ex quibus ingenua ſtudia profecta ſunt, ſed ſtirpes etiam, ac lapides amplexari. Magnifica vero vox, & Principe ſane digna, qui cum virtute fortunam, & cum utraque ſapientiam adaequavit. Quum autem plurima eſſe intelligam nobilitatis & animi ornamenta, quorum tibi ſocietas cum Gaſpare Contareno eſt plane maxima, nullus mihi dubitandi locus relinquitur, quin, ut laudi tutelam ſibi ille duxit Graecorum aeque lapidum

ac

ac virorum, ita tu patrocinio excipias anthologiam hanc Graecam pariter, ac Latinam. Cujus quidem rei ſpes mihi affulget, quod praeterita dum recordor, minus alte de te ſentirem, ſi poſſem reliqua non ſperare. Succurrit enim, vix Clemens XII. avunculus tuus Pontifex in omnes Optimus, in nos vero beneficentiſſimus etiam Parens, te Cardinalem, & mox Vicarium renunciavit, quam humaniter Academiam exceperis a me tibi inſcriptam de laudibus S. Andreae Corſini, quî cum te novimus virtutis eſſe & affinitatis vinculo conjunctiſſimum. Verum ſi loci ratio habeatur, unde hoc pignus prodit obſequii mei, nihil jam eſſe debet, quod me in hac re dubium facere poſſit, quum id operis in collegio Nazareno elaboratum ſit, cujus quidem nomine noſtrum animi menteſque omnium tibi ſe devinctiſſimas profitentur. Omnes te Romae Ordines tam ſupra ſe, quam pro ſe eſſe ſentiunt, vigilantem, juſtum, ſeverum, gravem, providum, moderatum; pauperes vero largum, beneficum, miſericordem: at nos, promerita dum perpendimus in hoc collegium tua, fas eſſe ducimus, ſecundas deferre nemini, ne primas quidem. Neque id profecto ſine certa ratione & graviſſima & maxima. Nam hujus collegii commune quaſi cum ipſo Ordine exordium fuit: hujus B. Joſeph Calaſanctius & parens extitit & moderator: huic demum idem omnino, quod

uni-

univerſo Ordini, conceſſum voluit, ut manu ipſe ſua exararet utrique leges. Ergo nobile hoc Lyceum, ſicut paternis legibus & ſtat & lucet quotidie magis, ita vix dici poteſt, quam nos anxios, quam ſolicitos habeat, tanquam paterna hereditas pretioſa ſatis. Iccirco jam quiſque intelligit, quantas nos tibi gratias deceat & agere & habere. Nam Patris haec ampla hereditas cum ſemper antea jucundiſſimos dedit fructus, tum te auſpice, te patrono ſic certe floret, ut nunquam alias. Quid? quod nobis, & optimo id quidem jure, fatendum eſt, dum collegio Nazareno tam officioſe conſulis, admirabiliter etiam ceteris te prodeſſe? etenim & quae in Italia jam pridem erant, & quae alibi nuper extructa ſunt, hinc leges, ſeu mavis animam atque ſpiritum acceptum praedicant, ut hoc ſtare, hoc florere non poſſe videatur, quin, eodem praeſertim patrocinio tuo, ſtent quoque cetera & floreſcant. Itaque collegium Nazarenum cum Cardinalis Tonti, quem auctorem & appellamus & veneramur, tum tui ipſius, quem patronum omnium beneficentiſſimum experimur, monumentum habeatur neceſſe eſt ad perpetuam & jucundiſſimam utriuſque recordationem. Quare quum opuſculum quodcunque hoc meum, utpote proditum quaſi in ſolo tuo, jure ad te pertineat, ſine, obſecro, quod tuum eſt, videre lucem auſpicio tuo, ampliſſimo-

que tuo nomini conſecratum. Hoc ſi concedere non recuſes, id ſane efficies, ut quoniam, quod cupimus & debemus, non licet, illud ſaltem, quod poſſumus, non omittamus.

AD

AD LECTOREM.

NE tibi in mentem veniat, Lector optime, in me quadrare facetum illud in Chios M. Ciceronis dictum, qui muros verſicolore e marmore, ut magnificum aliquid, oſtentantibus, multo, inquit, magis mirarer, ſi Tiburtino lapide feciſſetis. Fateor equidem, non diſſimilem, quamvis ad Graecae exemplum elaboratam, anthologiam hanc eſſe meam. Quemadmodum illi rem venditabant ſua in inſula minime inventu arduam, minimeque novam, ita ego videor oſtentare veteres hoſce lapides jam paſſim editos in voluminibus bene multis, adeoque nulla vel raritate nobiles, vel novitate inſignes. Sed mihi cum Chiis puto nonnihil eſſe diſcriminis. Illi ſi minus inani jactatione, certe ſua ſponte patrii marmoris elegantiam efferebant, nec praeſente quovis uno ex advenis, ſed viro ſummo M. Tullio Cicerone: ego in unum collectas ſtudioſae antiquitatis adoleſcentiae offero poeticas inſcriptiones, cujus mihi operis auctores ſuaſoreſque graviſſimi extiterunt. At enim putida jam & rancida haec cantilena non riſum quidem, ſed ſtomachum plane movet. Quid ergo? ſi ſciens fallo, quibus hanc dedi operam, muſae me omnes oderint. Carmina haec epigraphica jampridem inter adverſaria latebant mea, neque lucem adſpicere omnino audebant: ſed timorem coepere tandem deponere, poſtquam clariſſimum aetate hac noſtra litterariae Reipublicae ornamentum, Marchio Scipio Maffejus, in praefatione Muſei Veronenſis aperte dixit, inſcriptiones, quae poe-

ticae ſunt Graecae & Latinae, in unum quaſi corpus ſi compingantur, novam & praeclaram fore anthologiam. *Quam etſi novam non audeam dicere, quum extet Ferrettii opus, cujus titulus* Muſae Lapidariae : *quia tamen ibi & Latina plurima, & Graeca omnia omiſſa ſunt, vix quidem dubito, quin Cl. Maffeji auctoritas multum mihi prodeſſe debeat. Quanquam vero ſentiat per me licet arbitrio quiſque ſuo: neque enim huic eſt opuſculo ille titulus, quem affixerat libello ſuo philoſophus neſcio quis*, contradicendum non eſſe. *Accipe interea, benigne Lector primum hoc volumen in quinque claſſes diſtributum. I. Deorum, Dearumque; II. Caeſarum, atque Regum; III. Magiſtratuum. IV. Militum. V. Litteratorum titulos continet, notis, quam potui breviſſimis, juventutis gratia illuſtratos. Singulis claſſibus ſingulae diſſertationes praefixae ſunt, iis rebus accommodatae, quae ſequentibus in lapidibus continentur. Quum perſequor magnorum virorum honores poſtumos, equidem non miſſam facio pompam funebrem, jam plurimorum, & praeſertim Gutherii, atque Kirchmanni opera explicatam; ſed de ſepulcris, de ſtatuis, de numiſmatibus, de varii generis imaginibus, aliiſque honoribus, de quibus ceteri omnino tacent, permulta colligo; rem ita nimirum ago, ut non ſemper illud Virgilianum uſurpandum ſit*; nos flendo ducimus horas. *Graecos lapides, clariſſimorum veſtigiis hominum ſtudioſe inhaerens, duplici typo tradendos duxi, nempe charactere majuſculo, more lapidum, & minuſculo, ut in hoc tum verborum, quae ſaepe in marmore confuſa ſunt, opportuna diſtinctio, tum accentuum & ſpirituum annotatio minus faceſſeret obſcuritatis. In titulis, quos jam verſos &*

lati-

Digitized by Google

latine & poetice nactus ſum, nihil penitus immutavi, tum quia doctorum interpretum, quorum mihi ſolertia uſui fuit, rationem me habere oportuit, tum quia ſiquando Latina Graecis minus recte, neque ad amuſſim reſpondeant, nemo non videt, id interpretem admiſiſſe, quod & ſexcentis aliis, dum metrum tueri velint, uſuveniat neceſſe eſt. Carmina porro vel ſine metro, vel nullo modo, quae pauciſſima ſunt, latine reddita ſum ego utcunque interpretatus. Metrica arriſit potius, quam ſoluta explicatio, quia haec operi viſa eſt maxime conſentanea. De Latinis nihil dicam amplius, quam quod varias, quum & licuit, & opus fuit, lectiones addidi; linearum ordine, qualis extat in lapide, non omiſſo. Ubi aut verba ſimul compacta ſunt, aut inſculpta ritu, qui a metro abborreat, ea quoque, ſicut de Graecis dixi, duplici typo imprimenda curavi. Ceterum quum audis, anthologiam me tibi offerre, in qua exſculpta veteribus ex monumentis carmina continentur, ne id in eam partem accipias rogo, ut inſtar librarii illius apud A. Gellium quovis pignore tecum certare poſſim, ni nullus omnino titulus praetermiſſus, aut in nulla uſpiam littera delictum fuerit. Jam te ſalvere jubeo, amice Lector, cujus convolant in ſinum muſae, ſi minus pigmentis oblitae venuſtulaeque, certe pudicae, decentes, ſimplices, eruditae, quae nec terrorem afferant aemulaturis, neque exitium pariant aemulantibus, quas propterea philoſophorum princeps, dum rempublicam informaret ſuam, civitate donare non dubitaſſet.

JO-

Digitized by Google

JOSEPH AVG. DVLBEQVIVS
A SANCTO NICOLAO

Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Praepoſitus Generalis.

CVM Librum, cui Titulus Carmina Graeca & Latina ex antiquis lapidibus a P. Franciſco Maria Bonada a S. Joanne Evangeliſta Religionis noſtrae Sacerdote Profeſſo, ac in Collegio Vrbano de Propaganda fide Eloquentiae Praeceptore duo ex Noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint, atque approbaverint: ut Typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem &c. Datum Romae in Aedibus noſtris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 5. Menſis Januarii 1751.

Joſeph Aug. Dulbequius a S. Nicolao
Praepoſitus Generalis.

Reg. fol. 252.

Joann. Franciſcus Maria Perinius a S. Eliſabeth Secretarius.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. Maria de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſg.

APPROBATIO.

Diſſertationes in Carmina Epigraphica a R. P. Franciſco Maria Bonada ex Cl. Reg. Schol. Piarum &c. elucubratas ſumma cum animi voluptate, ac admiratione perlegi. In iis enim non ſolum abdita antiquitatis, ac obſcura quaeque exponuntur, clariſſimaque collocantur in luce; verum etiam latine omnia, concinne, ornate dicuntur, atque ad id, quod agitur, apte adeo, congruenterque, ut nihil ſupra. Quantocius igitur ut publicam in lucem edantur maximopere optandum eſt; cum ut maximum antiquitatis ſtudioſis commodum ac utilitatem, tum ut ſingulare litterariae Reipublicae decus afferant, atque ornamentum.

Marchio Ioannes Petrus Locatellius.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO.

REv. P. Franciſci Mariae Cler. Regular. Scholarum Piarum Diſſertationes ac Notas in Carmina ex antiquis monumentis collecta, Reverendiſſimi P. F. Joſephi Auguſtini Orſi Sacr. Palat. Apoſt. Magiſtri juſſu legi. Quibus quidem in Diſſertationibus nihil deprehendi, quod cum Catholica Religione, ac probatis moribus omni ex parte non conſentiat. Quamobrem Opus Graeca paſſim ac Latina eruditione refertum, eleganterque conſcriptum omnibus antiquitatis, & ſelectioris litteraturae ſtudia merito exiſtimantibus omnino probatum iri, iiſque perquam jucundum futurum, ideoque dignıſſimum, quod in lucem prodeat, meo qualicumque ſuffragio cenſeo.

Dabam Nonis Januarii 1751.

Rodulphinus Venutus Rom. Antiq. Praeſes.

IMPRIMATUR

F. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

SY-

Digitized by Google

SYNOPSIS.

Simulacrorum *in Urbe antiquitas ſtatuitur contra Varronis, & Plutarchi opinionem.* II. *Simulacra initio fuere informes lapides, & baculi; deinde imagines ligneae, aut fictiles nullo metallo admiſſo.* III. *Ante Aſiam devictam negatur omnes Romae Deos fuiſſe duntaxat ligneos, aut fictiles: Plinius emendatur.* IV. *Signorum in Urbe copia ex S. Auguſtino, & Lactantio, ex Scauri Aedilitate, Mummii victoria, & bellica Deorum Evocatione colligitur.* V. *Idem argumentum confirmatur ex Romanorum veterum avaritia, Juliani Apoſtatae impietate, & ex Muſeis, praeſertim Gualteriano.* VI. *Nonnulla de Hermis, quorum inventio deducitur ab Aegyptia ſuperſtitione.* VII. *Hermeracles, Gallus Hercules, ſignum Academiae proprium, Hermerotes explicantur.* VIII. *Deorum inſignia Hermis addita; Etruſcorum elegantia laudata.* IX. *Signa Legionum religioſe culta: Deorum imagunculae inſertae torquibus, coronis, bullis.* X. *Parva Deorum ſigna omni cultu ſplendida in pompis vecta; manu geſta aliquando ab ipſis Imperatoribus; plerumque in thenſis equorum miniſterio, aut puerorum: de Aediculis, de Sigillariis, ac Vico ſigillari.* XI. *De Signis Pantheis, quae & Auguſtis adulatio dedicavit.* XII. *Simulacri Panthei Nekpalenſis deſcriptio.* XIII. *Coronae olim Diis tantum datae: de lemniſcis, de gemmis, de auro, argentoque interraſili, ac numiſmatibus, quae coronis inſerebantur.* XIV. *Idolorum veſtitores, veſtium nobilitas, varietas,*

materia, opificium: Simulacra clavibus, clauſtris, excubitoribus, vigiliis cuſtodita. XV. *Signorum ornatores, & ornatrices: ornatus multiplex.* XVI. *De Deorum, Dearumque torquibus, ac monilibus; de oculis argenteis, gemmeiſque, & cur?* XVII. *Idolorum conſecratio: Nobilium hac de re contentio: Conſulum ſortitio.* XVIII. *De variis legibus ad Conſecrationem ſpectantibus.* XIX. *Simulacra non ſacra omnia: ſacra res a ſancta diſtinguitur, itemque locus ſacer a ſacrario.* XX. *Dedicatio pro mera Encaeniatione ſumitur; aliqui ejus ritus numerantur.* XXI. *In Dedicationibus quid Sportularum nomine intelligendum? Sportulis, aliiſque largitionibus hymnos, & ſaltationes cyclicas fuiſſe additas conjicitur.* XXII. *Solemnis Oratio in Conſecrationibus recitata.* XXIII. *In Adorationibus quis manuum geſtus?* XXIV. *Quis motus, ſtatuſve corporis?* XXV. *Tria de veſtibus adnotata inter adorationes.* XXVI. *Diverſa vovendi ratio, votivae tabellae diverſae, diverſi in lapidibus, ac numiſmatibus characteres.* XXVII. *Vota publica quo ritu, quibuſque victimis, ludis, largitionibus, & carminibus celebrata?* XXVIII. *De Donariis Litteratorum.*

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO I.

De Veterum Romanorum Simulacris

REVERENDISSIMO PATRI

JOSEPHO AUGUSTINO DULBEQUIO

Cler. Reg. Scholarum Piarum Praepoſito Generali.

QUONIAM quicquid libelli hujus eſt, totum ad juventutem ſpectat, praeſertim eam, quae in noſtris collegiis ad ſelectioris litteraturae gloriam, te in primis auſpice & hortatore, toto pectore incumbit, & antiquitatis ſtudio ſingulariter delectatur, cauſa mihi honeſtiſſima viſa eſt, & propoſito certe meo maxime opportuna, cur id operis, Reverendiſſime Pater, a tui commendatione nominis exordirer. Noſtrorum enim convictorum admirabilis eſt in te amor, &

obſervantia ſingularis. Nec de ingenuis duntaxat loquor, qui & alibi nobiſcum degunt, & praeſertim in collegio Novo, cujus te auctorem, ſtatoremque appellant: de flore juventutis loquor, de ſplendidiſſima nobilitate, quae te in oculis, in ſinu ferens incredibiliter veneratur. Vix enim Beato Josepho Calasanctio, pro cujus gloria, quum totius noſtri Ordinis procurationem haberes, labores tu ſane arduos ſuperaviſti, divinitus aeterni honores, ad immortalem Scholarum Piarum laudem, decreti ſunt, aut proxime decernendorum ſpes certa affulſit, tum quanto ſtudio confluere ad nos undique certatim coeperint nobiliſſimi adoleſcentes; non me verbis oportet dicere, quum res ipſa loquatur. Etenim & Varſaviae in Polonia, & Viennae in Auſtria per hoſce annos collegia ſatis ampla, maximeque ſplendida extructa ſunt: in Italia vero quae conſtituta jampridem fuerant, eorum nunc eſt celebritas inuſitata; & omni major expectatione. Nam, ut nihil dicam de Urbinate, de Savonenſi, de Neapolitano, quae ſane omnia ita florent, ut nunquam antea; certe collegium Nazarenum centum ferme convictores numerat, in primis ſplendidos & generoſos, perinde quaſi B. Josephus, quum ipſe nobiliſſimus eſſet, in aliis omnibus, atque in hoc potiſſimum, cujus ipſe moderator fuit, nobilitati videatur ſignum aliquod ſuſtuliſſe. Ornatiſſimi porro adoleſcentes ſicut ad B. Parentem preces & vota quotidie effundunt, ſic curarum ſaepiſſime recordantur & laborum tuorum, neque unquam non ſecum reputant, primo ſibi ad illius aram confugere licuiſſe, vix tu univerſi moderationem Ordinis ſuſcepiſti. Hinc eorum in te omnium exarſit amor, eximia hinc tui exiſtimatio, & perjucunda laus. Nobiliſſimae igitur juventuti ſi opella

hac

hac mea gratificari cuperem, nec facilius id conſequi, neque aliter me poſſe intelligebam, quam ſi tuum nomen ipſo in limine collocarem. Ne autem abs te id operis repudiaretur, tametſi ſubvereri fortaſſe debui, tamen ne mihi quidem in mentem venit. Quanquam enim ad quatuor fere luſtra Philoſophiae partes; & auguſtiſſima Theologiae adyta, auditorum frequentia maxima, & ſumma cum laude tua, aliorum luſtranda oculis aperueris; quicquid tamen ad litterarum culturam ſpectat, eximie probas, ideoque ſpero tum hanc ipſam de VETERUM ROMANORUM SIMULACRIS DISSERTATIONEM, tum totum hoc opus, qualecunque tandem futurum ſit, pro tua non tam in me, quam in optimos adoleſcentes, ad quos maxime pertinet, benevolentia non omnino tibi improbatum iri. Interea vero Simulacri nomine, licet quaecunque [a] imago, hoc tamen loco, ut ſaepiſſime, ac proprie, (quod & de ſignis vir exquiſitae litteraturae Canonicus Mazochius [b] contra Manutium [c] probat) Deorum, Dearumve effigies, ſive idolum ſignificatur: nec enim ſine ratione certa Svetonius inquit, Julium Caeſarem ſibi decerni paſſum eſſe [d] *ſtatuam inter reges, Simulacra juxta Deos*. De quibus quidem ſignis pauca mihi adnotanda eſſe duxi, quia inſcriptiones in prima claſſe, quae ſequitur, comprehenſae ex eorum baſibus ac ſtylobatis exſculptae ſunt. Ac ne ordine, qui rerum eſt unus omnium vera lux, non utar aliquo, primum de ſignorum in urbe antiquitate nonnulla breviter admonebo.

I. Simulacrorum vetuſtas tam Romae incerta eſt, quam

a *Cic. pro Arch. & IV. verr. vid. Iſid. VIII. 11.*

b *In Mutil. Camp. Amphit. Tit. III. not. 60.*

c *Diſſert. IX. de Sign. & Stat. Tom. I. Ant. Rom. Salengr.*

d *Svet. Jul. 76. vid. Abr. II. Philipp.*

quam quod maxime, & inter varias opiniones vix dum e carcere egreſſus jam haereo in ſalebra. Sicuti Athenis Euſebius [a] Signorum conſecrationem adſcribit Cecropi, ſic Romae Tarquinio Priſco Plutarchus tribuit in hiſtoria Numae, a quo vetitum refert, ne Romani arbitrarentur Deum aut hominis ſpeciem, aut animalis habere formam, atque hujus decreti, ſive doctrinae vi ad duo fere ſecula templa quidem in urbe fuiſſe erecta, nulla vero ſimulacra corporum conſecrata. Plutarchi opinio eadem ac Varronis eſt, quorum auctoritate fulti S. Auguſtinus [b], & S. Clemens Alexandrinus [c] ſuſtinent prioribus 170. annis apud Romanos neque pictam Deorum ſpeciem occurriſſe, neque fictam. Contrariam vero huic ſententiam tuentur conjecturae pariter, atque auctoritates haud contemnendae. Eſto enim: rex Numa omnis divini juris, ut in illa quiſquam aetate in tantis tenebris fuit, conſultiſſimus vir, non Pythagora [d] quidem duce, qui centum amplius poſt annos in Italia floruit, ſed ſuopte ingenio id cognoverit, quod Anthropomorphitae a SS. Auguſtino [e], & Nazianzeno [f], aliiſque Patribus [g] damnati audaciſſime denegarunt, Deum ſcilicet nullis corporis lineamentis circumſcribi ac definiri: non hinc ſtatim arguas ab eo rege ſimulacra Deorum fuiſſe omnia penitus repudiata. Nam ſicut priſci legiſlatores, quo auctoritatem conciliarent apud rude vulgus decretis ſuis, finxerunt ſibi colloquia cum Diis eſſe, exempli cauſa Oſiris cum Mercurio, Zoroaſtes cum Oromazo, Cha-

run-

a *II. Chron.*
b *De C. D. IV. 31.*
c *Strom. V.*
d *Liv. I. 7.*
e *Lib. de Trinit. XII. 7. & lib. de Haereſ. c. 50. & alib.*
f *Orat. 34. & 37.*
g *Clem. Alex. l. c. Caſſian. VII. Collat. 13. & S. Thom. I. Contr. Gent. 20. Opuſc. III. 16. part. I. Q. III. Art. 1.*

rundas cum Saturno, Solon cum Minerva, Zantraſtes cum bono Numine, Zamolxis [a] cum Veſta, Minos cum Jove, Lycurgus cum Apolline; ſic Numa Nympham Aegeriam ſibi apparere finxit, legeſque tradere. Rex ergo ille, quum Deum eſſe ſpiritum dixit, ſive de ſupremo Numine loquutus ſit, ſive de Diis, eos non negavit aſſumere corpus poſſe, ut ſe videndos darent, ac proinde ab eorum ſimulacris non fuit alienus, ne praeſertim ab idolorum cultu, cujus in Latio antiquitas mox patebit, imperitum vulgus avertere, & religioni dum prodeſſe cupiebat, obeſſe plurimum videretur. Age vero praeter Numam, inter ethnicos alii complures [b] Deum omnis expertem corporis cognoverunt, & Cicero, ſiquis alius, praeclare [c] id probat perelegantí ſimilitudine mentis noſtrae: *niſi forte*, ait, *icirco* (Deum) *non eſſe putant, quia non apparet, nec cernitur; perinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua providemus, qua haec ipſa agimus, ac dicimus, videre, aut plane, qualis, aut ubi ſit, ſentire poſſimus*. Quemadmodum vero ethnici, qui hanc veritatem norunt, mutis ſimulacris mordicus adhaeſerunt, ita & de Numa ſentiendum reor. In templis enim, quae ipſemet conſecravit, ſignum & aliquod poſuiſſe arbitror, more ubique gentium uſitatiſſimo. Siquidem raro invenies ſacras aedes ſine idolo, ſi Curias exceperis, ubi Senatus habebatur, quae & templa nuncupabantur, utpote ab auguribus dedicata. Certe Vitruvius [d] ubi agit de ſacris aedibus extruendis, generatim ſcribit, ſignum in cella collocandum ad veſpertinam caeli regionem. Quid? ipſiPerſae, templorum in

a *Vid. Henr. Corn. Agripp. de vanitat. ſcient. c. XCI.*

b *Vid. Petav. de Deo Deiq. Propriet. II.*

c *Orat. pro T. Ann. Mil.*

d *Lib. I. 5.*

in Graecia everſores, nonne templi ſui, mundi ſcilicet univerſi, ſimulacrum [a] eſſe ſolem dicebant, quem unice venerabantur? Numa igitur, ut templorum, ita fuit, opinor, ſignorum cultor. Hoc unum quippe Numam inter, ac Romulum diſcrimen fuit, quod *alius alia via* [b], *ille bello*, *hic pace civitatem auxerunt*: quare ſacra ab illo inſtituta non modo ab hoc non imminuta ſunt, verum etiam aucta. Urbis porro conditor, aut reſtaurator, quippe Albae natus, ubi ob Aſcanium conditorem tam vetus erat, quam ipſum oppidum, idolorum vanitas, nihil facilius duxerim, quam quod cum multitudine Albanorum [c], Latinorumque patriam ſuperſtitionem huc invexerit, aeque templis, ac ſimulacris inibi conſtitutis, quum dicatur Jovi Feretrio, ac Statori templa voviſſe pariter, ac dedicaſſe. Neque ad aras minus, quam ad ſigna, & ſacra omnia reſpexit Cicero, ubi Albanorum aras dixit [d] Romae ſocias & aequales. Captandi praeterea augurii, & aedificandæ urbis ritus ſi Romulus plane noverat, illud etiam in primis fortaſſe tenuit, quod ara Numinis, & ſimulacrum, cui oppidum dedicabatur, in condendae [e] urbis area collocaretur. Aperto deinde aſylo nullus dubito, quin turba huc advenarum undique conveniente, turba quoque Deorum, ac propterea ſignorum copia augeri coeperit, ipſis nempe advenis, Etruſcis praeſertim aut ea fingentibus, aut ſecum ultro ferentibus, more inſtitutoque ethnicis perfamiliari, quod mox oſtendam, & in ſacris litteris haud ignoto, ubi Rachelem [f] legimus e paterna domo ido-

a *Ex Pauſan. & Xenophon.*
b *Liv Lib. I. 8.*
c *Idem I 3.*
d *Orat. cit.*
e *Heinecc. Ant. Rom. Synt. in Ad. pend. I. 3. & II. 1.*
f *Gen. 31.*

idola ſecum aurea detuliſſe. Non demum incredibile exiſtimaverim, Romulum Conſualia celebrantem, eo in ludicro, facilius ut religionis ſpecie Sabinis imponeret, aliquod Neptuni Equeſtris, ſive Conſi, cui ludi dicati erant, ſignum expoſuiſſe: in ludis enim Circenſibus & aperiri ejus aram ſub terra in Circo Maximo dedicatam, & illius imaginem circumferri [a] ſolemne fuit. Verum his conjecturis valere juſſis, ex hiſtoriae fontibus ſignorum in urbe antiquitas colligatur. Praeterquam quod Plinius [b] ab Evandro memorat Herculem Triumphalem, & Janum Geminum, qui primus a Macrobio [c] dicitur in Italia templorum auctor, a rege Numa dedicatum; Dionyſius Halicarnaſſeus Faunum, regis Latini patrem, prima Diis aedificia, & lucos tradit [d] in Latio conſecraviſſe; in urbe autem ſimulacrorum conſecrationem acceptam [e] refert parenti Romulo, qui templa, fana, delubra, & aras, Deorumque effigies, & inſignia, & poteſtates, & cetera inſtituit, *ſequutus optimos quoſque Graecorum ritus*. Livius paulo [f] aliter ac Dionyſius Romulum tradit in aliorum Deorum ſacris Albanos ritus, Graecos in Herculis obſervaviſſe. Tibullus etiam pace cum Sabinis inita Janum ligneum refert [g] a Romulo dedicatum: [h] itemque Ovidius:

Ara mihi poſita eſt parvo conjuncta ſacello,
Haec adolet flammis cum ſtrue farra ſuis.

Vir denique antiquitatis peritiſſimus Senator Bonarrotius [i] tacite primo fabellam rejicit, qua dicitur [k] Aſcanius Lavinio Albam tuliſſe Deos Penates, eoſdemque no-

B ctu

a *Buleng. de Circ. IX. & Panvin. de Lud. Circ. I. 3.*
b *H. N. XXXIV. 7.*
c *Lib. I. 7. 8. 9.*
d *Vid. Lactant. Inſtit. L. I. 22.*
e *Dionyſ. lib. II.*
f *Lib. II.*
g *Lib. II. Eleg.* 10.
h *Faſtor. I.*
i *Obſervat. Hiſtor. ad Numiſm. major. mod pag.* 107.
k *Pitiſc. Lexic. ad V. Penat.*

ſtu Lavinium ultro regreſſos eſſe, & in templum, occluſis januis, rediiſſe; deinde idolorum in urbe cultum altius repetit, non a Romulo quidem, ſed ab Evandro, quem ſuſpicatur ex Arcadia detuliſſe cum Palladio Deos Penates, ſive Fatales, in templo Veſtae religioſiſſime adſervatos. Romae igitur, quin huic opinioni quicquam obeſſe poſſit ſupradicta de Diis ſententia Numae, eadem videtur ſimulacrorum fuiſſe antiquitas, ac templorum, quae quantula fuerint, aperit perbelle Ovidius [a]:

Jupiter anguſta vix totus ſtabat in aede,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

II. Idolorum materiam, ſi caecae ſuperſtitionis exordia conſiderentur, informes fuiſſe lapides, columnas, baculos [b] compertum eſt; in Aegypto in primis, ubi initio pro ſimulacris habita ſunt ſaxa quoquo modo expolita, tranſlata fortaſſe ad idololatriam, ut Bonarrotius [c] acute arguit, religione veterum Patriarcharum, qui ſaepe in ſacris litteris aeterno Numini lapides erexerunt in memoriam divini beneficii ſempiternam. Pauſanias [d] tradit prope Mercurii ſtatuam triginta ſtetiſſe lapides tetragonos, quos Pharii religioſe venerabantur, certo Dei nomine ſingulis attributo, atque idem auctor eandem formam tetragonam (ab Hebraeis opinor acceptam) in Mercurio Philagenſium, in Jove [e] Ammone, & Thegeate; in Apolline, in Hercule [f], aliiſque Diis [g] memorat obſervatam. Aegyptiorum inventum apud Romanos in Matre Idaea, quam Peſſinunte [h] advectam matronae primores civitatis acceperunt, itemque in Deo Termino reten-

a *Faſtor. I.*
b *Vid. Bonarrot. Muſ. Carpin pag.*215.
c *Ibid ad numm. Getae.*
d *Lib. V.*
e *Lib. VIII.*
f *Lib. IX.*
g *Lib. IV.*
h *Liv, lib. XXIX. Arnob. VI.*

retentum [a] eſt, quem Romanae [b] firmitatis auſpicem, ſi ſervus in agris exaraſſet, effodiſſetve, ad metalla damnabatur; ſi liber, [c] in inſulam deportabatur amiſſa tertia parte bonorum: primis autem temporibus qui deliquiſſet, eum, ejuſque boves fuiſſe pro ſacris habitos eſt auctor Feſtus. Baculos quoque, qui religioſe alibi [d] culti ſunt, ideoque celebris eſt in mythiſtoriis *divina virgula*, Romae ab initio religione non caruiſſe hinc conjicitur, quod Romulo poſt conſecrationem haſta, primis illis temporibus Divinitatis ſymbolum, tributa eſt. Prima igitur idolorum materia fuerunt lapides, & ligna, deinde argilla. Signa quidem ſive lapidea, ſive lignea, ex iis, quae dixi, quaeque mox de Hermis dicturus ſum, ex Aegypto originem habuerunt: fictilia vero Athenienſibus tribuenda ſunt, a quibus artem, rotamque figularem inventam eſſe plurimi auctores tradunt, ac diſertiſſime ex Critiae verſibus [e] Athenaeus; & quanquam inter auctores diſſenſio ſit in ſtatuendo inventore, quem [f] Diodorus Thalum Daedali nepotem, Plinius [g], & [h] Suidas Coraebum nominant, omnes tamen affirmant hujus artis laudem Athenienſibus concedendam. Itaque & fictilia anathemata, & adhibita in ſacris vaſcula, & Dii fictiles non tam Romae, quam alibi, dum priſca paupertas placuit, ſane celebratiſſimi exordium ab Athenienſibus figlini operis inventoribus habuerunt. Quo quidem invento Athenienſes ſummopere gloriati ſunt, ideo [i] fortaſſe nummis inſculptam amphoram voluerunt, cui ſiquid cum ſacris eſ-

a *Lactant. I. 20. de falſa Relig.*
b *Liv. I Ovid. II. Faſt*
c *Paul. ICtus. V. Sententiar.*
d *Cyrill. Alex. contr. Julian. lib. VI. & Clem. Alex. I. Stromat.*
e *Lib. I. 22.*
f *Lib. IV. 78.*
g *H. N. VII. 56.*
h *In* Κόροιβος.
i *Vid. P. Eduard. Corſin. in Faſt. Attic. Diſſert. XI.*

ſet ; hac de cauſa ſolemnem eſſe in nummis Atticis ſuſpicarer, ut nempe incrementum deſignaretur, quod religioni figlino ex opere acceſſiſſet; ſed quum a ſacris id vaſis genus alienum ſit, fateor, nihil ad rem ex Atticis nummis exſculpi poſſe. Jam vero Romae initio quidem ſimulacra ex argilla, vel ligno effiсta ſunt, & fortaſſe, ut in Graecia [a], cujus ritibus, teſte Dionyſio, adhaeſit Romulus, ex cedro, quercu, ſmilace, buxo, ebeno, aut quacunque felici ex arbore. Deinceps invaſit quoque, ut cetera, religionem luxus, quem ut argueret Juvenalis ad fictilia ſigna Capitolio impoſita, & Jovem fictilem, cui templum Tarquinius Priſcus [b] dedicavit, reſpiciens dixit [c]:

Hanc rebus Latiis curam praeſtare ſolebat
Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro,

ubi dum ſatiricus Jovem auro *violatum* dolet, in mente habet illam Platonis [d] legem: *aurum, & argentum in urbibus, & privatim, & in fanis invidioſa res eſt: tum ebur ex immani corpore extractum haud ſatis caſtum donum Deo: jam aes, & ferrum duelli inſtrumenta ſunt, non fani.* Hinc Seneca [e] per Deos fictiles olim jurari ſolitum affirmat, & Deos, quum propitii eſſent, fictiles extitiſſe, in quam ſententiam Tibullus cecinit [f] de ſimulacris ligneis:

Neu pudeat priſco vos eſſe e ſtipite factos:
Sic veteris ſedes incoluiſtis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede Deus.

Fictilia anathemata, Deoſque fictiles, etiam late dominante luxu, Romae in uſu fuiſſe habitos, vetuſta templo-

a *Pauſan. in Arcad.*
b *Plin. H. N. XXXV. 12.*
c *Sat. XI.*
d *Cic. II. 18. de Leg.*
e *Epiſt. XXXI.*
f *Eleg. II. 10.*

plorum rudera ſaepe oſtendunt, & inter poetas Martialis:

Sum fragilis, ſed tu, moneo, ne ſperne ſigillum.

Alexander Severus veterem paupertatem [a] affectans nunquam in ſacris aedibus praeter quatuor, aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam poſuit, Perſii verſum repetens: *in ſanctis quid facit aurum?* Primus, qui ſimulacra aurea, vel inaurata effinxerit, fuiſſe traditur Attilius Glabrio.

III. An uſque ad Aſiam devictam ſimulacra omnia vel lignea duntaxat, aut fictilia Romae fuerint, non auſim equidem cum Plinio [b] affirmare, quum praeſertim Gorius Etruſcae antiquitatis vindex & illuſtrator ſcribat, non tam plaſticen, quam [c] ſtatuariam in Etruria ante Romam conditam floruiſſe, & ſigna ibidem aenea magni habita & religioſe culta. Etruriae autem, quae hujuſmodi operum elegantia Graeciam ſi minus vicit, certe adaequavit, multa Latium heroicis quoque temporibus debuiſſe argumento eſt quercus in Vaticano antiquiſſima, de qua inferius recurret mentio. Jam vero, quod ad rem pertinet, multo ante devictam Aſiam in Campania, in Piceno, in Umbria, in tota Etruria multas Tuſcorum urbes Romani vicerant ac diripuerant, nec ſane noverant Diis parcere, quos ab hoſtium oppidis evocabant: itaque Vertumnum Propertius [d] ſic loquentem inducit:

Tuſcus ego, e Tuſcis orior; nec poenitet inter
Praelia Volſinios deſeruiſſe focos.

Volſinium porro fama eſt [e] propter duo millia ſtatuarum a Romanis legionibus fuiſſe obſeſſum expugnatumque, in quo ſtatuarum numero non omnes fictiles extitiſſe res ipſa

a *Lamprid. in Vit.*
b *H. N. loc. cit.*
c *Muſ. Etr. Tom. I.*
d *Eleg. IV. 2.*
e *Plin. H. N. XXXIV. 7.*

ipſa loquitur, niſi quis illos veteres tam fungos blennoſque habeat, qui modicum argillae cauſam belli indicendi ſatis idoneam exiſtimarent. Aurum in urbe multo ante Aſiaticam luxuriam Diis offerri ſolitum manifeſte liquet non tam ex baculo Bruti [a] aureo, & Camilli cratere [b] item aureo, Delphico Apollini oblatis, quam praeſertim ex auro in templis poſito, cujus ne bracteolas fuiſſe putes, recorderis velim, quum a Brenno Gallorum regulo mille pondo auri pretium populi gentibus mox imperaturi [c] factum eſſet, adhibitis iniquis etiam ponderibus, additoque per avaritiam gladio, tum pactam mercedem a matronis ſolutam eſſe, *ut a ſacro auro abſtineretur*. Altius ſi ſpectare placeat, invenietur, Numam Pompilium in ſumma egeſtate ſolemnibus Deorum pretioſiſſima munera dicaviſſe: quum enim Cornelio Syllae Aſia obvenit ſimulque bellum Mithridaticum, tum SCto decretum ſcimus, ut ea [d] donaria venderentur, & quanquam erant jam quaedam hujus generis divendita, tamen novem millia librarum auri confecta ſunt, nec plus inſumtum in tantum bellum. Nemo jam igitur dubitabit, quin Romae, priuſquam Aſia huic imperio adjungeretur, ſimulacra ex metallo, praeſertim aere, inventa ſint. Artifices defuiſſe negat Mamurius Veturius, qui regnante Numa pluribus anciliis, quibus caeleſte admiſceretur, affabre factis, praemii loco habuit, ut ſuum nomen a Saliis inter carmina caneretur: [e]

Inde Sacerdotes operi promiſſa vetuſto
Praemia perſolvunt, Mamuriumque vocant.

Neque huic opinioni Plinium [f] quicquam obeſſe video. Nam

a *Liv. I. 21.*
b *Idem V. 16.*
c *Idem V. 28. & 29.*
d *Appian. pag. 185.*
e *Ovid. Faſt. III. ver. 382.*
f *Loc. cit.*

Nam antequam Romam Aſiae luxuria invaderet, ſimulacra quidem vel fictilia tantum, vel lignea fuiſſe affirmat, ſed ea duntaxat, opinione quidem mea, complectitur, quae erant in delubris dicata, nec ſigna generatim excludit omnia, ſed eorum elegantiam ac multitudinem. Conſtat enim ex peculio Sp. Caſſii, qui regnum affectaverat, ſimulacrum ex aere [a] factum Cereri, inſcriptumque [b] EX CASSIA FAMILIA DATUM. Adde Jovem, quem Sp. Carvilius e Samnitum ſpoliis in Capitolio erexit [c] ea amplitudine, ut proſpiceretur ex edito monte Jovis Latialis, facta etiam ex reliquiis limae Carvilii ſtatua pone ſimulacrum. Adde captarum urbium, ac potiſſimum Syracuſarum ſpolia, inter quae nobilem ſignorum multitudinem extitiſſe auctor eſt [d] T. Livius, qui Romani luxus, & licentiae initium captis Syracuſis tribuit.

IV. Veniebat in mentem de ſimulacrorum copia, quae paulatim in immenſum crevit, aliqua commemorare: ſed quis iſta mortalium perſequi poſſit? Ut nihil dicam, quot Dii uno in puerulo efformando, in una ſpica educanda, una in cuſtodienda ſera (deridentibus id Lactantio, & S. Auguſtino) elaborarent, ſolius M. Scauri aedilitas tria ſignorum [e] millia in ſcena exhibuit, & temporario theatro: Mummius devicta Achaja ſimulacris replevit urbem, quae ſi minus Deorum omnia, certe plurima extiterunt. Simulato demum religionis nomine, quo nulla major peccandi illecebra, congeſta huc fuiſſe innumera Deorum ſigna exinde patet, quod mos in bellis eſſet hoſtium Numina [f] evocare, & ſigna rapere, fruſtra catenis [g] vincta, nedum peſſulis,

a *Plin. H. N. XXXIV. 4.*
b *Liv. II. 22.*
c *Plin. loc. cit.*
d *Decad. III. lib. IV. 25.*
e *Plin. ibid.*
f *Macrob. III. Saturn.*
g *Pauſan. III. & Diodor. Sicul. XVII. Bibliotb. & Curt. IV.*

Digitized by Google

ſulis, plumbeiſque baſibus [a] communita; quare fori Trajani, ubi ſimulacra erant plurima, faſtigio ſubſcriptum legimus [b] E. MANUBIIS. Ad rem ſcribit Cicero, nullum [c] Romae ſignum fuiſſe non captum a victis hoſtibus, & Tertullianus acute ait: *tot ſacrilegia* [d] *Romanorum, quot tropoea: tot de Diis, quot de gentibus triumphi: tot manubiae, quot manent adbuc ſimulacra captivorum Deorum*. Siquis Tertulliano Salluſtium oppoſuerit aſſerentem, Romanos ab initio inopes maluiſſe volentibus [e] quam coactis imperitare, nihilque victis, niſi injuriae licentiam eripuiſſe [f], is conſideret neceſſe eſt, Salluſtium hoc habere propoſitum, ut veterum virtutes laudet, & vitia exaggeret aetatis ſuae, non ut neget victorum hoſtium profana & ſacra omnia veniſſe in triumphantium poteſtatem; quod apud eundem aperte ſatis a Catone ſignificatur. Horatius quoque [g] quum ſub Junonis perſona futurum canit, ut Capitolium ſtet immobile, & Roma ferox det jura Medis ſubactis triumphatiſque, *omne ſacrum rapiente dextra*, de hac juris bellici apud Quirites religione omnino prohibet dubitari. Hanc Deorum praeſidum in urbium oppugnationibus evocationem, quae & urbem ſimulacris, & aerarium divitiis implevit, totam Romanorum fuiſſe propriam prudenter argumentatur, & erudite confirmat P. C. Anſaldus in libro vere ſingulari *de Diis multarum Gentium Romam* [h] *evocatis*. Hac de cauſa Romani arcanum urbis nomen, ſeu Dei tutelaris, eſſe voluerunt, ne hunc nimirum hoſtes [i] carminibus, & praeſti-

a *Arnob. V. adverſ. Gent.*
b *Gell. XIII. Noct. Att. 23.*
c *In Verr. V.*
d *Apolog. XXIV. & XXV.*
e *De Bell. Jugurth.*
f *De Bell. Catil.*
g *Carm. I. Ode. 3.*
h *Edit. Brixiae 1745.*
i *Plut. in Quaeſt. Rom. & Plin. H. N. III. 5.*

Digitized by Google

ſtigiis evocarent : neque hoc contenti ſtatuas certis incantationibus in confiniis Imperii ſub terra defoderunt, ſicuti tradunt Spartianus in Heliogabalo, aut Elagabalo, & in Aureliano Vopiſcus, quaſi earum vi intra ſuos limites barbari continerentur.

V. Religioni addenda avaritia eſt, praeſertim poſt Lucullanas Syllanaſque in Aſiam expeditiones, in quibus miles non amare modo ac potare, ſed & templorum ſigna [a] ac ornamenta rapere conſuevit. Avaritiae licentia in hoc mali genere quanta fuerit, uno Verris exemplo liquet. Nullam quoque Deorum rationem eos habuiſſe exiſtimo, quos tacite Tullius arguit, ubi dubitat, utrum aetate [b] ſua plures militum Romanorum armis hoſtium urbes, an hibernis ſociorum civitates deletae ſint. Talis ſi haec Reſpublica fuit, cui ſervire nonnulli reges, quam imperare aliis maluerunt, quid dicam neſcio de Caeſarum impotentia, quum jam haec civitas, ſicut pene in omnibus dominabatur gentibus, ita omnium gentium erroribus [c] inſerviret. Ideo apud Minucium Felicem infantiſſimus deridendae ſuperſtitionis aſſertor praedicat, ſingulos ubique populos *ſacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, ut Eleuſinios Cererem, Phrygas magnam Matrem, Epidaurios Eſculapium, Chaldaeos Belum, Aſtartem Syros, Dianam Taurios, Gallos Mercurium, UNIVERSA ROMANOS*. Cujus Ethnici dementiam Minucius in Octavio jugulat, haec prae ceteris ſcitu digna commemorans : *quicquid Romani tenent, colunt, poſſident, audaciae praeda eſt .... Igitur non ideo tanti, quod religioſi, ſed quod impune ſacrilegi*. His

a *Giphan Praefat. ad Homer. Odyſſ.* c *S. Leo Serm. in Natal. Apoſt.*
b *Pro Leg. Manil.*

breviter adnotatis, jam quot in theatris, quot in Larariis, quot in delubris, in capitolio, in foro, in urbe tota publice privatimque Deorum ſigna invenirentur, recenſere qui poſſit, neminem eſſe arbitror, ſi Prudentium excipiam, qui Juliani Apoſtatae impietatem arguens, has ſibi partes ſumſit, niſi loquutus poetice videatur:

. . . . amans ter centum millia Divum
Auguſtum caput ante pedes curvare Minervae
Fictilis, & ſoleas Junonis lambere, plantis
Herculis advolvi, genua incerare Dianae,
Quin & Apollineo frontem ſubmittere gypſo,
Aut Pollucis equum ſuffire ardentibus extis.

Vah quantus Deorum grex! & tamen quum deſcivit ad Ethnicos Julianus, deferveſcere jam late coeperat dira ſuperſtitionis lues, quam deteſtandus homo reſtaurare conatus eſt, teſtatus impudentiam hanc ſuam illo in numiſmate, ubi ſtellas, & bovem cernis [a] Aegypti ſomnium delirantis. Jam vero, ne multis utar, de ſignorum multitudine hoc unum addo. Quanquam barbarorum invidia perſaepe Italiam, & hanc urbem depopulata ſit, quanquam Chriſtiana pietas incredibilem idolorum copiam vel per contemtum deleverit, vel in domeſticos, aut ſacros uſus converterit, adhuc tamen in Gallia, in Germania, in Anglia, in Italia fere univerſa, & Romae in primis multa extant Muſea ſignis veteribus ornatiſſima, ac paucis abhinc annis octo & decem [b] millia cernebantur in ditiſſima gaza Eminentiſſ. Cardinalis Gualterii cum doctrinarum omnium, tum totius antiquitatis peritiſſimi Principis, cujus nepotes in hoc collegio Nazareno verſantur duo,

a *Laevin. Hulz. ad Num. 72. in Miſ. Etr. Tom. III.*
b *Paſſer. in Diſſert. de Gen. Domeſt.*

duo, probi oppido navique adoleſcentes, praeſertim Carolus, qui vix quinque & decem annos natus, hac jam aetatula linguas Gallicam, & Latinam apprime tenet, Graecae autem non minore cum ſolertia, quam laude vacat, aeque felicitate, ac ſtudio inter Rhetores admirandus.

VI. Simulacrorum forma erat duplex, vel partem duntaxat exhibens, vel totum corpus. Primi generis erant Hermae, qui tametſi olim pro ſtatuis columnarum loco pondera ſuſtinentibus [a] acciperentur: tamen in antiquis gemmis, & marmoreis anaglyphis paſſim aediculae occurrunt ſuper ſaxa erectae, in quibus Hermaea Deorum ſigna poſt caput Numinis in ſtipitem deſinunt, qui ſtipes plerumque in ſummitate eſt altior, deinde anguſtior uſque ad calcem. Hoc inventum Aegyptiis tribuitur, apud quos prima Deorum ſimulacra, ut ſupra dixi, fuere ſaxa quoquo modo expolita, coni ſpeciem referentia, ſeu potius ovi, quippe quod in Aegypto, quoad mundi originem, ſuperſtitionibus plenum erat, & quidem maxime ridiculoſis. Iis ſaxis tetragonis primo globi informes [b], capita deinceps addita; tum ſtatuae integrae formatae ſunt, brachiis manibuſque ſimul compactis & trunco corporis adhaerentibus, qualia nimirum ſigna permulta cernimus in Muſeo Capitolino. Ars demum manus pedeſque ac vultum totumque corpus ita compoſuit, ut metalla & marmora videantur non geſtus modo, ſed affectus etiam didiciſſe. Ne me, obſecro, ita ſtupidum dicas & bardum, perinde quaſi quaſcunque ſtatuas iis ſimiles, quas modo in Capitolio commemoravi, imperitiſſimae tribuam antiquitati: novi enim, vel poſtquam in Aegypto, & alibi jam florebant artes, adhuc ſigna

C 2 ejuſ-

a *Vitruv. I. 1.* b *Pauſan. lib. VIII.*

ejuſmodi facta eſſe non propter artificum imperitiam, ſed ut vetuſtatis ratio haberetur. At lineam ne tranſiliam, ad Hermas redeo. Haec ſigilla frequenter erant Silvani, Bacchi, Vertumni, Priapi, Panos, quae a praetereuntibus ſalutabantur: [a] ſiquidem ita Tibullus:

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.

Varii Hermarum uſus numerantur a Bonarrotio [b], qui in Achate bicolore anaglyphum oſtendit, in quo [c] duae mulieres, altera floribus coronat Hermam, altera ſono, & verſibus eundem ſibi propitium facit, & agris ſuis. Ridicula illa nomina Hermerotis, Hermanubis, Hermarpocratis, & alia id genus nota [d] ſunt in Bibliothecis, Gymnaſiis, Balineis, Hippodromis, Irodromis, atque paleſtris omnibus, ubi exercebantur Stadiodromi a ſimplici curſu, Diaulodromi a duplici curriculo nuncupati, Acrochiryſtae, qui ſummis manibus, Pancratiaſtae, qui totis corporis viribus decertabant, Diſcoboli, Pugiles, Haltici, Halteres, & Chironomi, ſeu geſticulatores, qui Chironomiam ſaltabant, italice *Moreſca*.

VII. Hermaeus prae ceteris Mercurius fingebatur, quod eloquentia, cujus ipſe habebatur praeſes, minime videatur corporis viribus indigere. Hermeracles, gymnaſiorum foribus [e] apponi ſolitus, Mercurii erat, Herculiſque ſignum, quorum conjunctio deſignabat, vel eloquentiae & fortitudinis ſocietatem, vel eloquentiam eſſe monſtrorum domitricem, quare Galli Herculem ornabant ſuum [f] catenis ex ejus ore exeuntibus, alligatoſque trahen-

a *Tibul. I. Eleg. 1.*
b *In Muſ. Carp. Praef. pag. XXVI.*
c *Ibid pag. 422.*
d *Spon. Miſcell. Erud. Antiq. Sect. I. art. 4.*
e *Laurent. Polymath. II. 42.*
f *Turneb. Adverſ. VIII. 24.*

hentibus auditores: quod figmentum appoſuit ſuo ſigillo Jacobus Gallus Neapolitanus juriſprudentiae & eloquentiae [a] gloria celeberrimus. Hermathena Mercurii, & Minervae ſignum a Cicerone dicitur ornamentum [b] Academiae proprium, quod eloquentiae ſemper eſſe debeat prudentia comes. De Minerva obiter noto, quod a veteribus annulum porrigens [c] in ſignis ac tabulis fingeretur, cuſtos aeque domorum, ac urbium nuncupata; iccirco Tullius ejus ſimulacrum, quod diu domi dedicatum habuerat, in Capitolium detulit, & hac [d] epigraphe exornavit MINERVAE. URBIS. CUSTODI. Titulum huic ſimilem, fortaſſe eundem vetuſtae baſi abraſum nitidiſſimus ille antiquae eruditionis promus condus Raphael Fabrettus appoſuit limini exteriori Bibliothecae ſuae. Hermerotes demum Mercurii, & Amoris ſignum ſaepe in Bibliothecis, ac gymnaſiis aderat, quia nimirum bonis artibus comparandis perneceſſarius doctrinae eſt amor, qui, quo perveniri non poteſt, volat. Hac de cauſa Athenienſes [e] prope Minervam in Academia Amoris, & Dianae imaginem ſtatuerunt, pudicitiae ac laboris indicium, quo ſpectat praeceptum Horatianum [f]:

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit & alſit,
Abſtinuit venere, & vino.

VIII. Videmus Hermis perſaepe additum illius Dei inſigne, qui exhibetur, exempli cauſa clavam Herculi, cornua Hammoni, uvarum coronam Baccho, Vertumno falcem. Quod in Hermis, idem licet in Deorum Geniis ani-

a *Jacob. Philipp. Thomaſ. Elog. Vir. illuſtr.*
b *Ad Attic. l. 3.*
c *Fabrett. Ant. inſcript. pag. 464.*
d *Plutarch. in vit. Cic.*
e *Pauſan. in Corinth.*
f *In fin. Poet.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

animadvertere. Nam Dianae Genii nunc [a] tela, nunc venabula caneſque [b] tenent: Herculis vel clava, vel leonis exuviis [c] gaudent, ac ſic de ceteris conſule [d] Gorium & Bonarrotium [e] viros ob egregia in rem litterariam merita immortales. Laudanda enimvero Etruſcorum elegantia eſt, apud quos Hermaea ſigna multo erant, quam apud Graecos & Romanos, ornatiora. Hi enim pro Hermis habebant informes ac rudes ſtipites, nullo ornamento inſignes, niſi quandoque pallio, qualis eſt Silenus in Muſeo capitolino. In Etruria vero Dei, vel Deae protome habebat baſim utrinque mutulis, ſeu volutis innexiſque diſcis primo majoribus, dein minoribus ingenioſe expolitam maximeque ſpectabilem, nec ſolum cum capite, ſed pectore tenus ſigna hujuſmodi fingebantur, quae ne truncatis brachiis informia apparerent, totum pectus grandibus erat foliis undique circumvallatum: thronus autem, ſeu lectiſternium, cui nonnunquam haec ſigilla imponebantur, eleganti quoque opere fabrefactum cernimus inter delicias Muſei [f] Etruſci.

IX. Secundi generis ſimulacra erant vel infra, vel intra, vel ſupra humanam menſuram. Ad primam ſpeciem referuntur ſigna legionum non modo floribus & corollis religioſe [g] ornata, verum etiam divino cultu a barbaris excepta, ut Artabanum regem feciſſe ſcribunt & Svetonius, & Herodianus. Ad hanc ſpeciem quoque pertinent imagunculae, quas ſecum Ethnici, non voluptatis quidem, uti Hortenſius orator, cui comes aderat [h] ubique Sphinx, pretioſiſſimum Verris munus, ſed religionis gratia circum-

a *Gor. Muſ. Flor. Tom. III. tab. XX.*
b *Ibid. Tom. I. tab. LXXVI. Gemma 4.*
c *Ibid tab. XXXVIII Gemma 5.*
d *Columb. Liv. Aug. pag. 5.*
e *Muſ. Carpin.*
f *Tom. I. tab. XXXV. n. 3. & 4.*
g *Plin. H. N. XXXIII. 4. & XIII. 3.*
h *Idem XXXIV. 8.*

cumgeſtabant, ut de Aſclepiade [a] Ammianus, Dio [b] de Julio, de ſe ipſo Apulejus [c] refert. Feminae gerebant haec ſigilla ante pectus corollis, vel torquibus dependentia, uti oſtendit Cl. Georgius in Diſſertatione de Archigallo in Muſeo Capitolino, & clare aſpicitur apud Sponium [d] in imagine Laberiae Feliclae Cybeles Sacerdotis. Ejuſdem Deae imagunculam a Sacerdotibus Gallis adfixam ferri pectoribus conſueviſſe Svidas [e] tradit in Miſcellaneis. Sacerdotes non in pectore tantum, ſed etiam capite coronis inſertas Deorum imagines praeferebant, quod inter Donianas inſcriptiones apparet in imagine [f] Ciſtophori Bellonae Pulvinenſis. Conſuetudinem ferendi icunculas Deorum Dearumve, aut etiam ſcarabeos collo ſuſpenſos ab Aegyptiis dimanaviſſe copioſe eruditeque probant [g] Gorius, [h] Cauſeus, & Rodulphinus [i] Venutus, viri acuto ſane ingenio, doctrinaque & diligentia ſingulari. Eruditiſſimus Praeſul Franciſcus Blanchinus [k] anno 1706. multa ex omni metallo numiſmata publicavit, alia perforata, tanquam lucernas, aut bullas, aut amuleta, alia unco, ſeu conamento ornata, ut inſeri coronis, vel monilibus commode poſſent, pro varietate Numinis, Regis, Imperatoris, cui celebritas, pompa, aut ſpectaculum dicatum erat: varia enim eorum ſpecies variam coronam Ethnicis indicebat, teſte in libro *de Corona Militis* Tertulliano. Pro Deorum imagunculis aliquando eorum inſignia in coronis veteres praeferebant. Extat in Muſeo Ca-

a *Idem XXII. 13.*
b *XLIII.*
c *Apolog. pag. 506.*
d *Tom. I. pag. 466.*
e *Erud. Antiq. Sect. IV.*
f *Tab. VIII. pag. 68. ad pag. 135.*
g *Muſ. Flor. Tom. I. Tab. LIX. & Muſ. Etr. Tom. II. pag. 180. 181.*
h *Muſ. Rom. Tab. 31. 33. 34.*
i *Collect. Antiq. Rom. pag. 20.*
k *Differt. de Cyclo, & Kalendar. Caeſar. vid. Bonarrot. Muſ. Carpin. ad Num. XXXV. pag. 413.*

Capitolino protome Trajani marmorea, lauro coronata, in cujus medio eſt Jovis Conſervatoris ſymbolum, nempe Aquila geſtans fulmen, qualis eſt in nummis aureis, & argenteis Domitiani, aeneis Hadriani, & aliorum. Quod de coronis, ac torquibus dixi, idem de Bullis intelligendum. Vide, ſi vacat, apud Franciſcum Ficoronium [a] Bullam Auream, cujus ex aurea catena pendet icuncula quoque aurea Fortunae Pantheae, unde hic ritus maxime confirmatur. Extra ordinem addo, Bullam auream non tantum nobilium puerorum fuiſſe propriam, ſed etiam feminarum, uti notant tum Juſtus Lipſius [b] in trunco ſtatuae Caeliae Concordiae Veſtalis Maximae, tum [c] Bonarrotius in numiſmate Belliciae item Veſtalis, ex gemmis demum multa ejuſdem inſtituti exempla colligit Albertus Rubens [d].

X. Parva Deorum ſimulacra in feſtis ſolemnibus omni cultu ornata, lota, minio picta, quandoque inaurata, torquibus, armillis, inauribus, vittis, & coronis condecorata in thenſis [e] ad delubra deducebantur, de quo more praeter veteres ſcriptores permulta tradunt & Cuperus in ſuo [f] Harpocrate, & Gorius [g] in Muſeo Etruſco. Imperatores ipſos aliquando haſce icunculas in pompis detuliſſe ſcribit Spartianus in Commodo, quem memorat, quum portaret Anubin, ore ſimulacri capita Iſiacorum graviter obtudiſſe. In hujuſmodi celebritatibus, quacunque pompa tranſiret, via floribus ac ramuſculis ſternebatur, quin etiam aere atque argento, teſte Lucretio [h], exornari ſolebat:

Aere

a *In Opuſc. cui titulus* la Bolla d'Oro.
b *De Veſtal.* 13. *in not. in fin.*
c *Numm. XXXVI. pag.* 409.
d *De Gemma Auguſt. poſt Opuſc. de Re Veſt*
e *Dionyſ. Hal. VII. & Macrob. I.* 22. *Saturn. ac Claudian. IV. Conſul. Honor.*
f *Pag.* 165. 166.
g *Tom. II. Claſſ. III.*
h *Lib. II.*

Aere atque argento ſternunt iter omne viarum,
Largifica ſtipe ditantes, ninguntque roſarum
Floribus, umbrantes Martem comitumque catervas.

Parvulis quoque in thecis ac tabernaculis geſtatoriis per ſacros [a] ludos in thenſis aut equorum, aut puerorum miniſterio ſigilla [b] haec ridicula ferebantur, magna quapiam interveniente calamitate. Tabernacula vero, ſive aediculas nonnunquam fuiſſe argenteas Epheſinus ille Demetrius turbis ac tumultibus declarat ſuis, quos in Paulum Apoſtolum [c] excitavit, quod parva ex argento templa, quorum ipſe erat venditor, eo Evangelium praedicante, emtores deſiderarent. Erant & ſacrae aediculae quandoque immobiles, vel [d] in agris, vel [e] in Circo, vel [f] intra, vel [g] extra delubra ac fana, & interdum in privatis domibus, uti apud Hejum in Sicilia fuiſſe teſtatur Cicero contra Verrem, & de aliis alii abunde ſcribunt. In domorum Larariis aediculae [h] Laribus dicabantur ac Diis domeſticis, quare in lapidibus non raro legitur APOLLINI DOMESTICO, LARIBUS DOM, aut GENIO DOMESTICO, quem a nonnullis perperam confundi cum Laribus copioſe docet Paſſerii, magni in primis viri, eruditiſſima [i] diſſertatio. Ex hiſce imagunculis, vel ſigillariis, aut ſigilliolis dicti ſunt *Sigillatores* [k] *Figuli*, & *Flatuarii* [l] *Sigillarii*, nonnunquam etiam [m] *Sigillia-*

D *ria-*

a *Diodor. Sicul. I. in fine, & Herod. II. 63. ac Macrob. I. 23. Sat.*
b *Panvin. de Lud. Circ. Lucian. de Dea Syria.*
c *Act. XIX 24. vid. S. Joan. Chryſoſt. Hom XLII. & Cornel. a Lapid. in hunc loc.*
d *Annibal. Oliv. in Not. ad Marm. Piſaur. pag. 18.*
e *Panvin. loc. cit.*
f *Donat. de Urb. Rom. II. 4.*
g *Plin. H. N. XXXV. 9.*
h *Luamprid in Alexandr. Plin H N. XXXVI. 5. Bonarrot. ad Num. Carpin. pag. 150. 151.*
i *Vid. Tom. III. Muſ. Etr.*
k *Annibal Oliv. loc. cit. pag. 197.*
l *Reines. Claſſ. XI. n. 89.*
m *Fabrett. Antiq. Inſcr. pag. 177. num. 359.*

riarii, & vicus quidem in urbe *Sigillaris* eſt nuncupatus, ut prudenter conjicit Rodulphinus Venutus, qui Harpocratis [a] aediculam in carneola ex cimeliis Strozzianis explicans, ad illius exemplum facta fuiſſe exiſtimat geſtatoria Deorum templa, quae per vicos & compita vehebantur. Ceterum de his aediculis conſulendus eſt Bonarrotius [b], & non legenda quidem, ſed perlegenda diſſertatio, quam Canonicus Philippus Venutus Rodulphini frater ingenioſiſſime [c] elaboravit.

XI. Ad ſecundam ſignorum ſpeciem pertinent Icones, ad tertiam Coloſſi, de quibus mox dicam aliqua generatim, quum ſermo erit de ſimulacrorum ornatu, & conſecratione. Inter idola corpus integrum exhibentia numerantur & ſigna Panthea, quae nonnunquam Deos aliquot ſimul conjunctos repraeſentabant, aliquando unum ex legitimis majorum gentium Deum caelatas multorum Deorum imagunculas praeſeferentem, frequenter demum unum exhibebant Deum multorum parerga, ſive inſignia Numinum continentem. Templum Agrippae impenſis aedificatum Dio [d] Pantheon dictum putat, quod ſimulacra Martis, & Veneris multas Deorum imagines continerent: Lucianus autem [e] Junonem deſcribit habentem quidpiam Minervae, Veneris, Lunae, Rheae, Dianae, Nemeſis, & Parcarum. Ob munificentiam SS. D. N. Benedicti XIV. ſpectatur in Capitolio ex Muſeo Chiſiano imago ex aere deaurato, quae tres figuras muliebres obverſis tergis conjunctas oſtendit. Harum media funem praefert utraque manu: altera ad dexteram poſita tenet ſerpentem dextra, laeva clavim anti-

a *Collect. Rom. Antiq. pag. XXX.*
b *Numm. Get. X. pag. 217. & ſaepe alias ibid.*
c *Tom. II. Saggi di Diſſert. nella Nob. Accadem. Etr. di Cortona.*
d *Lib. LIII.*
e *In Dea Syr. vid. Muſ. Veronenſ. pag. 91.*

tiquae formae: tertia ad ſiniſtram collocata ſtimulum, vel gladium dextera, laeva flagellum oſtentat. Signum huic ſimile Spanhemius profert in nummo Gordiani Pii, & in Philippi ſenioris Abbas Seguinus, a quo hae figurae ad Furias referuntur, tam [a] a Graecis, quam a [b] Romanis religioſe cultas: ſed Michael Cauſaeus [c] prudentius explicat Hecatem tergeminam ac triformem. Statuam eadem hac forma e marmore paucis abhinc annis Eminentiſſimus Cardinalis Alexander Albanus dono dedit nobiliſſimo Abbati Rodulphino Venuto, munus cum alterius liberalitati, tum utriuſque eruditioni maxime conſentaneum. Signa vero, quae multorum continent parerga Numinum, non pauca invenies in antiquis gemmis ac numiſmatibus. Habet explicatque Cauſeus duo, in quibus [d] capitis ornamentum Iſidem; ſemicirculus Lunam; radii Solem; pharetra Cupidinem; alae Victoriam, & Neſim; ſerpens brachio intortus Aeſculapium, & Hygiaeam, ſeu ſalutem; pellis caprina pendens ex humeris ante pectus Bacchum; gubernaculum Fortunam; fulmen Jovem indicat, & cornucopiae Oſiridem, Iſidemque. In eleganti Antonii Borioni ſigillo, interprete [e] Rodulphino Venuto, Canopus, velut in nummo [f] Othonis, hydria clauſus, aut ventricoſus praeter Anubim, ſimiam, corvos, lotique flores, & alia Iſidem, Oſirimque ſignificantia, Genios habet in templo, vel in ara duos, Harpocrates, ſeu Daemones averruncos item duos, & ſupremi aeternitatem Genii globo anguibus circumdato [g] adumbratum,

D 2

a *Pauſan. in Arcad. & Corinth.*
b *Cic. III. de Nat. Deor.*
c *De Deorum ſimulacr. in Graev. Antiq Rom. Tom. V.*
d *Loc. cit.*
e *Loc. cit. pag. 3.*
f *Vaillant. Numm. Graec. pag. 19. & Patin. 135.*
g *Kirch. V. Obeliſc. Pamphil. pag. 399. & ſeq.*

tum , tum ſerpentem erecto capite Mentis ſymbolum; Scarabeum denique , ut inſaniſſima erat opinio , ſolis effigiem [a] animatam, & Aegypti praecipuum amuletum ad faſcinum avertendum & procurandam felicitatem . Adulatio conſecratis Caeſaribus inter alia nomen etiam Pantheorum indidit & ſigna Panthea dedicavit ; quare Auguſtum , aut Tiberium ſignificari Reineſius putat in hac inſcriptione:

HERCVLI . MERCVRIO . ET . SILVANO
SACRVM . ET . DIVO . PANTHEO . EX . V

Druſilla hoc quoque nomen adepta eſt, poſtquam a fratre Caligula divini ei honores decreti ſunt , extructumque fanum . De hoc ſignorum genere , quae parvis incluſa aediculis ſolemni ritu in pompis deferebantur, Cauſeus notat , veteres philoſophos unum Deum admiſiſſe, pro vario officiorum genere , variis nominibus appellatum, quo ait pertinere illud Plinii : *fragilis* [b] *&* *laborioſa mortalitas in partes iſta* (Numina) *digeſſit*, *infirmitatis ſuae memor* , *ut portionibus quiſque coleret* , *quo maxime indigeret*. At Cauſeus , bona cum venia dixerim, non philoſophis tantum, ſed omnibus omnino populis fateri debuit unius Dei notitiam fuiſſe ingenitam, id confirmante Propheta [c] *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui*, *Domine* . S. Auguſtinus Ethnicorum auctoritatibus evincit , [d] multos olim Deos in uno eodemque Jove, variato nomine, latuiſſe, hoc eſt ſupremum Deum fuiſſe ubique cognitum , ſed pro variis proprietatibus varia nomina ſortitum eſſe. Siquidem *Dei appellatio*, ut egregie inquit S. Juſtinus, *nomen non eſt* , *ſed Dei inenar-*

ra-

a *Plin. H. N. XXX. 11.*
b *H. N. II 7. Senec. IV. de Beneſ. & Macrob. I. 17. Saturn.*
c *Pſal. IV.*
d *De C. D. IV. 31.*

rabilis [a] *naturae hominum inſita opinio* ; cujus ſententiae veritatem Tertullianus confirmat ex ipſius animae teſtimonio, [b] quae licet falſis Diis addicta, ſi ſemel tamen tanquam ex crapula reſipiſcat, non *Deos* quidem, ſed *Deum* nominat, in periculis autem & in anguſtiis non plura Numina, ſed unum invocat imploratque. Et quanquam cum Seneca [c] modo dixerim, Romanos olim jurare per Deos fictiles conſueviſſe, Lactantius [d] tamen id negat, & apud eos obtinuiſſe ſcribit, ut ſive jurarent, ſive cuperent, aut gratias agerent, non Jovem, aut multos Deos, ſed Deum nominarent. Neque id obſcure declaraverunt in ſignis Pantheis. Quid enim haec erant aliud, quam collecta in unum multorum parerga Numinum, ſeu pro multis Numinibus unus Deus? Haec vero ſigna non Aegypto, non Graeciae, non Italiae modo, ſed Sinis etiam fuere cognita.

XII. Certe ad ſigna Panthea referri poſſe exiſtimo idolum ex aere inauratum palmaris altitudinis, aut paulo ſecus, quod Romam detulit ex regno Nekpalenſi P. F. Joachimus a S. Anatolia Ordinis Capuccinorum, & oblatum voluit Pont. Max. BENEDICTO XIV., cujus juſſu Bononiam tranſmiſſum eſt collocatumque in celeberrima Inſtituti Academia. Italicam ejus deſcriptionem exaravit & mihi perbenigne huic opellae intexendam tradidit Marchio Joannes Petrus Locatellius Mediolanenſis, cui doctrina ineſt nobilitati par, & conſociata utrique adjunctaque humanitas ſingularis. Idolum nomine BISNV mulierem repraeſentat indutam tunica corpori aptiſſima, nudis cruribus pedibuſque. Veſtem gerit undique criſpa-

a *Apologiae cap. 2. vid. Clem. Alex. V. Strom. & S. Gregor. Orat. V.*
b *Apolog. 17.*
c *Num. II.*
d *Lib. II. 1.*

ſpatam corrugatamque ad latera ſupra talos in duo ſerpentum capita deſinentem. Nuda eſt pectoris exigua pars eo ferme cultu, quo matronae Europeae, quum ſui ſpectaculum faciunt, ſtrophia gemmis illuminata in pompis ferunt; & gemmas quidem hoc ſimulacrum in ſummo veſtis ad pectus habuiſſe dixeris; nam locus in medio eſt vacuus, qui gemma certe aliqua diſtinguebatur. Ejuſmodi eſſe ornatus videtur zona, quae lumbos cingit. Suſpenſa ab humeris taeniola cadit inſtar arcus ad genua, ubi gemmis ſimillima ſunt ornamenta duo. Siniſtro ex humero alia pendet poſt tergum taenia, quae ad dexterum latus veluti arcus ſub ventrem fertur, atque iterum oblique aſcendens bifariam diviſo pectore ad laevam vergit, & unde venerat, ſiniſtro in humero conquieſcit. Habet brachia idolum quatuor uſque ad cubitos induta manicis perquam aptis, quarum extremitas in ornamenta definit, quae gemmas referunt, ſintne hyacinthi, an aliae, italice *Granate*, incertum. Eadem elegantia armillae ſingulas ad manus nitent. Brachium & manus anterior utraque paululum protenſa eſt, tenetque laeva ſcipionem teretem, & ſquillam dextera, ſive ſtrombum. Quae poſtica ſunt brachia, convertunt ad occiput utramque manum, quarum dexterae, quid ineſſet, niſi teſtudinem ſuſpiceris, omnino latet, ſiniſtra florem habet humero quaſi innixum, cui aliquam ornatui fuiſſe gemmam, vacuus, qui ſupereſt, indicio eſt locus. Protenſi ſunt crines & cincinnati, nec eorum elegantiae inaures cedunt ſpecie ſatis & praeſtantia ſpectabiles. Tiara, ſeu mavis cidaris ineſt capiti ex plumis, non aequalibus quidem, ſed ſcite diſpoſitis ordinatiſque; nam fronti altiores imminent, ceteris utrinque ordine decreſcentibus, omnes autem & rectae

ctae inſiſtunt, & intextis quibuſdam floſculis circumfulgent, in quorum medio, quas ſupra dixi, gemmae deſcriptae ſunt, quae plumas claudunt in orbem aptiſſime diſtributas. Demum ineſt capiti imaguncula hactenus delineatae omnino ſimilis, niſi quod occiput ornatur taenia, quae cidaris, ſeu tiarae extrema nectit, crines autem explicati uno cincinno belliſſime terminantur. Baſis undique corona cingitur eleganter admodum & affabre elaborata: in media baſe ſunt ſeptem ſerpentes ſinuoſis flexibus mutuo implicati, qui, duabus tantum caudis aliquantum protenſis, volumen efficiunt multiplici ſpira tanquam nodo gordiano obligatum, cui ſimulacrum inſiſtit. Parte ſui corporis prolixiore ſurſum feruntur arrecti colubri ſex, & utrinque ad latera aſcendunt terni, ſeptimus vero, ceterorum maximus, ſolus ad tergum ſimulacri attollit ſeſe; donec omnes pariter ad ſigni ipſius & imaguncula ſuperimpoſitae altitudinem efferuntur. Ita producti colubri una ſinguli inclinant colla, criſtatiſque capitibus quandam veluti umbellam, ſeu potius concham efficiunt, nempe loculamentum, in quo tam ſigni majoris caput, quam tota icuncula continetur. Hujuſmodi autem idolo ullane ſit cum Graecorum, ac Romanorum Diis analogia, non auſim dicere, quum praeſertim apud ſcriptores iis de rebus & obſcuritas & diſſenſio maxima inveniatur, hoc autem ſignum qui Romam detulit, ejus duntaxat nomen ſignificaverit, praeterea nihil. Hiſcere ſi tamen liceat in tenebris plus quam cimmeriis aliquas proferam opiniones, quas veluti ludibundus commemorabat eruditiſſimus Marchio Locatellius. Igitur haec habe pauca, Lector benevole, non tanquam diſſerentis interpretis, ſed ſomniantis. Fertur iis in regio-

gionibus Deorum ordines admitti duos, caeleſtium ſcilicet, ac terreſtrium, & ſeptem quidem ſpiritibus [a] conſtare primum, orbe condito antiquiorem: ſeptenarium praeterea numerum tanti eſſe, ut [b] templo is careat ad ſeptem dies, qui ſanguine ſe foedarit ſive proprio, ſive alieno; item tirones ſacerdotes [c] ſepties quotidie frigida ſeſe abluant; ſeptem denique maria ſibi fingant, & totidem ibi Elyſios, voluptariis alios, alios ſapientibus deſtinatos. Dracones porro ſummopere a Sinenſibus coli dictitant, & [d] ab iis ſomniari alatum draconem ſuum a teſtudine natum eſſe, quae Dei ſymbolum habetur, cujus viribus creditur rerum haec univerſitas ſuſtineri. Ferunt demum in [e] Jndiis orientalibus hanc a ſapientibus fabellam tradi, propter ruinam immenſi cujuſdam montis, terram olim in praeceps coepiſſe ferri, & perituram prorſus fuiſſe, ſi in tanto caſu beneficus ille Deus, quem VISNU appellant (idem fortaſſe ac BISNU) in teſtudinem converſus terram non ſuſtentaſſet. Haec ad myſteria prorſus Europae ignota, vel meras potius ſycophantias, qui riſum teneat, aliqua jam ex parte hinc videt ſimulacri ſymbola explicari. Terete bacillo imperii ſceptrum; quatuor brachiis potentia; cochleâ marinâ, ſeu ſquillâ ſeptem maria, & elyſii; ſeptem ſerpentibus totidem Spiritus, ſive Dii mundo antiquiores; ſimulacro his inſignibus exornato Deus ille beneficus deſignatur, ſive terrarum ſtator, idem plane ac ſuperum pater atque hominum rex, quem Romani Jovem Optimum Maximum nuncupabant. At quid cetera ornamenta ſibi volunt? quid illa in primis, quae inſiſtit capiti, imaguncula? Hic enimvero

a *Salmon. Tom. II. pag.* 90. 91.
b *Idem pag.* 103
c *Barner. Tom. I. lib. II. c.* 8. *pag.* 129.
d *Kirk. Sin. illuſtr. pag.* 187.
e *Barner. loc. cit. c.* 7 *pag.* 128.

vero mihi aqua haeret, & ſicui non haereat, is profecto jam erit mihi magnus Apollo.

XIII. Ad ſimulacrorum ornatum venio, ac primum de coronis pauca, de quibus licet Paſchalius tam multa ſcripſerit, me tamen hujuſce curae non pudet. Coronae olim dabantur nemini, niſi Deo: propterea Homerus eas caelo tantum, & praelio tribuit, viritim vero nemini ne in certamine quidem. Tantum erat in coronis omen, ut abſque illis fere nihil veteres auſpicarentur, quod multorum teſtimoniis Laurentius [a] proſequitur in ſua Polymathia. Mos erat ex floribus, aut arbore Diis dicata corollas texere, eorumque aut capitibus imponere, aut projicere ante pedes, auctore Propertio:

Ut caput in magnis, ubi non eſt attingere, ſignis
Ponitur hic imos ante corona pedes.

Simulacris grandioribus & coloſſis, ut coronae imponerentur, ſcalae miniſterium adhibitum indicat mulier in vaſe fictili Bibliothecae Vaticanae tenens dextera parvam ſcalam, cujus munus hoc fuiſſe Gorius [b] arbitratur, ut corollas, taenias, placentas, aut alia dona ſuſpenderet, niſi mavis ornatricem hanc fuiſſe mulierculam, & ſcalam attuliſſe, ſimulacrum ut comeret ornaretque, de quo ritu mox aliqua dicenda ſunt. Coronas lemniſcatas, & lemniſcos nonnunquam aureos in uſu fuiſſe ſatis non tam ex [c] Plinio, & [d] Feſto, quam [e] ex Bonarrotio diſcimus, quemadmodum paterae quoque aureae, & victoriolae, de quibus Valeſius [f] accuratiſſime diſputavit, porrectis Deorum manibus ſuſpendebantur, quas Dionyſius tyrannus tollebat, eas ſe accipere, non auferre dictitans, per-

E quam

a *Lib. I. 3.*
b *Muſ. Etr. Tom. II. Cl. III.*
c *H. N. XXI. 3.*
d *Lib. X.*
e *Loc. cit. ad Tab VII num. 8. pag. 128.*
f *In not. ad Ammian.*

quam ſtultum eſſe [a] argumentando, a quibus bona precamur, ab iis porrigentibus nolle ſumere. Coronae quoque inſcriptae Diis offerebantur, teſtandae ſcilicet pietati, aut potius oſtentandae, atque hoc obſervatum etiam in aliis donariis legimus, quorum materia, aut moles ſi litteras non admitteret, picta, vel [b] inſcripta tabula adjungebatur. Etruſci, quorum mos fuit ſimulacrorum manus terebrare, ſiquid ea geſtare vellent, coronas [c] etiam duplices & radiatas, gemmis aliquando inter folia internitentibus, adhibuerunt, ſicuti Veſpaſianum ferunt coronas ex cinnamo, auro interraſili in templis [d] capitolii, & Pacis dedicaviſſe. Aurum argentumque *interraſile* (cujus eſt frequens mentio, ubi de *gabatis* agitur, ſeu *catinis alveatis* [e], quos inter ſacrae menſae miniſteria Chriſtiani veteres adponebant) eſt per intervalla laevigatum & politum, ut explicant [f] Cangius, & [g] Fontaninus, & *raſili* opponitur: nam aurum argentumque *raſile* Aeneas Vicus [h] dicta ait ſimulacra laminis planis, raſiſque & politis confecta: italice *liſcio* nuncupamus. Coronae ergo interraſiles erant per intervalla laevigatae, non *rareſcentes & perforatae* [i], qualis Bollandi ſociorum ſententia eſt, quam merito rejicit Cl. Fontaninus. Coronis aureis argenteiſque gemmas Ethnici & numiſmata inſerebant cum imaginibus Caeſarum, Principum, ac Deorum, fortaſſe hoc ritu, Blanchino interprete [k], ab Hebraeis deſumto, apud quos ſummus Sacerdos ſacram coro-

a *Val. Max. I.*
b *Tibull. Eleg. 13.*
c *Gor Muſ. Etr. Cl. III. tab XXXIV. Tom. II.*
d *Plin. XII. 19.*
e *Cangius in Gloſſar. Graeco. V. gabathon.*
f *In Gloſſ. Latin V. interraſilis.*
g *Comment. de Diſco Vot. Arg. cap. 2.*
h *In Commentariis pag. 129. edit Ald. 1562.*
i *Tom. III. Maji pag. 395.*
k *De Cyclo, & Kalend. Caeſ.*

coronam gerebat, in cujus medio fulgebat lamina auguſto & ineffabili Dei nomine inſignita. Conſtantinus imperator ejuſque ſucceſſores, ut Chriſto illata opprobria in gloriam verterent, ſacrum hunc ritum renovarunt, Chriſti monogramma, aut Crucis imaginem in nummis & coronis imprimentes, in iiſque potiſſimum, quae uſui erant, quum primo imperii diadema ſuſcipiebant, cujus ſane rei documento eſt magna illa corona aenea in praeſtantiſſimis Baronii Annalibus [a], quam Blanchinus profanae & Eccleſiaſticae antiquitatis pereximius illuſtrator iterum incidendam [b] curavit. Veterum ſuperſtitio non minus Deos, Deaſque coronabat, quam Sacerdotes, aras, victimas, & aſellos ipſos [c] donaria deferentes.

XIV. Idolorum veſtitores apud Firmicum [d] tacite docent, Deorum ſtatuas propriis ornari veſtibus conſueviſſe, cujus ritus fidem facit egregiam Tertullianus: *purpura*, inquit, *&* *cetera* [e] *dignitatum inſignia.... idolulatriae ab initio dicata habent profanationis ſuae maculam, quum ipſis etiam idolis praetextae & trabeae & lati clavi, faſces quoque & virgae praeferantur*. Probus in oriente ſalutatus a militibus imperator, pallio purpureo ornatus dicitur, quod de templi [f] ſimulacro ablatum eſt. Hae porro veſtes potiſſimum in Etruria materiane mirabiliores eſſent, an pulchritudine dubium eſt. Nam Demſterus, Bonarrotius, & Gorius veſtes admirantur floridas, palmatas, ſcutulatas, quae gemmis ſparſae & ſplendidiſſimis quibuſdam globulis, vel radiis fimbrias habent elegantiſſimas & vario arti-

a *Vol III.*
b *Ibid. Tab. III.*
c *Fabrett ad Tabell. Iliad. & Alex. Neap. Gen. Diar. IV. 17.*
d *Lib. III* 12.
e *De Idolol.* 18.
f *Vopiſc. in Vit.*

ficio elaboratas ; tunicas autem interiores & materia & opificio pretioſas, ac plumario interdum opere fuiſſe inſignes, id quidem cernimus in muſeo [a] Etruſco, nec ſine magna admiratione. Eodem in loco lunati calcei nunc aperti, nunc clauſi, loriſque [b] ad ſuras revincti, interdum crepidae, vel cothurni opificio perelegantes, & reliqua veſtium concinnitas ac majeſtas facit ſui ſpectaculum ſingulare. Ceterum non tam in Etruria, quam alibi ornatus pars erant maxima veſtes aureae, unde anſam habuit Dionyſii majoris cavillatio in Jovem, cui detraxit aureum amiculum, utpote *aeſtate* [c] *gravem*, *hieme frigidum*, laneo injecto pallio, quod diceret aptum eſſe ad omne tempus. Atque ut Cicero huic tyranno parcere ne recuſet, veteres quoque illi Romani heroes veſte item aurea [d] Apollinem Carthagine nudaverunt. Inaurata vero, ut nihil dicam de aureis, paſſim fuiſſe ſigna, ſatis hoc quidem praeter hiſtoricos Juvenalis diſerte docet: [e]

Confer & hos, veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandae religionis, & populorum
Dona, vel antiquo poſitas a Rege coronas:
Haec ibi ſi non ſunt, minor extat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat,
An dubitet ſolitus totum conflare Tonantem?

Iccirco validiſſimis clavibus ingentibuſque clauſtris, tum aedituis & excubitoribus, quos ſubſannat [f] Arnobius, adjuncti ſunt vigiles urbani, & milites, qui huic [g] malo

a *Tom. II. Cl. I. Tab. VII.*
b *Ibid. Cl. I Tab. I & alib.*
c *Cic. I de Nat. Deor.*
d *Val. Max. I. 1.*
e *Sat. XIII. 147.*
f *Adverſ. Gent. V.*
g *Tertull. Apol. 29. & VI. Arnob.*

lo obviam irent ; certus praeterea magiſtratus eſt additus , qui hanc curam habebat & [a] *Comitiva Romana* appellabatur .

XV. Jam veſtium concinnitati ac pretio ornamenta quoque cetera addenda ſunt . Ut viris ac feminis illuſtrioribus ornatores ornatriceſque aderant , ita etiam Diis , Deabuſque ornatores adſignatos & ornatrices Gorius [b] exiſtimat, auctoritate ductus [c] Auguſtini, & [d] Tertulliani hanc deridentium inſaniam Ethnicorum . Itaque praeter coronas , encarpos , lances, flabella , pocula & alia hujuſmodi , mulieres ſimulacris [e] ſpecula pectineſque eburneos offerebant , & in Demſteri [f] monumentis ornatrices ſpeculum ante Junonem tenent . Caeſaries apud Demſterum ipſum , Bonarrotium , Gorium vel brevis , vel prolixa occurrit , nunc revincta poſt humeros, nunc ſoluta , ſed concinne diſpoſita , potiſſimum in Junone elegantiae praeſide ac feminarum genio [g] perfamiliari . Idola pariter variis coloribus picta olim fuiſſe teſtatur Pauſanias [h] , & potiſſimum minio illita plane indicat apud Tullium [i] *Minianus* Jupiter , ad quem ritum hos Virgilii verſus [k] :

Pan Deus Arcadiae venit, *quem vidimus ipſi*
Sanguineis ebuli baccis, *minioque rubentem*,

pertinere Servius interpretatur, additque manus quoque triumphantium fuiſſe , quum ferrent Jovis inſignia , miniatas . Ornari annulis, & unguentis perfundi Deorum ſtatuas ſtatis diebus conſueviſſe , prae ceteris teſtantur Pli-

a *Caſſiod. Var. VII.* 13.
b *Loc. cit. Cl. III Tab. CLXII. & ſeqq.*
c *De C. D. VI.* 10.
d *De Jejun.* 16.
e *Apul. in pompa Iſiaca Mileſ. XI. & Florid. XV.*
f *In not. ad Roſin. Rom. Antiq. II.* 6.
g *Idem ibid.*
h *Lib. VII. & IX vid Bonarrot. in Numiſm. magn. mod. pag.* 447.
i *Epiſt. Famil. IX.* 16.
k *Eclog. V. & Plin. H. N. XXXIII.* 7.

Plinius [a], & Tibullus [b]. Item lunatae umbellae eorum capitibus imponebantur [c] ne ab avibus conſpurcarentur, quod Priapus apud Horatium [d] indicat. His omnibus addendi ſunt torques, ſtroppi, inaures, periſcelides, armillae vel purae, vel duplices, bullis aureis ornatiſſimae; tum calathi, ſive modii, tutuli, mitellae, nimbi, ſceptra ac diademata modo pura, modo gemmis nobilitata, de quo luxu non tantum ſigna prohibent, ſed gemmae etiam ac numiſmata dubitari.

XVI. De Torquibus hoc adnotare operae pretium duco, quod perſaepe bullis internitentibus ornarentur, & iis aliquando ad cordis imaginem concinne eleganterque diſpoſitis. Monilia pariter omni erant cultu, cunctiſque elegantiae lenociniis inſignita, ad quam rem videſis anaglyphum antiquum ex vitro opaco ſubviridi ſpectatu dignum, utpote rarum prorſus ac ſingulare, in lucem proditum ex muſeo Victorio in diſſertatione Glyptographica, ubi [e] alatus extat ſive Genius, ſive infans, ex cujus collo pendet utrinque ante pectus monile variis pomis ac fructibus concinne diſpoſitum compactumque, unde diſſertationis Auctor eruditiſſimus acute conjicit, diverſis ſymbolis varia anni tempora conſueviſſe olim in monilibus indicari. Veteris elegantiae mos quoque fuit pro oculis gemmas, oculoſve aureos, aut argenteos ad Deorum Dearumque dignitatem augendam adhibere, nec ab hujuſmodi ornatu Chriſtiani veteres abhorruerunt: nam in Baſilica Conſtantiniana quatuor Angeli argentei *cum gemmis Alabandinis in oculis* [f] memorantur. Ethnicorum parvas hujuſce generis ſtatuas in muſeo Carpineo lau-

a *Ibid. I.*
b *Eleg. II. 2.*
c *Kiping. Ant. Rom. I. 7.*
d *Serm. I. 8.*
e *Pag. 118.*
f *Anaſtaſ. ſeu Pontif. in vit. S. Silveſtr.*

laudat Cl. Senator Bonarrotius, notatque [a] Rapilio cuidam hoc magnae laudi tributum eſſe, quod nempe excelleret in ſtatuarum oculis efformandis ex vitro, aut cryſtallo, aut gemmis. En tibi Rapilii titulus ex Sponio [b]:

M. RAPILIVS . SERAPIO . HIC
AB . ARA . MARMOREA
OCVLOS . REPOSVIT . STATVIS
ſic QVA . AD . VIXIT . BENE

Cauſam porro, cur de oculorum ſplendore in ſimulacris tam ſoliciti eſſent Ethnici, tametſi artis elegantiam fuiſſe fateor, quum hic ornatus non in ſolis Deorum ſignis adhiberetur, tamen haud perperam ſuſpicari me poſſe exiſtimo, ſplendidos idolorum oculos omni prorſus myſterio minime fuiſſe vacuos. Doctorum hominum ea de Diis opinio fuit, quod illi intimas humanae mentis [c] latebras penetrarent, omnibus intervenirent cogitationibus, imo nunquam diſcederent, ac ſemper intuerentur, quali [d] mente quiſque eſſet, & haberent rationem piorum & impiorum. Hinc Senecae [e] praeclara vox, *ille in cujus conſpectu vivimus, ſcit omnia: patemus Deo, approbemus nos Deo*: hinc Thales [f] interrogatus, an facta hominum fallerent Deos? reſpondit, ne cogitata quidem. Iccirco oculos ſimulacris lucidos, tanquam ſcientiae ſymbola, affigebant, ne quid Diis non eſſe obvium indicarent, exiſtimantes fore, ut, ſi mentes eſſent imbutae his opinionibus, metus [g] ſupplicii divini revocaret multos a ſcelere. Felices! ſi quod de Diis, qui *os habent*, & [h] *non lo-*

a *Muſ. Carpin. in Prooem. pag.* 12.
b *Miſcel. Sect. VI. pag.* 232.
c *Senec. Epiſt. LXXXIII.*
d *Cic. de leg. II.* 15.
e *Vid. Lactant. lib. VI.*
f *Val. Max. VII.* 2. *Laert. in Vit.*
g *Cic. loc. cit.*
h *Pſal.* 113.

loquentur, *oculos habent*, *& non videbunt*, de aeterno Numine cogitaſſent. Quid enim ſapientia in Proverbiis? *oculi Domini* [a] *multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem*, *circumſpicientes omnes vias hominum*, *& profundum abyſſi*; quid S. Jobus? *fines* [b] *intuetur mundi*, *& omnia*, *quae ſub caelo ſunt*, *reſpicit* : quid Apoſtolus? *omnia nuda & aperta ſunt oculis* [c] *ejus*. Ceterum in Italia haec, de qua loquimur, elegantia primum Etruſcis placuit, deinde Romanis, qui ab illis plurima mutuati ſunt, praeſertim alas ſimulacris additas, tanquam praecipuum Divinitatis [d] inſigne, quod Etruſci [e] a Phoenicibus, & Aegyptiis didicerunt. At de multiplici ſignorum ornatu plura non ingeram, quum conſtet, varium fuiſſe ad pictorum fictorumque arbitrium, id affirmante Cicerone his verbis: *Jovem*, *& Junonem ea facie novimus*, *qua pictores fictoreſque voluerunt*: *neque ſolum facie*, *ſed etiam ornatu*, *aetate atque veſtitu*.

XVII. Ornatum Conſecratio ſequitur, de cujus caeremoniis ac ritibus multa Dio in Caligula Auguſti templum dedicante, & munia Pont. Max. obeunte. Hac pompa nihil ſolemne magis apud Romanos fuit: ſiquidem die conſecrationis luctu publico, ſiqua de cauſa ſuſceptus fuerat, intermiſſo, veſtes candidas induebant, nec hominem [f] funere pollutum ſinebant aliquid dedicare. Res ibi haud omittenda [g] in mentem venit ex hiſtoria Romana. In dedicanda Jovis aede capitolina Valerius Poplicola, & Horatius Pulvillus conſules ſortiti, uter conſecra-

a *Proverb. XV. 3.*
b *Tab. XXVIII. 24.*
c *Hebr. IV.*
d *Gisbert. Cuper. in Tab. Apoth. Homeri.*
e *Herodian. II. 4. Lucian. de Dea Syr. & Jo. Marſham. Secul. I.*
f *Liv. II. Alex. Neap. Gen. Dier. VI. 14.*
g *Liv. ibid.*

traret, Horatio ſorte evenit; quod aegre ferentes Valerii neceſſarii modis omnibus impedire conati ſunt, ac demum poſtem jam tenenti nuntiarunt, mortuum ejus filium eſſe, funeſtaque familia dedicari ab eo templum non poſſe. Nihil ille a propoſito averſus cadaver efferri juſſit, tenenſque poſtem templum dedicavit. Tria hoc loco notanda ſunt: nobilium in conſecrationibus contentio: conſulum ſortitio: familia denique polluta non mortui affinitate, ſed praeſentia, vel tactu, quod fuſius alibi demonſtrabitur. Conſecratione Deum induci, atque in ſede deſtinata locari [a] putantes Ethnici, lignum, aut lapidem vix conſecratum, ac ſi praeſentis Numinis vis adeſſet, venerabantur. Deos enim, ut ait Petavius, [b] non ſolum humana ſpecie, aut certe corpore praeditos eſſe finxerunt, ſed muta etiam ſimulacra, tanquam vera Numina, venerati ſunt. Verum hic error non omnium fuit, ſed rudium tantum atque imperitorum: ceteri autem facile intellexerunt, in ſtatuis Divinitatem ineſſe nullam, ſed iis veluti inſtrumentis uti Deos putarunt, vel ad exhibendam praeſentiam ſuam, vel ad cultum ſibi certis ritibus conſtituendum; quamobrem Chriſtianos talia ſibi numina exprobrantes irriſerunt aliqui vehementius, praeſertim Julianus Apoſtata in quodam fragmento inter ejus [c] opera nuper edito, & apud Origenem [d] ille Cornelius Celſus, qui propter ſtili elegantiam *medicus Cicero*, & propter peritiam medicae artis *Hippocrates Latinus* a Quintiliano [e] eſt nuncupatus. Gentes igitur Deos quidem appellabant ipſa Deorum ſigna: ſed vim neſcio quam iiſdem ineſſe arbitrabantur, legitimiſque precationibus & carmi-

 ni-

a *Quintil. Declamat. III.*
b *De Deo, Deique Propr. II. 1.*
c *Idem loc. cit.*
d *Lib. VI. 7. Contr. Celſ.*
e *Lib. XII. cap. ult. & II. 15. & III. 6.*

nibus effici, ut ſimulacra conſecrarentur, & conſecratis vel Deus ipſe, aut Dei virtus aliqua inſideret: *neque nos*, ita inquit apud Arnobium [a] eo de grege homuncio, *auri argentique materias, neque alia, quibus ſigna conſiunt, eſſe per ſe Deos, & religioſa decernimus Numina: ſed eos in his colimus, eoſque veneramur, quos dedicatio infert ſacra, & fabrilibus efficit inhabitare ſimulacris*. Ad rem perbelle ait Firmicus: ſimulacrum [b] dum funditur, fabricatur, ſcalpitur nondum Deus eſt: plumbatur, conſternitur, erigitur, nec adhuc Deus eſt: ornatur, conſecratur, oratur, & poſtremo Deus erat, ut homo voluiſſet, aut dedicaſſet. Haec tria igitur in ligno, vel lapide, Deus ut haberetur, requirebantur, Ornatus, Conſecratio, Oratio. Conſecrationis, ut legitima eſſet, multae erant leges, de quibus nunc ſigillatim.

XVIII. Primo legem ferri oportebat. Nam ſtante republica lege curiata, tributis comitiis lata praeficiebatur [c] a populo, qui dedicaret: tum conſecrationis celebritati ſenatum, tribunorumque majorem partem intereſſe decernebatur: demum lege Papyria ne privatas quidem aedes ſine juſſu populi conſecrare licuit; quamobrem Licinia virgo Veſtalis [d] ſummo loco nata, ſanctiſſimo ſacerdotio praedita, quum aram & aediculam & pulvinar ſub ſaxo ſacro injuſſu populi dedicaviſſet, tum praetori urbano negotium datum, ut curaret, ne id ſacrum eſſet, & ut, ſiquae eſſent inciſae inſcriptaeve litterae, tollerentur: aedem enim qui conſecrabat, ſuum inibi de more nomen [e] inſcribebat. II. Luſtratio areae ſequebatur ramis felicibus fieri ſolita a militibus, quibus fauſta eſſent no-

a *Lib. V. adverſ. Gent.*
b *De Error. Profan. Relig. pag. 27.*
c *Liv. lib. IX. 36.*
d *Cic. pro Dom.*
e *Dionyſ. IX.*

nomina, ſuccedentibus deinde Veſtalibus cum pueris puelliſque patrimis ac matrimis, aqua pura univerſam aream perluentibus. Magiſtratus ſuovetaurilibus praeeunte Pontifice luſtrabant ſpatium, & extis ſupra ceſpitem redditis orabant Deos, aedes uti extollerent ſuas; tum ſolemni ritu [a] fundamenta jaciebant, injecto lapide, qui [b] dicitur AVSPICALIS apud Gruterum. III. Abſoluta aede fiebat a magiſtratu majore dedicatio, voxque requirebatur ad religionem compoſita, minimeque haeſitans: ſi enim Pontifex verbo oberraſſet, conſecratio, quaſi minus recte facta, inſtaurabatur, adeoque Metellus *inexplanatae linguae multis menſibus* [c] *tortus creditur, dum meditaretur in aedificanda aede OPIFERAE dicere*. Cicero ad Pontifices pro domo ſua in dedicationibus mentem, vocem ac linguam ſtabilem fuiſſe perneceſſariam ſcribit, & Clodium arguit, quod praepoſteris verbis, & omittendo aliquid & identidem ſe revocando, dubitans, timens, haeſitans omnia aliter, ac ſacris in monumentis eſſent, & pronunciarat, & fecerat. IV. Manus Pontificis poſtem tenentis a dedicante [d] implorabatur. V. Sabina [e] herba in uſu erat, ſicuti & vox ΑΓΑΘΗΤΥΧΗ boni [f] ominis gratia. VI. Si in loco, ubi templum, vel ſimulacrum dedicabatur, aliquod jam Numen eſſet, illud certis caeremoniis [g] evocabatur, quod erat exaugurare. Niſi certis Diis, ut Polluci, & Caſtori; Apollini, & Dianae; Veneri, & Adonidi; Cybeli, & Atti, ceteriſque Conſentibus, de quibus *vid. Inſcr. XXX.*, qui ſocietatem quandam habere inter ſe dicebantur, non licebat unam cellam pluribus ſimul Diis

a *Tacit Hiſt. IV.*
b *Theſ. Ant. XXXIX.*
c *Plin H. N. XI. 32.*
d *Cic. loc. cit.*
e *Alex Neap. loc cit.*
f *Fabrett. Ant. Inſcr. I. num. XXXI.*
g *Scholiaſt. Pindar. ad Olymp. Od. V. 10.*

dicare, ne ſiquid prodigii accidiſſet in ea, ignoraretur, utri rem divinam [a] fieri oporteret: itaque Marcellus Claſtidio prius, deinde Syracuſis potitus, templum Honori, & Virtuti nuncupatis debitum votis conſecraturus, Pontificum monitu utriuſque ſimulacra [b] in ſeparatis aedibus collocavit. VII. Quum in ſolemnibus Deorum ſacris hymni canerentur collatis ad tibiam vocibus, quas Deorum *exercitationes* [c] Arnobius nuncupat, iccirco muſicos concentus & hymnos cum tibiis paribus, & imparibus non defuiſſe conſecrationibus reor, quod confirmare videtur lapis infra poſitus Silvano dicatus:

TIBI. HASCE. GRATES. DEDICAMVS. MVSICAS.

VIII. Tandem Conſul, aut Imperator accenſo foculo cum tibicine praeeunte verbis priſcis ac ſolemnibus, uti ex numiſmatibus marmoribuſque anaglypticis edocemur, Pontifice praefante carmen capite velato, concione advocata, & invocato Numine, cui ſimulacrum, aut templum dedicabatur, ſeſe ex profano uſu & humano jure, quaecunque eo pertinerent, eximere, & ipſi, quod nominabat, Numini divina humanaque conſecrare affirmabat, cujus ritus teſtimonium extat in marmore Romae oblongo per negligentiam in duas partes [d] diviſo. Dixi conſecrationes conſuli, aut imperatori demandatas: ſemper enim hoc munus virorum principum fuit; ſecus ſiquando contigit, tanquam quid inſolitum notatum eſt. Nam certamine inter conſules orto, uter dedicaret Mercurii aedem, quum, ſenatu rem ad populum rejiciente, hic M. Laetorio centurioni id muneris commiſiſſet, illud ait Livius *non tam* [e] *ad honorem ejus, cui curatio altior faſti-*

a *Val. Max. loc. cit.*
b *Idem ibid. & Liv. Dec. III. lib. VII.* 25.
c *Adv. Gent. VII.*
d *Grut. Theſ. Ant. pag. LXI.*
e *Liv. II.* 14.

ſtigio ſuo data eſſet, factum, quam ad conſulum ignominiam. Dedicationi aliae interdum leges additae ſunt, quae in vetuſtis lapidibus habentur a Briſſonio [a] enumeratae, a quo & variae dedicandi formulae diligenter exſcriptae ſunt.

XIX. Simulacra vero quotquot in urbe, aut in agro eſſent, his caeremoniis conſecrata fuiſſe omnia, nemo ſane affirmabit: ea porro, quae privatis aut in aedibus, aut agellis erant, ritu ſolemni ac publico civitatis inſtituto dedicata fuiſſe ſingula, & pro ſacris habita non ſolum nego, ſed etiam pernego. Singula dico: nonnulla enim privato in loco dedicata pro ſacris habita ultro fateor, ea potiſſimum, quae ex haruſpicum ſententia conſecrabantur, & ex privato tranſibant in uſum publicum, qualis fuit ara, cujus hic extat titulus apud Gruterum [b]:

DEO . FVLGERATORI
ARAM
ET . LOCVM . HVNC
RELIG
EX . HARVSPIC . SENT
Q. PVBLICIVS . FRONT
POS . ET
D D

Aram & titulum huic ſimilem habet marmor nuper inventum in Eſquiliis in vinea PP. Societatis JESU, ubi legitur FVLGVR . DIVM. Pro ſacris habita in primis loca, ubi magiſtratus litare quotannis tenebatur, atque id fieri conſueviſſe palam faciunt vetuſti lapides. Arae igitur, aut ſimulacra, vel alia id genus privatis in locis dedica-

ta,

a *Vid. Form. I.* b *Ibid. pag. XXI. 4.*

ta, ſi e privato tranſirent in uſum publicum, ſacra habebantur, ſecus autem, privato ſi uſui deſervirent. *Sacrae enim res*, inquit Juriſperitus, *ſunt* [a] *hae, quae publice conſecratae ſunt, non privatim: ſiquis vero ſacrum ſibi conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum*. Hujus conditionis erant Lararia, in quibus cubiculares imagines ponebantur, quarum cuſtos aut ſervus erat aliquis, *magiſter* [b] *Lararius* nuncupatus, aut quiſpiam ex domini filiis, ut a pueritia tum ſacra diſcerent, tum majorum gloriam, quorum imagines, non quidem fuiſſe cereas, ſed marmoreas, aut aeneas, ſaepe etiam aureas, vel argenteas in Larario adſervatas alibi demonſtrabitur. Tenuiores familiae loco Lararii habebant focos, in quibus Lares ſuos colebant floribus, vino, unguentis, thure & quandoque victimis, quae ſacra Cicero nuncupat [c] *Penetralia*. Haec ſacraria erant quidem ſancta & religioſa, non ſacra: *aliud eſt enim eſſe ſacrum locum, aliud ſacrarium: ſacer locus eſt* [d] *conſecratus, ſacrarium eſt locus, in quo ſacra reponuntur, quod etiam in aedificio privato eſſe poteſt*. Etenim ſervi, aut liberti in lapidibus dicuntur A. SACRARIO aeque publico, ac privato. Quid ergo de ſimulacris ſentiendum, quae privatim, non publice colebantur? ea quidem dedicata fuiſſe, non conſecrata.

XX. Conſecratio, dedicatioque, quia conjunctim peragebantur promiſcue tanquam ſynonima uſurpantur: at ſi vocabulorum proprietas ſpectetur, *conſecratio proprie ad caeremonias pertinet*, ſicut rem praeclare definit [e] Alexander Symmacus Mazochius: *dedicatio mera eſt encaenia-*

a *Marcian. V. §. 3.*
b *Laurent. Polym. III. 2. & Blanchin. in ſepulcr. Famil. Aug. inſcr. 123.*
c *VI. Act. in Verr.*
d *Ulpian. l. 9. §. 2. de Divis.*
e *Comment. in Mutil. Camp. Amphit. tit. & de Dedic. ſub Aſcia pag. 141.*

niatio, ſeu primus rei cujuslibet uſus. Hoc ſenſu dedicandi vocabulum ſancti Eccleſiae Patres non ſemel adhibuerunt. Nam S. Hieronymus [a] de Cornelio centurione, *primus*, ait, *ab Apoſtolo baptizatus ſalutem gentium dedicavit*: S. P. Chryſologus Stephanum Protomartyrem dicit [b] *Martyrium dedicaſſe*. At ſacra miſcere cum profanis nefas. Ad me redeo. Privatimne eodem plane modo ſigna dicata ſunt, quo ſepta, thermae, lavacra, fora, theatra, macella, & alia dedicabantur? Non ita profecto arbitror. Dedicatio quidem domorum ac ſimilium mera fuit encaeniatio, aliquando ſparſis [c] in populum muneribus, vel ludis, aut [d] conviviis celebrata, exempli cauſa Trebellius in XXX. tyrannis narrat, a Tetricis domum in monte Caelio dedicantibus, convivio adhibitum ipſum Aurelium imperatorem. At ſimulacrorum privatam dedicationem ſi minus publico, domeſtico ſaltem familiae inſtituto ac ritu aliquo factam exiſtimaverim. Certe apud Graecos in dedicationibus legumina elixa propinquis [e] diſtribuebantur, unde Ariſtophanes [f] *teſtor*, ait, *Jovis Haercei ollas, cum quibus ara dedicata eſt*. Jupiter a ſaepiendo, ſeu circumdando dictus Herceus in nobilium Graecorum domibus dicabatur; hinc Harpocration [g] ut Athenienſium ingenuitatem noſceret, interrogabat, an ipſis eſſet Jupiter Herceus, & Apollo patrius? Mercuriales quoque ſtatuas dedicando, ollas polentae offerebant mulieres veſte verſicolore [h], quare Comicus jam citatus:

. . . . . . Ollas iſtas, quibus Deum
Collocabimus, accipe, capiti impone ac defer

De-

a *Epiſt. ad Salvin.*
b *Serm* 152.
c *Svet. in Neron.* 31,
d *Idem in Tito* 7.
e *Laurent. Polym. II.* 43.
f *In Comoed. Ran.*
g *Laurent. Polym. loc cit.*
h *Ariſtoph. Plut. Act. V.* 3.

Digitized by Google

Decenter : ipſa autem ades cum veſtibus verſicoloribus : Athenaeus memoriae prodidit, hoc [a] modo ſimulacrum Jovis Cteſiae dedicatum. Adhibitum ſcilicet vas novum fuit duabus anſis, quibus ex ſingulis pendebat ſertum ex alba lana, aliud item ex flava parti illius anteriori erat alligatum, deinde ante ſignum diffuſa ambroſia, nempe libamen aqua miſtum & melle ac multiplici fructuum varietate. Statuae quoque honorariae, de quibus alibi ſermo incidet opportunus, nihil habebant religionis, niſi a Pontifice dicarentur pane & vino epulantibus diſtributo, ſive [b] in templis, ſive in Principum cubiculis collocarentur.

XXI. In dedicationibus quibuſcunque tam publice, quam privatim factis ſaepe ſportularum fit mentio, quarum nomine non pecuniam, ſed cibos intelligendos admonet Annibal Oliverius [c] nobilitate & eruditione ſpectatiſſimus, qui lapidum [d] auctoritate evincit, ſiquando ſportulae pro pecunia ſint uſurpatae, ſtatim eſſe additam nummorum copiam: ac quemadmodum ſimplici ſportulae mentione argumentatur indicari cibos, ſic Acronem, & Gorium [e] in partes trahens oſtendit, cibos ſportularum nomine diſtributos panem fuiſſe ac vinum, aut potius cruſtulum, placentae genus, ac mulſum, quae minime fuiſſe in epulo comprehenſa manifeſte tradit Spoletina inſcriptio [f] apud Gruterum. Epulas vero in omnibus fere dedicationibus eſſe datas [g] aperte conſtat. His largitionibus preces aliquas hymnoſque ſacros, ac cyclicas ſaltationes fuiſſe de more additas vetus monumentum indicat in Muſeo

a *Deipnoſoph. IX.*
b *Laurent. loc. cit. III 2.*
c *Ad Marm. Piſaur. XL. in not. pag.* 124. 125
d *Ibid. XLIV. & Grut. pag. XXXV.* 12. *CCCXXX.* 2. *CCCVII.* 6. *CCCCLXXXIII.* 7. *& Donian. Synt. Cl. V* 20.
e *Part. I inſcr. Etr. Urb pag.* 324.
f *Pag. DLXXI.* 1.
g *Fabrett. Ant. Inſcr. III. num. IV. Mazoch. Comment. cap.* 3.

ſeo Etruſco, ubi [a] circa arborem Salii pariter, Saliaeque virgines ſaltationem cyclicam, ſive orbicularem agunt greſſibus regreſſibuſque ſtrophen & antiſtrophen exprimentes ad fiſtulae modos, dum interea crepantibus buccis choraules canit, adſtante choriphaeo totius cantus muſici moderatore. Verum quum antiqui codices horum rituum teſtes interierint, tuum hac de re, Lector optime, judicium eſto, ac ſi privatam idolorum dedicationem nihil, niſi meram fuiſſe encaeniationem, ſeu primum cultum adorationemque illis habitam arbitrere, non repugnabo. Nec vero exiſtimes velim, ſolas Deorum ſtatuas, ſed & mortuorum hominum a veteribus privata religione dedicatas, unde idololatriam habuiſſe vires & incrementa divinus ille ſpiritus [b] aperit, qui ipſa veritas nuncupatur. Cujus ſuperſtitionis exemplum patet clariſſimum in quadam Charite apud Apulejum, quae [c] *dies totos, totaſque noctes inſumebat luctuoſo deſiderio, & imaginem defuncti* (mariti) *quam ad habitum Dei Liberi formaverat, affixo ſervitio divinis percolens honoribus ipſo ſeſe ſolatio cruciabat*. Sed haec ſuperſtitio alibi in ſcenam veniet.

XXII. Quoniam ut conſecratio legitima haberetur, ſolemnis etiam oratio ſecundum Firmicum requirebatur, poſtularet hic locus, ut eam verbis exequeremur. Nullus dubito, quin illa oratio conceptis verbis recitaretur: non modo enim in ſacrificiis, ne quid praepoſterum diceretur, ſemper praeibat [d] aliquis, rurſumque alius dabatur cuſtos, qui diligenter attenderet; ſed in votis etiam quibuſcunque concipiendis praeibat haruſpex, aut alius miniſter; itaque matrona apud Juvenalem [e] pro citharaedi victoria,

G ſte-

a *Volum. II. Cl. III. Tab. CLX. & CLXI.*
b *Sap. XIV.*
c *Metam. VIII.*
d *Plin. H. N. XXVIII. 2.*
e *Sat. VI 391.*

. . . . ſtetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput, dictataque verba
Protulit, ut mos eſt, & aperta palluit agna.

Quae autem in conſecrationibus oratio, quaeque verba priſca ac ſolemnia recitarentur, omnino latet; cum libris enim ſacerdotalibus interciderunt. In ſacris Iſidis, ut narrat Firmicus, illius ſimulacro in lectica poſito, poſtquam populus per numerum digeſtis fletibus lamentatus eſſet, hymnoſque cecinifſet, ac jacentis ſtatuae membra compoſita ſaxumque erectum fuiſſet ornatumque, tum omnium, qui flebant, Pontifex ungebat fauces & lento murmure ita ſuſurrabat: *confidite* [a] *initiati ſacris Numinis ſervatoris: eſt enim ex labore nobis ſalus*. Cum felici hac adclamatione ab Epoptis & Myſtis fieri ſolita congruunt haec apud Apulejum [b] promiſſa ſacris ejuſdem Iſidis initiato: *vives autem beatus, vives in mea tutela glorioſus: & quum ſpatium ſeculi tui permenſus ad inferos demearis, ibi quoque in ipſo ſubterraneo ſemirotundo, me, quam vides Acherontis tenebris interlucentem, ſtygiſque penetralibus regnantem, campos Elyſios incolens ipſe tibi propitiam adorabis. Quod ſi ſedulis obſequiis, & religioſis miniſteriis, & tenacibus teſtimoniis numen noſtrum promerueris; ſcies ultra ſtatuta fato tuo mihi licere*. Sed haec neque oratio fuit, de qua nunc quaeritur, & ea varia eſſe debuit pro varietate Deorum, ut diverſae fuerunt hymnorum ſpecies, quarum hae uſitatiſſimae; hypingos Dianae, Apollini paean & proſodia; Dionyſio dithyrambus; Cereri julus; Veneri erotius ſeu amatorius.

XXIII. Nunc inſtituti ratio ad multiplex Adorationum genus nos compellat, atque, ut ordo ſervetur aliquis, rem

a *Firm. loc. cit.* b *Metamorph. XI.*

rem in certa quaedam capita diſtribuemus. Primo qui manuum geſtus in adorationibus; deinde qui motus, ſtatuſve corporis; tum quae veſtes eſſent breviter exequemur; poſtremo nonnulla de votis admonebimus. I. Adorare nihil proprie aliud erat, niſi manum ad os referre & oſculari: hinc Minucius in Octavio: *ſimulacro Serapidis viſo, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens oſculum labiis preſſit*. Manum [a] ad os referebant eo geſtu, ut digitus index in pollice reſideret. II. Solebant quoque manum averſam ad oſculum admovere: quandam enim eſſe in dextera [b] religionem putabant, quae oſculis averſa peteretur. Lucianus [c] hic notat, conſueviſſe pauperes interdum pro ſacrificio manus tantummodo oſculari. III. Dii ſi ſuperi colerentur, ſupinae in caelum manus protendebantur, quare Horatius inquit:

Caelo ſupinas ſi tuleris manus
Naſcente luna, ruſtica Phyllide.

IV. Sacra ſi fierent Diis inferis, ii demiſſis ad terram manibus invocabantur, atque ex Etruſco ritu [d] inter libationes patera quoque & ſimpulum invergebantur. V. Aliquando manum ad os referentes capita ſubmittebant: *qui aderat*, inquit S. Hieronymus, *deoſculari* [e] *manum, & capita ſubmittere*. VI. Deorum ſigna, praecipue genua amplexabantur in magno vitae diſcrimine conſtituti: [f]

. . . *Divum amplexae ſimulacra tenebant.*

VII. Deos tangebant manu vel expanſa, vel ſupina, nunquam [g] digitis pectinatim junctis. Religioſo hoc tactu,

 ut-

a *Apul. Miles. X vid. Kemp de Oſculis, & Lipſ. Elect. II. 6. & Pier. Valerian. XXX. Hieroglyph.*
b *Plin. H. N. XXXVIII. 2.*
c *Dialog. de Sacrif.*
d *Gor. Muſ. Etr. T. I. Cl. III. pag.* 305.
e *Apol. I. ad Ruffin.*
f *Virg. Aen. II.* 517.
g *Laurent. loc. cit. I:* 27.

utpote uſitatiſſimo, Lucretius ſcribit Deorum ſigna ad templorum valvas attenuata:

. . . . . . tum portas propter abena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Saepe ſalutantum tactus, praeterque meantum.

Scite dexteras Poeta memorat, quia ſedes fidei dextra eſt, quapropter ſolis Principibus ac Senatoribus hic honor [a] datus, ut eorum dexteris oſcula figerentur. VIII. Aras tenebant, precabanturque Deos, ut apud Virgilium [b]:

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.

IX. Religioſo tactui addebant oſcula, quae venerabundi Deorum pedibus figebant, quo nomine paulo ante Prudentius arguit Julianum Chriſtianae fidei deſertorem, quem dixit non erubuiſſe, *ſoleas Junonis lambere*. X. *Antiquis Graeciae*, inquit Plinius [c], *in ſupplicando mentum attingere mos erat*, quin etiam Homerus tradit, ſupplicantes barbam tangere conſueviſſe: cui neſcio quid ſimile in praeſens etiam apud Turcas in veneratione habetur. XI. Manum quoque dexteram protendebant, ſicuti duo flumina apud Bonarrotium [d] in numiſmate L. Veri, & apud Virgilium Turnus [e]:

Ille humilis ſupplexque oculos, dextramque precantem
Protendens.

Atvero in Auguſtorum nummis protenſa manus non ſemper voti, ſed aliquando victoriae [f] indicium eſt.

XXIV. Quoad motum, ſtatumve corporis haec notamus. I. Deos adorabant Ethnici aliquando ſtantes, aliquando ſedentes. Quum ſtantes orabant, totum corpus ante

a *Plutarch. in Numa.*
b *Aen. VI* 124.
c *H. N. XI.* 45.
d *Muſ. Carpin. Tab. VI. Num.* 3. *pag.* 94. 95.
e *Aeneid. XII.*
f *Bonarrot. ibid. Numm.* 3. *Tab. XIV. pag.* 260.

ante numinis ſimulacrum [a] velato capite circumagebant:

Nec pietas ulla eſt velatum ſaepe videri
Vertier ad lapidem,

quae converſio ſignificabat, nihil [b] eſſe in rebus humanis ſtabile, nihil certum, atque utcunque Deus verterit libenter & aequo animo accipiendum. Fiebat apud Latinos haec converſio a dextra in laevam, ideo Palinurus ſervus Plautinus [c] dicenti Domino, quo ſe verteret ignorare, reſpondet, *ſi Deus ſalutas dextroverſum cenſeo*. Galli putabant [d] religioſius ſe circumagere laevorſum: Graeci autem quum hymnos tribus partibus conſtantes canerent, earum primam, nempe ſtrophen ab oriente in [e] occaſum converſi; ſecundam ideſt antiſtrophen ab occaſu in orientem obverſi; apoden, qua finiebatur cantus, ante aram, vel ſimulacrum ſtantes concinebant. II. Adoratio ſedendo exhibita ratas preces & in bonis perſeverantiam indicabat [f], cujus ritus alia eſt etiam ratio apud Plautum, nempe quod ſedentis anima ſapientior fieri [g] videretur:

Si tamen hinc conſilium dedero, nimio plus ſapio ſedens,
Tum conſilia firmiora de divinis locis.

Si Servium conſulas [h], & [i] Demſterum, & [k] Gorium, illud accipies, Docentium, & Augurum & eorum, qui vota conciperent, fuiſſe morem antiquitus, ut ſederent. Bibliothecae Vaticanae fictile vaſculum antiquiſſimum ante ſignum [l] Phoenicopteri Iſiaci ſedentem oſtendit virum, qui vota certe aliqua nuncupat Aegyptiorum more, ſacrificulo ad Numen ferculum deferente. III. Finitis precibus

a *Lucret. V. & Barclajus Argenid. II.*
b *Plutarch loc. cit.*
c *Curcul. Act. I. Sc. 1.*
d *Nicol. Mercer. IV. 17.*
e *Joann. Potter. Archeol. Graec. II. 4.*
f *Plutarch. loc. cit.*
g *Muſtell. Act. V. Sc. 1.*
h *Aen. IX.*
i *Tab. III. & XLVII.*
k *Muſ. Etr. Tom II. Cl. I. ad Tab. XIV. & Cl. III. Tab. CLXI.*
l *Gor. loc. cit.*

cibus conſidebant, ne παρέργα ſive neglectim rem divinam [a] facere viderentur: aliquando vero ſedebant, poſtquam orationem adſignaviſſent, in tabulis nempe deſcriptam [b] annulo ſignaſſent ſuo, vel affixiſſent femori, aut genibus ſimulacri. Hanc ſuperſtitionem Tertullianus ita deridet: *aſſignata* [c] *oratione aſſidendi mos eſt quibuſdam*; & paulo poſt, *porro quum perinde faciant nationes adoratis ſigillaribus ſuis reſidendo*. Signorum litteris notandorum familiaris in Etruria conſuetudo fuit, ubi Dii, Deaeque in veſte, in femore, in cruribus, in brachiis inſcriptae apud Gorium [d] obſervantur, ritu nimirum ab Aegyptiis [e] derivato. IV. Alias genua flectebant, unde *geniculatio* & *genicularī* legitur in Tertulliano. V. Deos quoque dum precabantur, ſummis interdum pedibus ſeſe attollebant, quaſi propius ad illos acceſſuri: huc ſpectat illud Martialis: [f]

Multis dum precibus Jovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues.

Ad hunc ritum referendum eſſe Paſſerius [g] judicat ſignum Tuderti ab ipſo repertum, quod ſummis pedibus inſiſtit, ſuppoſitis in extrema eorum parte quibuſdam veluti talis, qui caligulis adhaerebant, ut diutius in eo ſtatu conſiſtere abſque incommodo poſſet. Hinc notandum, Etruſcos, & eorum exemplo [h] Latinos nonnunquam Deorum ſimulacra effinxiſſe eo habitu ſtatuque corporis, quo ipſi ſacrificabant precabanturque, apertis nempe ſublatiſque ad caelum manibus. VI. Inter preces ad orientem ſe converte-

te-

a *Plutarch. loc. cit.*
b *Nicol. Mercer. loc cit.*
c *De Orat.*
d *Tom. II. Muſ. Etr. vid. de ſtatua Memnonis Noord. Antiq. Aegypt. Londin. 1748.*
e *Herodian. II. 4.*
f *Epigr. XII. 78.*
g *Diſſert. de Gen. Domeſt. in Muſ. Etr. Tom. III.*
h *Ibid. Tom. II. Cl. I. Tab. X. num. 2. 3.*

tebant, qui mos fuit & Chriſtianorum proprius, hoc diſcrimine, quod Ethnici nonnunquam ad ſolis ortum labia vibrabant, teſte, ſeu potius deriſore Tertulliano: *ſed & [a] plerique veſtrum affectatione aliquando & caeleſtia adorandi, ad ſolis ortum labia vibratis*. VII. Non ſemel multos horum rituum ſimul conjungebant, & hanc ſalutandi rationem Livius [b] memorant & Plutarchus [c]: ſcribitque Svetonius a L. Vitellio [d] ita Caligulam adoratum. Etruſci poſtquam ſe aquis luſtraverant, ad ſimulacrum [e] accedere, totum corpus circumagere, humi procumbere, palmas pandere, iiſdemque ad caelum ſublatis preces & vota fundere conſuevere, de quibus ethnicorum precibus legendus eſt Falſterus in *Philologiae* [f] *amoenitatibus*.

XXV. De veſtibus tria haec tantum annoto. I. In ſolemnibus adorationibus ſi penulati eſſent quorundam mos erat, *penulis depoſitis* [g] *orationes facere*. Inter orandum pars erat religionis haud exigua, Deum, Deamve proprio nomine invocare, ac ne quis imprudenter laberetur, ſolemnis haec erat precantium vox: *ſive tu* [h] *Deus, ſive tu Dea es*. II. Capitis velandi ritum Aeneas inſtituit, ita ab Heleno admonitus [i]:

Quin ubi tranſmiſſae ſteterint trans aequora claſſes,
Et poſitis aris jam vota in litore ſolves
Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter ſanctos ignes in honore Deorum
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.

Ve-

a *Apolog. IV. 17.*
b *Lib. V.*
c *In Numa.*
d *In Vitell. 2.*
e *Demſter. de Etr. Reg. III. & Gor. loc. cit. Cl. III. pag. 305.*
f *Tom. I. pag. 81. vid. Elſ. in Fortuit. ſacr. ad Matth. VI. 7.*
g *Tertull. de Orat.*
h *Cato de re ruſt. & A. Gell. Noct. Att. II. 28.*
i *Aen. III.*

Velabant igitur caput vittis, mitris, coronis, & aliquando veſtes ad aures uſque extollebant, ne a ſacris animus averteretur; ideo in Plutarcho laus eſt eximia Numae infauſtum quid nunciantibus reſpondentis [a] *ſacrifico*. Tertullianus & aliam affert hujus caeremoniae cauſam, pudoris [b] nempe velandi gratia. Tanta fuit in hoc religio, ut Sulpicio inter ſacrificandum apex e capite prolapſus ſacerdotium [c] ademerit. Plura in hanc rem erudite congeſta ſcire cupientem Aurelius Victor *de origine gentis Romanae*, & doctiſſimus Adrienſis Epiſcopus [d] edocebunt. Cave, ne hunc ritum putes communem omnium Deorum ſacris; nam Dionyſius Halicarnaſſeus [e] Herculi, Macrobius [f] Saturno tradunt oblata nudato capite ſacrificia. III. Sicut inſtitutum apud aliquos fuit in ſacris quibuſdam nudo ſiniſtro pede ad Deos accedere, quod Cerda confirmat multis auctoritatibus ad haec verba Virgilii *unum exuta pedem*: ita quandoque ſolebant veteres, praeſertim Lacedaemonii Deos nudis pedibus adorare, ex Pythagorae [g] praecepto, *nudis pedibus rem ſacram facito, & adorato*: quem ritum Joſephus [h] refert etiam fuiſſe proprium Hebraeorum.

XXVI. Reſtat ut vota breviter perſequamur, quae ſine victima [i], & adoratione praevia, vel ſubſequenti nunquam fere concipiebantur, habita quoque ratione, ſi res ſineret, non dierum modo, qui feſti deligebantur, verum etiam horarum. Nam horis matutinis Deos templis aſſidere & adeſſe ſalutationibus opinio erat: quapropter ſyco-

a *Plutar. in Vit.*
b *Apolog.*
c *Val. Max. I.*
d *Monum. Vet. Ant. 3.*
e *Lib. I. & Macrob Saturn. III.*
f *Saturn I. 8.*
g *Laurent loc. cit. III. 15.*
h *De bell. Judaic.*
i *Val. Max. I. 1.*

cophanta omnium dementiſſimus Apollonius Thyanaeus ſcriptum reliquit, primo mane cum Diis agendum, vel meridie, ſicuti apud Indos. Vovendi ratio diverſa fuit, ut adorandi. Alii enim inclinato ad terram capite; alii Deorum dexteras oſculando, vel eorum pedibus capita ſubmittendo; nonnulli flexis genibus, capite plerumque velato, quandoque aperto; multi ſtando, vel ſedendo manibus de more lotis, iiſdemque aliquando protenſis, elevatiſque [a] vota concipiebant voce nunc alta, nunc demiſſa, cujus rei cauſam attulit Seneca, ubi acute dixit: *vota* [b] *homines parcius facerent, ſi palam facienda eſſent: adeo etiam Deos, quibus honeſtiſſime ſupplicamus, tacite malumus, & intra noſmetipſos precari*. Arguit quoque hanc dementiam Perſius [c]:

Mens bona, fama, fides, haec clare, & ut audiat hoſpes;
Illa ſibi introrſum & ſub lingua immurmurat: o ſi
Ebullit patrui praeclarum funus!

Qui ſe voti reos conſtituebant, eorum in primis religio fuit, vota ceratis tabulis obſignare Deorum genibus affigenda [d]: hinc tritum illud *genua incerare Deorum*, quaſi in genibus numen & ſedes miſerationis eſſet: nec ſine cauſa inquit Seneca, *horae* [e] *momentum intereſt inter ſolium, & aliena genua*: ideo ſupplicantes Deorum hominumque genua amplecti, eademque venerari, colere, oſculari. Deos autem incerandi ritus non tam ad genua, quam ad tota etiam ſigna, & cereos pertinebat: nam ſimulacra interdum cera oblita Prudentius ſcribit: [f]

. . . . *guſtaverat inter*

 Va-

a *Pauſan. lib. V.*
b *De Benef. II. vid. Tibull. lib. IV.*
c *Sat. II*
d *Plin. Epiſt. X. ad Trajan.*
e *De Tranquill. An. XI.*
f *Contra Symmach. I. & Plaut. Aul. Act. III. & Scholiaſt. Euripid. in Phoeniſſ.*

Vagitus de farre molae, ſaxa illita ceris
Viderat, unguentoque lares humeſcere nigros.

De cereis ad Deorum, & Heroum ſtatuas ſuſpenſis facit mentionem Cicero, qui [a] hoc ſcribit ad Marii ſtatuas factitatum. Quid demum vetat, hanc vocem *incerare* cum Laurentio [b] traducere ad vota cerea, quae nunc adhuc a pauperibus exſolvuntur? Votivae tabellae diverſae erant pro cujuſque conditione. Saepe enim marmoreae, ſaepiſſime pictae offerebantur, de quibus innumera ſunt in Scriptoribus teſtimonia, quorum hoc unum habe [c] ex Tibullo:

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi; nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Tabella aenea Ferrariae detracta eſt ab ara, & ſigno Jovis, ita inſcripta: [d]

PRO.SALVTE
IMP. CAESARIS
M. AVRELII. SEVE
RI.ALEXANDRI
PII.FELICIS.AVG.
IOVI.OPTIMO.MAXIMO

Ad vota pertinent hi characteres; V.S. votum ſolvit; V.P. poſuit; V.M.M. merito Minervae; V.S.L.M ſolvit libens merito, vel voto ſoluto libero munere, aut voto ſolemni libero munere; V.S.C, voti ſui compos; V.S.L.P. votum ſolvit loco privato; V.S.S.L.S.EX.PRIM. votum ſuſceptum ſolverunt libentes ſacerdotes ex primis; V.S.L.L.M. votum ſolvit, locum legit memoriae. Ex his, & aliis id genus formulis clare apparet, quam vere Tiraquellus emendet Alexandrum Neapolitanum [e], qui damnatos voti eos in-

a *De Offic. III.*
b *Polymath. III. 15.*
c *Lib. I. Eleg. 3.*
d *Grut. Theſ. Ant. pag. XII. 3.*
e *Genial. Dier. III. 22.*

interpretatur, qui voti compotes jam promiſſa exſolverint: falſo; damnatus enim voti is proprie dicitur, qui promiſſa nondum perſolvit, ut voti reus, qui ſuſcepto [a] voto ſe Numinibus obligavit.

XXVII. Vota publica quo ritu, quibuſque caeremoniis conciperentur, luculenter oſtendit vetuſtus lapis in foro Romano ſub arcu Septimii effoſſus, hodie in hortis Farneſianis Palatinis. In primo latere ſcutum rotundum attollunt alatae victoriae duae cum epigraphe: CAESARVM DECENALIA FELICITER: in ſecundo latere pergunt ad ſacrificium primo ſacerdos veſtitu gabino cinctus, deinde mactatores duo cum ſuis malleolis, quodam caniſtrum cum fructibus efferente, ſequentibuſque ſue, & ariete coronatis, ac tauro cincto ſtolatoque. Fiebant igitur ſacrificia ſuovetaurilia, de quibus multa Gutherius [b], & alii. In tertio latere ſacerdos cernitur, cui victoria veſtitum gabinum capiti imponit, vini pateram ſupra tripodem in ignem infundit, adſtantibus puero cum tibiis imparibus, & puella cum capſula, ſive acerra: in quarto denique novem ſacerdotes ordine procedunt, inter quos unus puer, & duo cohortium ſigna. Vota autem praeeunte ſemper aliquo, interdum [c] Pontifice, in haec fere verba concipiebantur: [d] *preces poſco, Jupiter, uti ſciens volens propitius in decennium N. Auguſto: quod ſi faxis, tunc tibi votum bove aurato vovemus eſſe futurum: ludis gladiatoriis &c.* Pro imperatoribus vota in clypeis ſignabantur, ut inter ſexcentos alios fidem facit ille Auguſti nummus cum ſiglis S.P.Q.R.CL.V. pro votis quinquennalibus. Praeter Tacitum de Germanici Caeſaris, & Svetonium de alio-

 rum

a *Macrob. Sat. III. 11.*
b *De Vet. Jur. Pont. IV. 18.*
c *Liv. lib. VIII. & Plin. H. N. VIII. 22.*
d *Henric. Noris de Vot. Decenn. Diſſ. I. & Panvin. II. Faſt. V. C. 727.*

rum clypeis, paſſim mentionem faciunt & lapides, & numiſmata, in quibus perſaepe vota V. X. XX. quinquennalia, decennalia, vicenalia & alia his ſimilia clypeis aureis commendata, quorum locus praecipuus in Palatio fuit, ubi ſenatus habebatur. In his vero ſolemnibus hecatomben [a] ad unum, vel ad [b] plures dies celebratam: item ludos gladiatorios, circenſes ac [c] theatrales: data pariter militibus ac populo [d] donativa: orationes & carmina in laudem Caeſarum [e] recitata: inſtructiſſimis demum epulis exceptam fuiſſe a Principe nobilitatem copioſe docet Cardinalis Noriſius [f] aeque dignitate, ac doctrina eminentiſſimus, laudem merito tribuens Conſtantino Magno, qui quum vicenalia celebraret, ac id temporis Nicaeenſi Synodo adeſſet, Patres ad regium convivium invitavit. In votis concipiendis ethnica ſuperſtitio in eo potiſſimum caecitatem oſtendit ſuam, quod quum Deos non dormitare minus, quam dormire arbitraretur, eoſdem cymbalis, tympanis, aereiſque tinnitibus, & ſcabillorum ſtrepitu, itemque collatis ad tibiam vocibus, facile ut exaudirent, excitare ſolebat, Arnobio teſte, [g] & deriſore. Lacedaemonios autem Gyraldus [h] notat duas aures Jovi non ſatis eſſe exiſtimantes, eum ſibi colendum propoſuiſſe quatuor auribus exornatum: nec modo Jovem, ſed etiam Apollinem quatuor inſtructum auribus coluiſſe, totidem quoque manibus [i] eidem additis, ut eum ſibi maxime propitium fingerent & audiendo & adjuvando, ſeu mavis opere conſilioque, unde proverbium ortum τετρώτον

a *Trebell. Poll. 9. in Gallieno.*
b *Xiphilin. in Severo.*
c *Marcellin. XIV.*
d *Xiphil. ibid. & Euſeb. III. in Vit. Conſtantin.*
e *Sozom. in fin lib. II.*
f *Diſſert. de vot. Decenn.*
g *Adv. Gent. VIII.*
h *Synt. II Hiſt. Deor.*
i *Lil. Gyral. ibid.*

τον ἄκυε, nimirum *quadriaurem audi*, prudentem ſcilicet & induſtrium.

XXVIII. Tandem quum prima Claſſis epigrammata complectatur Deorum ſignis affixa pariter ac donariis, ideo ſicut illorum in urbe antiquitatem, materiam, varietatem, ornatum, conſecrationem breviter explicavimus, ita & diverſa, quae ſimulacris votorum rei anathemata ſuſpendebant, hic me perſequi oporteret; rem vero tantam, tam variam, tam longe lateque diffuſam eruditiſſime enucleavit in ſuo *de Donariis Veterum* eximio opere Thomaſinus; itaque huic me officio ſatisfacturum reor, ſi nonnullos illius egregii operis quoddam veluti additamentum in ſequenti claſſe proponam titulos ex Romanorum Graecorumque votivis aut tabulis, aut donariis decerptos in eorum voluminibus, qui nihil ſtudii, antiquitati ut conſulerent, omiſerunt. Interea porro quum labor hic ſpectet meus ad ſtudioſos praeſertim litterarum adoleſcentes dabo diſſertationi accommodatum exordio finem, pauca nimirum referam de donariis litteratorum, quorum & liberalitas non exigua, & cura fuit olim maxima, ut ſtudiis ſuis Minervam, Muſas, Apollinem, ceteroſque doctrinarum praeſides conciliarent. Quanto melius aetate noſtra inſignes doctrina viri! qui aut caeleſtibus Patronis ſuis, aut ſummo Numini, ſempiterno ſapientiae fonti, non modo ingenii foetus, ſed ipſa etiam litterarum inſtrumenta dedicaverunt. Multos commendat hoc laudis [a] nomine Thomaſinus, quocum placet illud unum animadvertere, hodie adhuc in ſacra aede Hallenſi ſpectatoribus eſſe admirationi pariter & exemplo ſcriptorium ex argento calamum Juſti Lipſii, cujus ubique gentium vigebit gloria, do-

a *De Vet. Donar. XXIII.*

donec litterae. Jam quod ad veteres pertinet, ſicut Aegyptii [a] Mercurio libros inſcribebant, ſic Graecos, Latinoſque Diis, aut Deabus, quorum auſpicio tribuebant optimarum gloriam diſciplinarum, libros, plectra, cytharas dedicaviſſe compertum eſt: Catullus enim [b] ſic Minervam alloquitur nitidiſſimis hendecaſyllabis:

. . . . . habe tibi quicquid boc libelli eſt,
Qualecunque, quod o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne ſeclo.

Plutarchus in Sicyonis theſauro [c] memorat aureum libellum repoſitum, a poetria quadam Ariſtomacha, poſtquam Iſthmiorum in certamine vicerat, conſecratum. Lyram Apollini [d] Sappho, & ad ejus imitationem Horatius [e] dedicavit, quo ſpectat & ſimulacrum illud in domo Caeſia plectrum & lyram tenens, quod Antonii Mariani pater & filius eidem Apollini [f] ſtatuerunt. Hoc quoque eruditorum [g] fuit in more poſitum, ut ſiquid aut novi inveniſſent, aut magni ac perdifficilis ſuperaſſent, Muſis gratias & haberent & ſolverent: alterius quidem rei Pythagoras exemplum praebuit, Muſis ob geometricum inventum mactato bove; alterius Eurydice quaedam Illyria mulier, una omnium digniſſima, quae exempli cauſa pleriſque aetatis noſtrae matronis oppido teneris ac delicatulis proponatur: quanquam enim, ut Plutarchus inquit, plus quam barbara [h] eſſet, tamen provecta jam aetate philoſophiae operam ſtudioſe dedit, filios ut optime educaret, ac voti compos facta inſcriptionem infra poſitam ſtatuit Muſarum choro, perpetuum grati animi monumentum. Sicut Mercu-

a *Jamblic. Sect. I. Myſt. 1.*
b *Carm. I.*
c *V. Sympoſ. Qu. II.*
d *Ovid. in Heroid.*
e *Od. III. 26.*
f *Thomaſin XXIII.*
g *Cic. de Nat. Deor. III.*
h *Plutarch. de educand. liber. in fine,*

curio, Minervae, Apollini, Baccho, Muſis aut ſingulis, aut univerſis, ita Jovi Ammoni, Olympio, Eleutherio, & Herculi Muſageti, qui vetere in lapide [a] nuncupatur MVSARVM PYTHVS, poetae, philoſophi, oratores ſimulacra, tripodes, tabellas inſcriptas verſibus obtulerunt: ſiquidem Hammonis ſignum Pindarus dedicavit, hymnos etiam [b] in Lybiam ad Hammonios miſit, qui adhuc Pauſaniae aetate in columna triangulari legebantur juxta aram a Ptolemaeo Lagi F. conſecratam. De doctorum imaginibus, quae aut ipſorum, aut amicorum opera in aede Camoenarum, aliorumque Deorum fanis collocabantur, prolixior in V. diſſertatione ſermo futurus eſt. Notandam poſtremo loco rem juvenili aetati perneceſſariam, nedum utilem reſervavi. Auditionis praeſtantiam, de qua legendus ac perdiſcendus etiam, ſi fieri poſſit, eſt ingenioſus Plutarchi liber, veteres doctrinarum anteſignani quum eſſe maximam intelligerent, cum Jovem, & Apollinem, ut modo dixi, quadriaures colebant, tum [c] veluti frontem Genio, digitos Minervae, genua Miſericordiae, ita aures non Memoriae minus, quam cuilibet Numini ſapientiae praeſidi dedicabant. Prudenter quidem. Doctrina enim & ſapientia, ad rem inquit Lactantius [d] Firmianus, percipi auribus ſolis poteſt, oculis ſolis non poteſt. Documento ſunt Druidae, qui auditores, ſi memini, jubebant ſuos memoriae mandare omnia, [e] nihil ſcripto exarare. Quod porro a veteribus dedicarentur aures non Memoriae duntaxat, ut ait Servius, ſed reliquis etiam Diis litteratorum patronis ac litterarum, teſtis eſt apud Thomaſinum ille Callidius Primus, qui aures Minervae ar-

a *Thomaſin. loc. cit.*
b *Pauſan. in Boeotic. IX.*
c *Serv. ad Eclog. V.*
d *Lib. III. 9. de Falſa Sapient.*
e *Caeſar lib. VI.*

argenteas conſecravit, & hunc lapidem poſuit Placentiae inventum.

MINERVAE. AVG
L. CALLIDIVS. PRIMVS
BRIXELLANVS. EX. ARG
LIB. II. ITEM. L. CALLIDIVS
PRIMVS. AVRES. ARGENTEAS
V. S. L. M

Quid jam reſtat, optimi Adoleſcentes, niſi ut in ſuſcepto ſtudiorum curſu vos eſſe cupiam τετράωτους, vobiſque Apollinem non τετράωτον modo, verum etiam πολύωτον? Videlicet quoniam ad carmina jam accedimus, poetarum more vobiſcum ago, & Momum in primis minime moleſtum, cui mos eſt [a] nihil agere, aliena carpere, tum multo vobis aequiores, quam mihi, auguror Muſas omnes, quibus me inviſum ſentio quotidie magis, ac Plautino ſale ſi uti licet, neſcio quomodo fit, ſemper ut ſacrificem, nunquam litem. Demum ſi horis ſubſecivis huc fortaſſe oculos convertatis, id memineritis velim, quod veteres in dedicandis fanis Mercurium [b] Gratiis adjungebant, ſignificaturi orationem efflagitare maxime benignas aures, ac neminem in dicendo tam eſſe abſurdum, ut quaecunque proferat, ſint omnia penitus repudianda:

Ὡς ἀν' ἐχινόποδας, καὶ ἀνὰ τρηχεῖαν ὄνωνιν
Φύεται μαλακῶν ἄνθεα λευκοΐων.

ſcilicet

Inter echinopodes, quin aſperam & inter ononin
Interdum florent mollia leucoja.

CLAS-

a *Vid. Vitruv. in praefat. & Lucian. de haereſib.* b *Plutarch. de Aud.*

CLASSIS I.

Monumenta Diis Deabuſque D.D.

I.

Jovi Dodonaeo. *Pauſan. lib. I. pag.* 12.

ΑΙΔΕ ΠΟΤ' ΑΣΙΔΑ ΓΑΙΑΝ ΕΠΟΡΘΗΣΑΝ ΠΟΛΥΧΡΥΣΟΝ
ΑΙΔΕ ΚΑΙ ΕΛΛΑΔΙ ΤΑΝ ΔΟΥΛΟΣΥΝΑΝ ΕΠΟΡΟΝ
ΝΥΝ ΔΕ ΔΙΟΣ ΝΑΩΙ ΠΟΤΙ ΚΙΟΝΑΣ ΟΡΦΑΝΑ ΚΕΙΤΑΙ
ΤΑΣ ΜΕΓΑΛΑΥΧΗΤΟΥ ΣΚΥΛΑ ΜΑΚΕΔΟΝΙΑΣ

Αἵδε ποτ' Ἀσίδα γαῖαν ἐπόρθησαν πολύχρυσον,
Αἵδε καὶ Ἑλλάδι τὰν δουλοσύναν ἔπορον.
1. Νῦν δὲ Διὸς ναῷ ποτὶ κίονας ὀρφανὰ κεῖται,
2. Τᾶς μεγαλαυχήτω σκῦλα Μακεδονίας.

Hujus & ſeqq. interpr. Romulus Amaſaeus.

Ditibus haec Aſiae terris opibuſque potita,
Jam premere audebant Hellada ſervitio,
Sacra Jovis templo pendent quae affixa columnis,
Erepta Emathiis ſcuta cruenta viris.

1. Jupiter Dodonaeus in Epiro celebratiſſimus, de cujus templo, de aereis lebetibus, de ſilva ac fonte, qui faces accenſas extinguere, extinctas accendere ferebatur, ſi quicquam dixero, jure uſurpabis in me proverbium Δωδωναῖον χαλκεῖον, quo Juvenalis tacite arguit muliebrem loquacitatem. *Sat. VI* 440.

2. Belli cum Antigono haec cauſa fuit. Pyrrhus Romanis impar legatos ad Aſiae reges atque ad Antigonum miſit, ab aliis pecuniam, auxilia ab aliis, a Macedone utrumque expoſcens: ſuppetiis non impetratis, in Epirum tranſvectus Antigono bellum indixit, & victor Jovi Dodonaeo ſcuta Macedonum dedicavit. Brevis tantae victoriae fructus. Nam Cleonymi ambitione Spartano bello ſe implicari paſſus interiit Argis, tegulae ictu a muliere dejectae. Homerus memoriae prodidit, omnes ex Aeacidarum nomine divinitus oblata morte occubuiſſe. *Pauſan. loc. cit. Plutarch. in vit. & Juſtin. XXV.*

I I.

In Olympia. *Pauſan. I. pag.* 156.

ΝΑΟΣ ΜΕΝ ΦΙΑΛΑΝ ΧΡΥΣΕΑΝ ΕΧΕΙ ΕΚ ΔΕ ΤΑΝΑΓΡΑΣ
ΤΗΣ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΙΣ ΣΥΜΜΑΧΙΔΟΣ ΓΕΤΕΘΕΝ
ΔΩΡΟΝ ΑΠ' ΑΡΓΕΙΩΝ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΚΑΙ ΙΩΝΩΝ
ΤΑΝ ΔΕΚΑΤΑΝ ΝΙΚΑΣ ΕΙΝΕΚΑ ΤΩΙ ΠΟΛΕΜΩΙ

1. Ναὸς μὲν φιάλαν χρυσέαν ἔχει, ἐκ δὲ Τανάγρας
Τῆς Λακεδαιμονίοις συμμαχίδος γετεθὲν
Δῶρον ἀπ' Ἀργείων καὶ Ἀθηναίων καὶ Ἰώνων,
Τὰν δεκάταν νίκας εἵνεκα τῷ πολέμῳ.

Ex auro phialam capta poſuere Tanagra,
Juverat haec bello quod Lacedaemonios,
Cecropide Argivique duces & Jonica proles
Victores partis de ſpoliis decimam.

1. In Jovis Olympici clypeus erat aureus, in quo caelatum Meduſae caput, ita inſcriptus ſub inaurato victoriae ſigno, quod in medio faſtigii apice eminebat. Tanagra Boeotiae oppidum gallis gallinaceis ad praelia nobilibus celebratum. *Plin. H. N. X.* 21.

I I I.

Aenea in tabella in Elide. *Pauſan. V. pag.* 168.

ΚΑΙ ΓΑΡ ΕΓΩ ΚΕΙΝΩΝ ΕΙΜ' Ω ΞΕΝΕ ΛΕΙΨΑΝΟΝ ΟΙΚΩΝ
ΣΤΥΛΟΣ ΕΝ ΟΙΝΟΜΑΟΥ ΠΡΙΝ ΠΟΤ' ΕΝΟΥΣΑ ΔΟΜΟΙΣ
ΝΥΝ ΔΕ ΠΑΡΑ ΚΡΟΝΙΔΗΝ ΚΕΙΜΑΙ ΤΑΔ' ΕΧΟΥΣΑ ΤΑ ΔΕΣΜΑ
ΤΙΜΙΟΣ ΟΥΔ' ΟΛΟΗ ΔΕΞΑΤΟ ΦΛΟΞ ΜΕΠΥΡΟΣ

Καὶ γὰρ ἐγὼ Κείνων, εἰμ', ὦ ξένε, λείψανον οἴκων,
1. Στῦλος ἐν Οἰνομάου πρίν ποτ' ἐοῦσα δόμοις·
Νῦν δὲ παρὰ Κρονίδην κεῖμαι τάδ' ἔχουσα τὰ δεσμὰ
Τίμιος· οὐδ' ὀλοὴ δέξατο φλόξ μεπυρός.

Una columna ex his, hoſpes, ſum ſola relicta,
In celſis ſteterunt quae aedibus Oenomai:
Nunc exto Jovis in templo circumdata vinclis
Nobilior; nec me flamma voravit edax.

1. Oenomai domo ſuccenſa fulmine reliqua fuit columna lignea intra Altin, ſive lucum, dicata Jovi. Hic ſcilicet ille Oeno-

Digitized by Google

Oenomaus ſatis notus ob conditiones, quas tulit Hippodamiae procis. *Hygin. Fab.* 84. *Stat. I. Theb.* Eodem in luco certans cum Pelope, a quo per fraudem victus, Oenomaus cernebatur inſculptus in arca Cypſeli cedrina, aureis & eboreis emblematibus ornatiſſima.

I V.

Ad Jovis pedes. *Pauſan. ibid. p.* 171.

ΜΝΑΜΑΤ' ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΣ ΑΝΑΚΕΙΜΕΘΑ ΤΑΝ ΕΝΙ ΠΟΝΤΩΙ
ΙΩΝΙΩΙ ΦΟΙΒΟΣ ΩΚΙΣ' ΑΚΕΡΣΕΚΟΜΑΣ
ΟΙ ΓΑΣ ΤΕΡΜΑΘ' ΕΛΟΝΤΕΣ ΑΒΑΝΤΙΔΟΣ ΕΝΘΑΔΕ ΤΑΥΤΑ
ΕΣΤΑΣΑΝ ΣΥΝ ΤΟΙΣ ΕΚ ΘΡΟΝΙΟΥ ΔΕΚΑΤΑΝ

1. Μνάματ' ἀπολλωνίας ἀνακείμεθα, τὰν ἐνὶ πόντῳ
'Ιονίῳ Φοῖβος ᾤκισ' ἀκερσεκόμας.
2. Οἳ γᾶς τέρμαθ' ἑλόντες 'Αβαντίδος, ἐνθάδε ταῦτα,
3. Ἔστασαν σὺν τοῖς ἐκ Θρονίου δεκάταν.

Urbis Apollineae ſunt haec monumenta, comatus
Phoebus quam ad pontum condidit Jonium.
Illa manus, veteris quae coepit Abantidos oras,
E Thronio votam pertulit huc decimam.

1. In *lexic. Geogr.* multae ſunt Apolloniae, haec vero eſt Macedonica, vulgo *Piergo*, Epiro finitima.

2. Graecis ab Ilio redeuntibus, Locri e Thronio, Abantes ex Euboea, octo utrique navibus, in Epirum delati, ibi Thronium nomine oppidum condidere, & regionem Abantidem appellarunt: pulſi deinde a finitimis Apolloniatis. *Pauſan. ibid.*

3. Decimas Diis oblatas ſaepe hic videbis. At cujuſmodi dederunt Jovi Apolloniatae? in Alti juxta Hippodamium erexerunt e lapide ſuggeſtum, ſemicirculi forma, in medio Jovem, & Jovi pro liberis ſupplicantes Thetidem, & Auroram; in utroque ſemicirculi extremo quaſi accinctos ad pugnam Achillem, & Memnonem, contra e regione oppoſitos Barbaris Graecos, Menelao Paridem, Diomedi Aeneam, Ajaci Telamonis filio Deiphobum; opera Lycii Myronis filii.

V.

Ad Jovis Coloſſum. *Pauſan. ibid. p.* 172.

ΚΛΕΙΤΟΡΙΟΙ ΤΟΔ' ΑΓΑΛΜΑ ΘΕΩΙ ΔΕΚΑΤΗΝ ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΠΟΛΛΑΝ ΕΚ ΠΟΛΙΩΝ ΧΕΡΣΙ ΒΙΑΣΣΑΜΕΝΟΙ
ΚΑΙ ΜΕΤΡΕΙΤ' ΑΡΙΣΤΩΝ ΗΔΕ ΤΕΛΕΤΑΣ ΑΥΤΟΚΑΣΙΓΝΗΤΟΙ

1\. Κλειτόριοι τόδ' ἄγαλμα Θεῷ δεκάτην ἀνέθηκαν
Πολλᾶν. ἐκ πολίων χερσὶ βιασσάμενοι
Καὶ μετρεῖτ' Ἀρίστων ἠδὲ τελετὰς αὐτοκασίγνητοι.

Hoc ſignum multis ex urbibus expugnatis
Clitorii decimas conſtituere Deo,
Artifices Teletas, frater germanus Ariſton.

1\. Suggeſtus ex aere fuit, & ſuper eo Jovis coloſſus altitudinis pedum XVIII. in 3. v. paulum variat Frid. Sylburgius.

V I.

Pauſan. ibid. pag. 173.

ΔΕΞΟ ΑΝΑΞ ΚΡΟΝΙΔΑ ΖΕΥ ΟΛΥΜΠΙΕ ΚΑΛΟΝ ΑΓΑΛΜΑ
ΙΛΑΩΙ ΘΥΜΩΙ ΤΟΙΣ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΙΣ

Δέξο ἄναξ κρονίδα Ζεῦ Ὀλύμπιε καλὸν ἄγαλμα
Ἱλάῳ θυμῷ τοῖς Λακεδαιμονίοις.

Hoc ſate Saturno ſignum cape, Jupiter alme,
Auxiliumque favens fer Lacedaemoniis.

Hoc ſignum erat altitudinis pedum XII. a Spartanis poſitum rebellantes Meſſenios vindicaturis: ad laevam hujus Jupiter erat aeneus a L. Mumnio de Achaeorum manubiis dedicatus. Haſtenus Pauſanias, quem miror ſcribere Romanorum omnino neminem neque plebejum neque patricium, ante Mummium in Graecorum templis quicquam conſecraviſſe. Quae dixi in Diſſert. num. III. huic ſententiae refragantur.

V I I.

Pauſan. loc. cit. 175.

ΤΩΙ ΔΙΙ Τ' ΑΧΑΙΟΙ ΤΑ ΑΓΑΛΜΑΤΑ ΤΑΥΤ' ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΕΓΓΟΝΟΙ ΑΝΤΙΘΕΟΥ ΤΑΝΤΑΛΙΔΑ ΠΕΛΟΠΟΣ

1\. Τῷ Διί τ' Ἀχαιοὶ τὰ ἀγάλματα ταῦτ' ἀνέθηκαν
Ἔγγονοι ἀντιθέου Ταντᾰλίδα Πέλοπος.

Si-

Signa Jovi haec olim magno poſuiſtis, Achivi,
Quîs genus a divo Tantalida Pelope.

Achaici populi communi impenſa cum armis & clypeis dicarunt eorum ſigna, qui ſorte ducti cum Hectore congreſſuri erant: ſtabat e regione Neſtor, conjectis in galeam ſortibus: ducti ſorte erant novem, ſed noni ſtatuam, nempe Ulyſſis, Nero Romam deferri juſſit. Uni Agamemnoni erat adſcriptum nomen, inverſo litterarum ordine a dextra in laevam.

VIII.

In Olympia. *Pauſan. ibid. in fine.*

ΖΗΝΙ ΘΕΩΝ ΒΑΣΙΛΕΙ Μ' ΑΚΡΟΘΙΝΙΟΝ ΕΝΘΑΔ' ΕΘΗΚΑΝ
ΜΕΝΔΑΙΟΙ ΣΙΠΤΗΝ ΧΕΡΣΙ ΒΙΑΣΣΑΜΕΝΟΙ

Ζηνὶ θεῶν βασιλεῖ μ' ἀκροθίνιον ἐνθάδ' ἔθηκαν
1. Μενδαῖοι Σίπτην χερσὶ βιασσάμενοι.

Mendaei Sipte ſaevo Mavorte ſubacta,
Primitias ſummo hic me poſuere Jovi.

1. Mendaeorum, qui ſunt in Thracia ad urbem Aenum, donum fuit ſtatua priſcos alteres tenens, inſcripta in femore. Sipten Thraciae caſtellum, vel urbem fuiſſe Pauſanias conjicit.

IX.

In Cleoſthenis curru, a tergo Jovis. *Pauſan. VI. p.* 188.

ΚΛΕΟΣΤΕΝΗΣ Μ' ΑΝΕΘΗΚΕΝ Ο ΠΟΝΤΙΟΣ ΕΞ ΕΠΙΔΑΜΝΟΥ
ΝΙΚΗΣΑΣ ΙΠΠΟΙΣ ΚΑΛΟΝ ΑΓΩΝΑ ΔΙΟΣ

Κλεοσθένης μ' ἀνέθηκεν ὁ Πόντιος ἐξ Ἐπιδάμνου,
Νικήσας ἵπποις καλὸν ἀγῶνα Διός.

Cleoſthenes poſuit me Pontius ex Epidamno.
Victor equis, palma clarus Olympiaca.

Non ſuam unius, ſed equorum etiam, & aurigae ſimulacra, qui victor e ludis rediret, in Olympia dedicabat, ſicut poſt pugnam Plataeenſem a Graecis erectus eſt viri hujus Epidamnii currus, Ageladae opus.

X.

In cornu Amaltheae eburneo. *Pauſan. VI p.* 196.

ΖΗΝΙ Μ' ΑΓΑΛΜ' ΑΝΕΘΗΚΑΝ ΟΛΥΜΠΙΩΙ ΕΚ ΧΕΡΟΝΗΣΟΥ
ΤΕΙΧΟΣ ΕΛΟΝΤΕΣ ΑΡΑΤΟΥ ΕΠΗΡΧΕ ΔΕ ΜΙΛΤΙΑΔΗΣ ΣΦΙΝ

Ζηνὶ

Ζηνί μ' Ἄγαλμ' ἀνέθηκαν Ὀλυμπίῳ ἐκ Χερρονήσου
Τεῖχος ἑλόντες Ἀράτου, ἐπῆρχε δὲ Μιλτιάδης σφίν.
Me Jovi Olympiaco poſuit donum Cheroneſus,
Miltiadis ductu quum moenia coepit Arati.

Sicyoniorum theſaurus a Myrone tyranno in Olympia dedicatus thalamos continebat duos, Dorico alterum, alterum opere Jonico, utrumque ex aere; minoris pondus erat quingentorum talentorum. Praeter cetera donaria, ſive manubias Jovi dicatas, erat Pelopis enſis aureo capulo, ſimulacrum Apollinis buxeum capite inaurato, & cornu Amaltheae, Miltiadis donum Cimonis filii, qui primus ex ea domo in Thraciae Cherſoneſo cum imperio fuit.

X I.

Jovi Olympio. *Pauſan. in Arcad. p.* 272.

ΣΟΝ ΠΟΤΕ ΝΙΚΗΣΑΣ ΖΕΥ ΟΛΥΜΠΙΕ ΣΕΜΝΟΝ ΑΓΩΝΑ
ΤΕΘΡΙΠΠΩΙ ΜΕΝ ΑΠΑΞ ΜΟΥΝΟΚΕΛΗΤΙ ΔΕΔΙΣ
ΔΩΡ' ΙΕΡΩΝ ΤΑΔΕ ΣΟΙ ΕΧΑΡΙΣΣΑΤΟ ΠΑΙΣ Δ' ΑΝΕΘΗΚΕ
ΔΕΙΝΟΜΕΝΗΣ ΠΑΤΡΟΣ ΜΝΗΜΑ ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΥ

Σόν ποτε νικήσας, Ζεῦ Ὀλύμπιε, σεμνὸν ἀγῶνα
Τεθρίππῳ μὲν ἅπαξ, μουνοκέλητι δὲ δίς,
Δῶρ' Ἱέρων τάδε σοὶ ἐχαρίσσατο· παῖς δ' ἀνέθηκε
1. Δεινομένης πατρὸς μνῆμα Συρακοσίου.

Ibid. in Donario.

ΥΙΟΣ ΜΕΝ ΜΙΚΩΝΟΣ ΟΝΑΤΑΣ ΕΞΕΤΕΛΕΣΣΕΝ
ΝΑΣΩΙ ΕΝ ΑΙΓΙΝΗΙ ΔΩΜΑΤΑ ΝΑΙΕΤΑΩΝ

2. Υἱὸς μὲν Μίκωνος Ὀνατᾶς ἐξετέλεσσεν
Νάσῳ ἐν Αἰγίνῃ δώματα ναιετάων.

Jupiter, Eleo rediit qui a pulvere victor,
Quadrigaque ſemel, injuge bis & equo,
Voverat haec Hieron: natus monumenta parentis
Dinomenes poſuit clara Syracuſii.
Iſta Micone ſatus ſimulacra effinxit Onatas,
Inſula in Aegina cui patria atque domus.

1. Syracuſis Dinomenes dominati ſunt duo, alter Gelonis pater (illius nempe, cujus in tempus incidit Xerſis in Euro-

Europam tranſmiſſio) alter Hieronis filius, qui patre mortuo, antequam Iovi Olympio dona, quae pro equeſtribus victoriis voverat, perſolviſſet, patris vicem implevit. *Pauſan. ibid.*

2. Onatas floruit eadem aetate, qua Hegias Athenienſis. Opus inſigne Onatae fuit Cereris ſimulacrum in Phigalia, quo ſe Pauſanias contulit illius inviſendi cauſa: ſed fruſtra: nam neque amplius extabat, neque an unquam extitiſſet Phigalenſibus compertum erat.

X I I.

Jovi Liberatori. *Pauſan. X. p. 337.*

Η ΜΑΛΑ ΔΗ ΠΟΘΕΟΥΣΑ ΝΕΑΝ ΕΤΙ ΚΥΔΙΟΥ ΗΒΗΝ
ΑΣΠΙΣ ΑΡΙΖΗΛΟΥ ΦΩΤΟΣ ΑΓΑΛΜΑ ΔΙΙ
ΑΣ ΔΙΑ ΔΗ ΠΡΩΤΑΣ ΛΑΙΟΝ ΠΟΤΕ ΠΗΧΥΝ ΕΤΕΙΝΕΝ
ΕΥΤ' ΕΠΙ ΤΟΝ ΓΑΛΑΤΑΝ ΗΚΜΑΣΕ ΘΟΥΡΟΣ ΑΡΗΣ

Ἦ μάλα δὴ ποθέουσα νέαν ἔτι Κυδίου ἥβην,
Ἀσπὶς ἀριζήλου φωτὸς, ἄγαλμα Διῒ,
Ἇς διὰ δὴ πρώτας λαιὸν ποτὲ πῆχυν ἔτεινεν
Εὖτ' ἐπὶ τὸν Γαλάταν ἤκμασε θοῦρος Ἄρης.

Cydiae erat parma haec juvenili corpore clari,
Hoſpes, quam ſacram conſpicis eſſe Jovi.
Huic cubitum inſeruit flammato corde ſiniſtrum,
Quum premeret Mavors armipotens Galatas.

Cydias peradoleſcens prima militiae rudimenta poſuit in bello, quod Athenienſes cum Gallis ad Termopylas iniere, & ea quidem felicitate, ut ex omni Graecorum numero non plures, quam XL. deſiderati ſint, licet barbarorum aliqui e ſuis ipſorum vulneribus evulſa ſpicula in Graecos retorſerint: tantus fuit eorum furor tamque inſolita efferati animi concitatio. Cydiae a Gallis occiſi cum hoc titulo propinqui ſcutum Jovi dedicaverunt, quod Athenis uſque ad Syllam permanſit, cujus milites tum alia virtutis inſignia, tum ſcuta omnia e Jovis Liberatoris porticu ſuſtulerunt. *Pauſan. loc. cit.*

X I I.

XIII.

Athenis ad aram Jovis Eleutherii.

Plutarch. de Herodoti malignit. pag. 873.

ΤΟΝ ΔΕ ΠΟΘ' ΕΛΛΗΝΕΣ ΝΙΚΗΣ ΚΡΑΤΕΙ ΕΡΓΩΙ ΑΡΗΟΣ
ΕΥΤΟΛΜΩΙ ΨΥΧΗΣ ΛΗΜΑΤΙ ΠΕΙΘΟΜΕΝΟΙ
ΠΕΡΣΑΣ ΕΞΕΛΑΣΑΝΤΕΣ ΕΛΕΥΘΕΡΑΙ ΕΛΛΑΔΙ ΚΟΙΝΟΝ
ΙΔΡΥΣΑΝΤΟ ΔΙΟΣ ΒΩΜΟΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΥ

Τὸν δὲ ποθ' Ἕλληνες νίκης κράτει, ἔργῳ Ἄρηος
Εὐτόλμῳ ψυχῆς λήματι πειθόμενοι,
Πέρσας ἐξελάσαντες, ἐλεύθερα Ἑλλάδι κοινὸν
1. Ἱδρύσαντο Διὸς βωμὸν ἐλευθερίου.

Interpr. Gulielm. Xyland.

Hanc quondam Graeci ſuperatis hoſtibus aram,
Libertas patriae quum ſua tuta ſtetit,
Et profligatis ſervata eſt Graecia Perſis,
Munus Eleutherio conſtituere Jovi.

1. De Perſico cum Graecis bello ne Herodoto fidem habeas, Plutarchum conſule *loc. cit.* Jupiter Eleutherius idem ac Σωτὴρ, ſeu liberator & libertatis auctor maxime cultus a Syracuſanis, Tarentinis, Plataeenſibus, potiſſimum ab Athenienſibus. Jovi Eleutherio ſtatuas cum Hadriano imperatore erectas fuiſſe meminit Pauſanias in *Atticis*. Dio hiſtoricus narrat Thraſeam philoſophum, quum juſſu Neronis extingueretur, Jovi Eleutherio ſanguinem libaviſſe: idem de Seneca Tacitus *lib. XV.* Vid. plura apud *Thucid. II. Strab. IX. Lil. Gyrald. Deor. Syntagm. II.*

XIV.

Athenis in donario e decimis conflato.

Diodor. Sicul. XI. pag. 47.

ΕΞ ΟΥ Γ' ΕΥΡΩΠΗΝ ΑΣΙΑΣ ΔΙΧΑ ΠΟΝΤΟΣ ΕΝΕΙΜΕ
ΚΑΙ ΠΟΛΕΑΣ ΘΝΗΤΩΝ ΘΟΥΡΟΣ ΑΡΗΣ ΕΠΕΧΕΙ
ΟΥΔΕΝΠΩ ΤΟΙΟΥΤΟΝ ΕΠΙΧΘΟΝΙΟΝ ΓΕΝΕΤ' ΑΝΔΡΩΝ
ΕΡΓΟΝ ΕΝ ΗΠΕΙΡΩΙ ΚΑΙ ΚΑΤΑ ΠΟΝΤΟΝ ΑΜΑ
ΟΙΔΕ ΓΑΡ ΕΝ ΚΥΠΡΩΙ ΜΗΔΟΙΣ ΠΥΛΛΟΙΣ ΟΛΕΣΑΝΤΕΣ
ΦΟΙΝΙΚΩΝ ΕΚΑΤΟΝ ΝΑΥΣ ΕΛΟΝ ΕΝ ΠΕΛΑΓΕΙ

AN

ΑΝΔΡΩΝ ΠΛΗΘΟΥΣΑΣ ΜΕΓΑ Δ' ΕΣΤΕΝΕΝ ΑΣΙΣ ΥΠ' ΑΥΤΩΝ
ΠΛΗΓΕΙΣ' ΑΜΦΟΤΕΡΑΙΣ ΧΕΡΣΙ ΚΡΑΤΕΙ ΠΟΛΕΜΟΥ

Ἐξ οὗ γ' Εὐρώπην ἀσίας δίχα πόντος ἔνειμε,
Καὶ πολέας θνητῶν θοῦρος ἄρης ἐπέχει,
Οὐδένπω τοιοῦτον ἐπιχθονίον γένετ' ἀνδρῶν
Ἔργον ἐν ἠπείρῳ καὶ κατὰ πόντον ἅμα.
Οἵδε γὰρ ἐν Κύπρῳ μήδοις πολλοὺς ὀλέσαντες,
Φοινίκων ἑκατὸν ναῦς ἕλον ἐν πελάγει,
Ἀνδρῶν πληθούσας. μέγα δ' ἔστενεν ἀσὶς ὑπ' αὐτῶν
Πληγεῖσ' ἀμφοτέραις χερσὶ, κράτει πολέμου.

Laurent. Rhodoman.

Europen Aſiamque ex quo maris unda diremit,
Gradivuſque hominum per genus enſe furit,
Tale ſimul terras, & ſalſa per aequora nunquam
Sol facinus ſupero vidit ab axe geri.
Naves hi centum Phoenicum e claſſe refertas
Milite quum caperent, multa dedere neci
Millia Medorum. Sed & Aſia triſte ſub horum
Armigera ingemuit, duriter icta, manu.

Cimonis haec tota victoria fuit, qui non ſatis navali triumpho effectum ratus, eduxit claſſem in terreſtres Perſarum copias, & arte barbaros circumvenit profligavitque: magnus quidem duabus victoriis pulcherrimis; ſed abſtinentiae laudibus longe major revocato ad naves milite in Thracia praedae intento, cujus amor haud raro perdidit exercitus jam victores. *Diodor. loc. cit. Plutarch. in Cimone.*

X V.

Chalcedone, quae nunc Cadikioi.

Ex Donian. Inſcr. Cl. I pag. 38.

ΟΥΡΙΟΝ ΕΚ ΠΡΥΜΝΗΣ ΤΙΣ ΟΔΕΓΗΤΗΡΑ ΚΑΛΕΤΟ
ΖΗΝΑ ΚΑΤ' ΑΠΡΩΤΟΝ ΩΝΙΣΤΙΟΝ ΕΚΠΕΤΑΣΑΣ
ΕΣΤΕΠΙ ΚΥΑΝΕΑΣ ΔΙΝΑΣ ΔΡΟΜΟΣ ΕΝΘΑ ΠΟΣΕΙΔΩΝ
ΚΑΜΠΥΛΟΝ ΕΙΛΙΣΣΕΙ ΚΥΜΑ ΠΑΡΑ ΨΑΜΑΘΟΙΣ
ΕΙΤΑ ΚΑΤ' ΑΙΓΑΙΑΝ ΠΟΝΤΟΥ ΠΛΑΚΑΝΟΣΤΟΝ ΕΡΕΥΝΑΙ
ΝΕΙΣΘΩ ΤΩΙ ΔΕ ΒΑΛΩΝ ΨΑΙΣΤΑ ΠΑΡΑ ΤΩΙ ΞΟΑΝΩΙ

ΩΔΕ ΤΟΝ ΕΥΑΝΤΗ ΤΟΝ ΑΕΙ ΘΕΟΝ ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ ΠΑΙΣ
ΣΤΗΣΕ ΦΙΛΩΝ ΑΓΑΘΗΣ ΣΥΜΒΟΛΟΝ ΕΥΠΛΟΙΗΣ

1. Οὔριον ἐκ πρύμνης τὶς ὁδηγητῆρα καλείτω
Ζῆνα κατ' ἀπρόφτον ὠνίσιον ἐκπέτασας
Ἔστε κυανέας δίνας ἄρομος ἔνθα ποσειδῶν
Καμπύλον εἱλίσσει κῦμα παρὰ ψαμάθοις
Εἶτα κατ' αἰγαίαν πόντυ πλακὰ νόςον ἐρεῦναι
Νείσθω τῷ δὲ βαλὼν ψαιστὰ παρὰ τῷ ξοάνῳ

2. Ὧδε τὸν εὐάντη τὸν ἀεὶ θεὸν ἀντιπάτρου παῖς
Στῆσε φίλων ἀγαθῆς σύμβολον εὐπλοΐης

Latinis his verſibus reddidit Cl. Salvinius.

Invocet ipſe Jovem, qui vela rudentibus aptat,
Qui vento puppim proſperiore ferat.
Cyaneos iter ad fluctus, ubi propter arenam
Neptuno in gyrum curvae agitantur aquae;
Inde per Aegaeum reditum paret, aequoris oram,
Et ſtatuae rediens huic pia liba ferat.
Filius Antipatri felicis per mare curſus
Aeternum voluit ſymbolon eſſe Deum.

Hanc inſcr. corruptam vulgavit Reineſius in Cl. I. 97. itemque nonnullis in locis immutatam Aguilius Fleetwod. *pag* 52.

1. Navigantium nautarumque Diis, ac Deabus a Thomaſino diligenter enumeratis Jovem quoque hic lapis adſcribi jubet: nec ſine cauſa: nam apud Ciceronem I. *de* N. D. Phyſici pro Jove *aetherem*, ſive *ignem caeleſtem*, Horatius *Od. I. aerem*, Virgilius II. *Georg. pluviam* intelligunt, multorumque ſententia eſt, dictum ab adjuvando Jovem: cur ergo pro illa temporum caecitate non eum navitae invocarent? Nec mihi excidit, quod ſupra dixi in Diſſ. num. XI., imo hic confirmo, Ethnicos nempe, tametſi vota Diis facerent ſolverentque, in ſummis tamen periculis non Jovem, non Minervam, aut alium quempiam ſive Deum, ſive Deam imploraviſſe, ſed duntaxat Deum, aut Dominum, quod palam facit hiſtoria Jonae. Recordare celebrem inſcriptionem

in

Digitized by Google

in templo Delphico EI, de qua diſerte multa Plutarchus, ſed nihil verius, quam quod populo invocandus proponeretur ille, qui ſolus EI, ſive EST, unus nimirum Deus, qui Moyſi dixit, *qui eſt miſit me ad vos*. *Exod. III.* 14.

2. Virgilius *V. Aen.*, Plutarchus in *vita Pompeji*, Georgius Gualter. *Tabul. Antiq. Sicil. pag.* 64. complura memorant ad mare dicata Neptuno templa & aras: hic titulus indicat ſtatutum Jovi in Aegaeo litore ſimulacrum, quo nautae invitantur ad pia liba offerenda. De victimis ante navigationem, de remis, de temonibus, de veſtibus ceteriſque donariis poſt procellas ad Deos maritimos ſuſpendi ſolitis: vid. Thomaſin. *de Veter. Donar.* XXV.

XVI.

Neapoli in S. Dominici majoris, in Turri campanaria.

Ex Theſ. Murat. T. IV. p. MCMLXXXV. 7.

NIMBIFER ILLE DEVS MIHI SACRVM INVIDIT OSIRIM
IMBRE TVLIT MVNDI CORPORA MERSA FRETO
INVIDA DIRA MINVS PATIMVR FVSAMQVE SVB AXE
PROGENIEM CAVEAS TROIVGENAMQVE TRVCEM
VOCE PRECOR SVPERAS AVRAS ET LVMINA CELO *ſic*
CRIMINE DEPOSITO POSSE PARARE VIAM
SOL VELVTI IACVLIS ITERVM RADIANTIBVS VNDAS
SI PENETRAT GELIDAS IGNIBVS VRET AQVAS

In exemplo erat in primo verſu DEO pro DEVS, & MICHI pro MIHI, & in poſtremo ARET pro VRET. Quid ſibi velit haec inſcriptio, expectare ſe ab aliis dixit Cl. Muratorius, niſi videatur naufragi querela, quem euntem ad viſitandas aedes Oſiridis procella interceperit: ſed explicandis, quae primos verſiculos ſequuntur, & praecipue poſtremo diſticho enodando ſphynge opus eſt. Si haec ſphalmata foetum eſſe antiquitatis neges per me licet, ſed equidem doctiſſimo cum Muratorio vix intelligo, cur tandem quiſquam e recentioribus marmori haec inſcripta voluerit?

X V I I.

In Cypſeli arca cedrina. *Pauſan. Eliac. I. pag.* 166.

ΛΑΤΟΙΔΑΣ ΟΥΤΟΣ ΤΑΧ' ΑΝΑΞ ΕΚΑΕΡΓΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ
ΜΟΥΣΑΙ Δ' ΑΜΦ' ΑΥΤΟΝ ΧΑΡΙΕΙΣ ΧΟΡΟΣ ΑΙΣΙ ΚΑΤΑΡΧΕΙ

1. Λατοΐδας οὗτος τάχ' ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων,
Μοῦσαι δ' ἀμφ' αὐτὸν χαρίεις χορὸς, αἷσι κατάρχει.
En pater hic vatum proles Latonia Apollo,
Muſarumque chori circum, quibus imperat ilie.

1. Inter alia emblemata, quibus nitebat Cypſeli arca in Junonis templo, erant & Camoenae canentes, modos praeeunte Apolline. Cypſelum, qui poſtea Corinthi tyrannus fuit, quum recens natus ad necem depoſceretur, mater in arca condidit, quam Cypſelidae ejus poſteri ob ſervatum gentis ſuae principem Olympiae dedicarunt.

X V I I I.

Ibidem.

ΙΔΑΣ ΜΑΡΠΗΣΑΝ ΚΑΛΛΙΣΦΥΡΟΝ ΗΝ ΟΙ ΑΠΟΛΛΩΝ
ΑΡΠΑΣΕ ΤΑΝ ΕΚ ΝΑΟΥ ΑΓΕΙ ΠΑΛΙΝ ΟΥΚ ΑΕΚΟΥΣΑΝ.

Ἴδας Μάρπησαν καλλίσφυρον, ἥν οἱ Ἀπόλλων
Ἅρπασε, τὰν ἐκ ναοῦ ἄγει πάλιν οὐκ ἀέκουσαν.
Idas Marpeſam formoſam, quam ſibi Apollo
Eripuit, ſacra deducit ab aede volentem.

Marpeſae, ſive Alcyones fabulam deſcribit. *Homer. IX. Iliad.*

X I X.

Ad Pronoeae Minervae fanum. *Diodor. Sic. XI. p.* 13.

ΜΝΑΜΑ Τ' ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΛΕΜΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΑ ΝΙΚΑΣ
ΔΕΛΦΟΙ ΜΕ ΣΤΑΣΑΝ ΖΑΝΙ ΧΑΡΙΖΟΜΕΝΟΙ
ΣΗΝ ΦΟΙΒΩΙ ΠΤΟΛΙΠΟΡΘΟΝ ΑΠΩΣΑΜΕΝΟΙ ΣΤΙΧΑ ΜΗΔΩΝ
ΚΑΙ ΚΑΛΚΟΣΤΕΦΑΝΟΝ ΡΥΣΑΜΕΝΟΙ ΤΕΜΕΝΟΣ

1. Μνᾶμά τ' ἀλεξάνδρου πολέμου καὶ μάρτυρα νίκας
Δελφοί με στᾶσαν, Ζανὶ χαριζόμενοι,
Σὺν Φοίβῳ πτολίπορθον ἀπωσάμενοι στίχα μήδων,
Καὶ χαλκοστέφανον ῥυσάμενοι τέμενος.

Lau-

Laurent. Rhodoman.

Teſter ut antiqui robur palmamque duelli,
Votivum Delphis me ſtatuere Jovi,
Auſpice qui Phoebo Medûm pepulere cohortes,
Fortiter & nitidam huic aſſeruere domum.

1. Xerſes a Thermopylis digreſſus per Phoceñſium, deinde Dorienſium agros iter faciens, parti copiarum mandat, ut Delphici Apollinis incenſo templo ſacras opes eripiant: ſed barbari ad Pronoeae, ideſt *providae*, Minervae templum delati, repentina vi imbrium ac fulminum perterrefacti concitata inde fuga ſe ſe proripiunt: Graeci hanc Dei praeſentiam tropaeo Delphis ad Minervae fanum erecto teſtatam poſteris voluerunt. *Diodor. ibid.*

X X.

Delphis. *Plutarch. in T. Q. Flamin. p.* 376.

ΖΗΝΟΣ ΙΩ ΚΡΑΙΠΝΑΙΣΙ ΓΕΓΑΘΟΤΕΣ ΙΠΠΟΣΥΝΑΙΣΙ
ΚΟΥΡΟΙ ΙΩ ΣΠΑΡΤΑΣ ΤΥΝΔΑΡΙΔΑΙ ΒΑΣΙΛΕΙΣ
ΑΙΝΕΑΔΑΣ ΤΙΤΟΣ ΥΜΜΙΝ ΥΠΕΡΤΑΤΟΝ ΩΠΑΣΕ ΔΩΡΟΝ
ΕΛΛΗΝΩΝ ΤΕΥΞΑΣ ΠΑΙΣΙΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ

Ζηνὸς ἰὼ κραιπναῖσι γεγαθότες ἱπποσύναισι,
Κῦροι ἰὼ Σπάρτας Τυνδαρίδαι βασιλεῖς.
1. Αἰνεάδας Τίτος ὔμμιν ὑπέρτατον ὤπασε δῶρον,
Ἑλλήνων τεύξας παισὶν ἐλευθερίαν.

Xylandro interprete.

Dicite io celeri, quibus eſt equitare voluptas,
Voce, Jovis ſoboles, dicite Tyndaridae,
Io, Lacedaemonii reges: nam munera dextra
Vobis ſumma Titus praeſtitit Aeneades,
Nam libertatem reparavit Grajugenarum,
Triſte tyrannorum quae tulit ante jugum.

1. Hic ille T. Q. Flaminius, qui Philippo Macedonibuſque victis inſperatam Graeciae libertatem Corinthi reddidit Iſthmia celebrans, quod & multo poſt iterum fecit Nero. Quintius re bene geſta clypeos argenteos & ſcutum ſuum Delphis dedicavit cum hac inſcriptione. Dedit etiam Apollini

lini coronam auream cum ſequenti titulo.

X X I.

Plutarch. ibid.

ΤΟΝ ΔΕ ΤΟΙ ΑΜΒΡΟΣΙΟΙΣΙΝ ΕΠΙ ΠΛΟΚΑΜΟΙΣΙΝ ϜΘΗΚΕ
ΚΕΙΣΘΑΙ ΛΑΤΟΙΔΑ ΧΡΥΣΟΦΑΗ ΣΤΕΦΑΝΟΝ
ΟΝ ΠΟΡΕΝ ΑΙΝΕΑΔΑΝ ΤΑΓΟΣ ΜΕΓΑΣ ΑΛΛ' ΕΚΑΕΡΓΕ
ΑΛΚΑΣ ΤΩΙ ΘΕΙΩΙ ΚΥΔΟΣ ΟΠΑΖΕ ΤΙΤΩΙ

Τὸν δέ τοι ἀμβροσίοισιν ἐπὶ πλοκάμοισιν ἔθηκε,
Κεῖσθαι Λατοΐδα χρυσοφαῆ ςέφανον·
Ὃν πόρεν Αἰνεαδᾶν ταγὸς μέγας. ἀλλ' Ἑκάεργε
Ἀλκᾶς τῷ θείῳ κῦδος ὄπαζε Τίτῳ·

Hanc tibi fulgentem dedit auro, Phoebe, coronam,
Divinum cupiens condecorare caput,
Aeneadum ductor magnus: ſed Apollo viciſſim
Virtutis tribuas tu decus alme Tito.

X X I I.

Delphis. *Plutarch. de Herodot. malign. p.* 873.

ΕΛΛΗΝΩΝ ΑΡΧΗΓΟΣ ΕΠΕΙ ΣΤΡΑΤΟΝ ΩΛΕΣΕ ΜΗΔΩΝ
ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ ΦΟΙΒΩΙ ΜΝΗΜ' ΑΝΕΘΗΚΕ ΤΟΔΕ

Ἑλλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ ςρατὸν ὤλεσε Μήδων
Παυσανίας Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε.

Iſtuc Pauſanias Phoebo poſuit monumentum,
Medos Graecorum dux quia perdiderat.

1. Pauſanias quum jam ad tyrannidem aſpiraret, hoc Delphis inſcripſit, ſed Graeci eraſo epigrammate, urbium nomina inſcripſerunt. Hinc Plutarchus Herodoto ſuccenſet glorioſum cum Xerſe praelium tribus duntaxat urbibus adſcribenti: illius quidem elegantiam in ſcribendo laudat, ſed ſicut in roſa cantharides, ſic ſub ejus figuris calumniam eſſe cavendam admonet & invidentiam.

X X I I I.

Herodot. V. 61. *p.* 310.

ΛΑΟΔΑΜΑΣ ΤΡΙΠΟΔ' ΑΥΤΟΝ ΕΥΣΚΟΠΩΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ
ΜΟΥΝΑΡΧΕΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ ΤΕΙΝ ΠΕΡΙΚΑΛΛΕΣ ΑΓΑΛΜΑ

Λαοδάμας τρίποδ' αὐτὸν ἐϋσκόπῳ Ἀπόλλωνι

Mu-

Μυναρχέων ἀνέθηκε τἶιν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Laodamas ipſum tripodem ſua in urbe Monarchus
Hoc inſigne decus tibi, magne dicavit Apollo.

XXIV.

Ibidem.

ΑΜΦΙΤΡΥΩΝ Μ' ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΕΩΝ ΑΠΟ ΤΗΛΕΒΟΑΩΝ

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἑὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.

Obtulit Amphitryon me gentis Theleboorum.

XXV.

Ibidem.

ΣΚΑΙΟΣ ΝΥΓΜΑΧΕΩΝ ΜΕ ΕΚΗΒΟΛΩΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ
ΝΙΚΗΣΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕ ΤΕΙΝ ΠΕΡΙΚΑΛΛΕΣ ΑΓΑΛΜΑ

Σκαιὸς πυγμαχέων με ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
Νικήσας ἀνέθηκε τἶιν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Scaeus in aſſueto pugilum certamine victor,
Me tibi ſacravit ſpecioſum munus, Apollo.

Tres haſce inſcriptiones litteris Cadmaeis, quae parum ab Jonicis differebant, vidit exſcripſitque Herodotus apud Thebas Boeotias.

XXVI.

Delphis in tripode.

Diodor. Sicul. XI. p. 26.

ΕΛΛΑΔΟΣ ΕΥΡΥΧΟΡΟΥ ΣΩΤΗΡΕΣ ΤΟΝΔ' ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΔΟΥΛΟΣΥΝΗΣ ΣΤΥΓΕΡΑΣ ΡΥΣΑΜΕΝΟΙ ΠΟΛΙΑΣ

Ἑλλάδος εὐρυχόρου σωτῆρες τόνδ' ἀνέθηκαν,
Δουλοσύνης στυγερᾶς ῥυσάμενοι πόλιας.

Laurentius Rhodomanus.

Tutores Grajae poſuere haec munera gentis,
Servitii a patria quum repulere jugum.

Mardonio caeſo, Artabazo viro inter Perſas celebri in fugam conjecto, X. millibus barbarorum trucidatis, Graeci decimam e ſpoliis deligunt, aureumque tripodem cum hoc elogio in templo dedicant.

XXVII.

XXVII.

Tarviſii in vaſe rotundo. *Murat. T. I. Cl. II. p.* CXLVI. 5.

INTONSI SVM CVRA DEI
PENEIA VIRGO
PERPETVAE PVLCHRO FRONDIS
HONORE VIRENS
QVISQVIS AMAS PHOEBVM LAVRVM COLE
QVICQVID AMATAE
DEDITVR ACCEPTVM GRATIS
AMATOR HABET

Intonſi ſum cura Dei Peneja virgo
Perpetuo pulcro frondis honore virens:
Quiſquis amas Phoebum, laurum cole; quicquid amatae
Deditur, acceptum gratis amator habet.

Daphnes imago ibi ſculpta fuit. Perbelle *Ovid Met. I.*

Arbor eris certe mea: ſemper habebunt
Te coma, te citharae, te noſtrae, laure, pharetrae.

XXVIII.

In templo Junonis. *Pauſan. V. p.* 167.

ΕΡΜΕΙΑΣ ΟΔ᾽ ΑΛΕΞΑΝΔΡΩΙ ΔΕΙΚΝΥΣΙ ΔΙΑΙΤΗΝ
ΤΟΥ ΕΙΔΟΥΣ ΗΡΑΝ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΝ ΚΑΙ ΑΦΡΟΔΙΤΑΝ.

Ἑρμείας ὅδ᾽ Ἀλεξάνδρῳ δείκνυσι διαιτῆν
Τῦ εἴδυς Ἥραν, καὶ Ἀθηνᾶν, καὶ Ἀφροδίταν.

Mercurius Paridi oſtentat ſpectanda Dearum
Corpora, Junonis, Tritonidis, atque Diones.

In Cypſeli arca modo commemorata.

XXIX.

In agro Veronenſi. *Grut. LIII.* 8.

MERC. SACR

1. SVM. DEVS. ALATIS. QVI. CRVRIBVS. AETHERA. CARPO
2. QVEM. PEPERIT. SVMMO. LVCIDA. MAIA IOVI

1. Alae Mercurio additae ſermonis velocitatem: *Macrob. Saturn. I.* 19. caduceus orationis rectitudinem: *Cael. Rhodig. XXI.* 6. marſupium ſignificat negotiationem, cujus cauſa in lapid. dicitur NEGOCIATOR, & ORBIS CONSERVATOR, cui

ſacra mercatores Romae faciebant idibus Maji extra portam Capenam. Dictus quoque *Oſtiarius & Janualis*, *Macrob. I. c. 9.* quod praeeſſe putaretur januis inferis ac caeleſtibus; item *Camillus*, ſeu *Caſmillus*, i. e. Deorum miniſter; *Ibid III. 8.* & unus ex Cabiris, ſeu ſamothracibus eſt apud Voſſium *de Orig. & Progr. idol. II. 57.*

1. Jovis fingitur, & Majae, i. e. Mentis, ac Prudentiae filius, cui Aegyptii libros inſcribebant. Nam Julius Firmicus, & Plato in Phaedro tradunt apud Aegyptios Mercurium habitum geometriae, aſtronomiae, & haruſpicinae auctorem; iccirco Etruſcorum ritu praeter alas gerebat cornucopiae dextra, laeva lampadem accenſam, inſiſtebatque globo, orbis terrarum indici. *Muſ. Etr. Tom. I. tab. XXXIV. Tom. II. pag.* 109. *Muſ. Flor. Tom. I. Cl. IV. tab. LXX. LXXI. & Tom. II. Cl. IV. tab. LXXXVIII pag.* 143.

XXX.

Ex Giſb. Cuperi Harpocr. p. 152.

1. ΔΕΣΠΟΙΝΗΙ ΝΕΜΕΣΕΙ ΚΑΙ ΣΥΝΝΑΟΙΣΙ ΘΕΟΙΣΙΝ
ΑΡΡΙΑΝΟΣ ΒΩΜΟΝ ΤΟΝΔΕ ΚΑΘΕΙΔΡΥΣΑΤΟ

2. IVSTITIAE NEMESI FATIS QVAM VOVERAT ARAM
NVMINA SANCTA COLENS CAMMARIVS POSVIT

Δεσποίνῃ Νεμέσει καὶ Συνναοῖσι Θεοῖσιν
Ἀῤῥιανὸς Βωμὸν τόνδε καθειδρύσατο.

Videlicet

Reginae Nemeſi, Diis & Conſentibus aram
Hanc Arrianus datque dicatque libens.

1. Sic ego vertebam, quod ΣΥΝΝΑΟΙ iidem ſint ac *Dii Conſentes* auſpice ac duce Cl. Georgio Arnaud. *de Diis* Παρέδρεις *IX.*; etenim apud Graecos, Syrios, Aegyptios plures olim Dii nuncupabantur ΣΥΝΝΑΟΙ, ΣΥΝΟΙΚΟΙ, ΟΜΟΝΑΟΙ, ΟΜΟΤΟΙΚΟΙ, ΣΥΝΕΡΚΕΙΟΙ, latine *Contubernales*, utpote uno in templo, aut iiſdem in ſeptis, vel una in aedicula habitantes. Item Dii quidam dicti ΣΥΝΒΩΜΟΙ, & ΟΜΟΒΩΜΟΙ, eandem aram tenentes, italice *Coaltariſti*; & ΠΑΡΕΔΡΟΙ, ΣΥΝΘΡΟΝΟΙ, ΣΥΝΘΑΚΟΙ, ΣΥΝΘΩΚΟΙ, ΣΥΝΕΔΡΟΙ, ΣΥΝ-

ΚΑΘΕΔΡΟΙ, & ΟΜΟΘΡΟΝΟΙ a ſedili, ubi una conſidebant, nempe *Aſſidentes*, *Conſidentes*, *Aſſeſſores*, *Conſentes*, dicti & *Adhaerentes* a loco, aut a cultu, quod una ſcilicet habitarent, vel colerentur. Hac de re conſulendus *Gisb. Cuperus lib. IV. Obſerv. c.* 3. & Cl. Bajulivus Redius ad inſcr. DEIS ADHAERENTIBVS SACRVM *Diſſert. Acad. Corton. Tom. II.*

2. Camillus Peregrin. in Diſſ. *de Campan. Fel.* vulgavit hunc lapidem, quem ſupplet Cuperus in voce ATIS, primo nempe elemento per negligentiam omiſſo, aut temporis invidia obliterato.

X X X I.

OPTATVS CASSIVS

1. OPTIONIS F

2. SVSCEPTVM MERITO VOTVM TIBI MERCVRI SOLVI

VT FACIAS HILARES SEMPER TVA TEMPLA COLAMVS.

1. Doctiſſimus Marchio Scip. Maffejus in *Gall. Antiq. Epiſt. XV. p.* 70. Novariae hoc ſe diſtichum exſcripſiſſe ait vix e terra erutum, ubi & gentilitio cognomentum praemiſſum cernitur, & Optionis nomen.

2. Quod aequas Mercurius in negotiatione partes ſervaret, propterea in nummis interdum fingebatur cum navi comite navigationis. *Muſ. Etr. Tom. I. ad Numiſm. aer. Tab. CXCVII. n.* 6. *& Tom. II. pag.* 425. Laevinus Hulſ. num. 40. Q. Her. Etruſci Meſſii Dec. nummum habet, in cujus averſa parte Mercurius petaſatus, & ſeminudus dextra crumenam, ſiniſtra caduceum tenet cum epigr. PIETAS AVGG., quae virtus maxime alitur eloquentia, liberalitate, concordia, quarum indicia ſunt alae in petaſo, crumena in dextera, caduceus in ſiniſtra.

X X X I I.

In majore Urna. *Grut. CMXXVII. 5.*

1. PLVTONI . SACRVM . MVNVS . NE . ATTINGITE . FVRES

IGNOTVM . EST . VOBIS . HOC . QVOD . IN . VRNA [a] . LATET

2. NAMQVE . ELEMENTA . GRAVI . CLAVSIT . DIGESTA . LABORE

3. VASE . SVB . HOC . MODICO . MAXIMVS . OLYBRIVS [b]

AD

ADSIT . FOECVNDO . CVSTOS . SIBI [c] . COPIA . CORNV
NE . [d] PRETIVM . TANTI . DEPEREAT . LATICIS

XXXIII.

In Urna minore.

ABITE . HINC . PESSIMI . FVRES
VOS . QVID . VOSTRIS . VOLTIS
CVM . OCVLIS . EMISSICIIS
ABITE . HINC . VESTRO . CVM . MERCVRIO
PETASATO . CADVCEATOQ
MAXIMVS . MAXIMI . DONVM
4. PLOTONI . HOC . SACRVM . FECIT

a *Smetius*, & *Scardeonius pro* urna *legunt* ORBE.
b *Scard.* OLYBIVS. c *Idem* TIBI. d *Smet.* PREMIVM.

A. D. 1500. circa Ateſtem in agro Patavino reperta eſt urna coctilis ſex verſibus inſcripta primo loco poſitis, intra quam alia urnula ſeptem quoque inſcripta verſibus Plautinum morem redolentibus. In eadem urnula duae ampullae, altera ex auro, ex argento altera, liquidiſſimi liquoris plenae. In medio earum lucerna ardens fuiſſe fertur ſtatim extincta, ac detecta: ſed anilem hanc fabellam non tam Ferrarius *de Vet. Lucern. Sepul.*, quam tota Philoſophia cum riſu rejicit. De hoc Epigrammate vid. Boxhorn. *Quaeſt. Rom. II.*

1. Divitiarum cuſtodia, quippe quae ex intimis terrae viſceribus effodiantur, Pluto, vel Plutoni eſt olim tradita, qui in *Lexico Anglicano Franciſci Gouldman.* quum accedit, *claudus*, quum abit, *alatus* fingitur; *caecus* etiam, quod fortunae inſtar ſaepe ad indignos diverteret, fingebatur. Dictus quoque *Summamus*, quaſi *ſummus manium*; *Martian. Capell. de Nupt. Philolog.* ſed Ovidius dubitat, quis hic ſummanus *VI. Faſt.* A Latinis *Edeſius*, & *Edeiſius* ab inferni loco profundiſſimo nominatus creditur, & in lapid. VRAGVS vel VREGVS *Gud. XL.* quod mortales ad inferos urgeat, vel quod urat. Vid. *Heracl. Pont. de Polit. in Cephalen.* & *Demſter. Etr. Reg. I. 3.* & *Muſ. Etr. Tom. II. Cl. I.*

2. Scardeonius in *Antiq. Patavin.* putat hoc fuiſſe Alchy-

miae opus . Ipſe viderit . Idem duos ultimos verſus ita legit :

DONVM . HOC . MAXIMVM

MAXIMVS . OLYBIVS . PLVTONI . SACRVM . FACIT

3. Hic Olybrius auctor & dator muneris quando clarue rit , incertum eſt : multi hoc nomine illuſtres fuerunt : Procon-ſul quidam Africae A. D. 354. alter Coſ. 448., alius item Coſ. 464. & alius 491. vide alios apud Reineſium , qui hunc arbitratur omnium antiquiſſimum .

4. Verſus primus & ultimus emendat Abrahamum Ortel. *de Deor. Capitibus l.* 12., qui diſtinguit a Plutone Plutum , atque hunc divitiarum eſſe praeſidem tradit .

X X X I V.

Romae . *Grut. pag. XXVIII.* 1.

ΜΗΤΕΡΙ ΤΗΠΑΝΤωΝ ΡΕΙΗ ΤεΚεων ΤΕ ΓΕΝΕΘΛω
ΑΤΤΕΙΘΥΨΙΣΤωΙ ΚΑΙ ΣΥνιΕνΤΙΤΟ ΠΑΝ
ΤωΠΑΣΙΝ ΚΑΙΡΟΙΣ ΘΕΜεΡω ΤεΡΑΠΑΝΤΑ ΦΥΟΝΤΙ
ΚΡΙΟΒΟΛΟΥ ΤΕΛΕΤΕΣ Ηδετι ταΥΡΟΒΟΛΟΥ
ΜΥΣΤΙΠΟΛΟΣ ΤΕΛΕΤωΝ ΤοΥτΟΝ ΣΥΝΘΗΚΑΤΟΒωΜΟΝ.
ΔωΡΟΝ ΑΠΟΛΛωΝΟΣ ΘΕιΟν ΕΧωΝ ΕΠΙΚΛΗΝ

PETRONIVS . APOL*lod*ORVS . V . C
PONTIF . MAIOR . XV . *vir* . SACR . FAC.
PATER . SACR . DEI IN*victi* . MITHRAE
TAVROBOLIO . CRIO*bol*ICQ . PERCEPTO
VNA . CVM . RVF . VOLV*fi*ANA . C . F . CON
IVGE . XVI . KAL . IV*Lias* . DD . NN
VALENTINIANO . ET . VALen*t*E . AVGG . COSS
ARAM . DICAVIT

Characteres diverſi indicant literas effractas , aut raſas . Van-Dal. cum Scaligero emendat v.3. δημιεργέτῃ, & 5. τελέθων .

1. Μητέρι τῇ πάντων Ῥείῃ τεκέων τε γενέθλῃ
Ἄττει θ' ὑψίςῳ , καὶ συνιέντι τὸ Πᾶν ,
Τοῖ πᾶσιν καιροῖς δημιεργέτῃ πάντα φύοντι
2. Κριοβόλου Τέλετης ἠδέ τε Ταυροβόλου ,
Μυςίπολος τελέθων τοῦτον συνθήκατο βωμόν·
Δῶρον Ἀπόλλωνος θεῖον ἔχων ἐπίκλην .

Sic

Sic vertit latine Scaliger.

Omnium Opi matri, prolique illius, & Atti
Summo, cui rerum eſt omnia noſſe datum,
Cuncta potens matura ſuo qui tempore profert,
Crioboli Antiſtes Tauroboliquе ſacri,
Iſtam devotus ſacratam ſuſcitat aram,
Qui trahit a dono nomen Apollineo.

1. Praeter cetera portenta Cybeles ſimulacrum quotannis a Sacerdote lavari ſolitum in Almonis fluviolo Ovidius narrat *IV. Faſt.*, quam lotionem adeo foedam S. Auguſtinus fuiſſe ſcribit *de C. D. II.* 4. ut, quae publice cantabantur a nequiſſimis ſcenicis, non modo matrem Deorum, ſed matrem qualemcunque ſenatoris, aut cujuslibet honeſti viri, imo & ipſorum ſcenicorum non deceret audire.

2. Criobolium arietum, Taurobolium taurorum immolatio fiebat Cybeli, & Attini, vel Attidi, nempe Soli, quibus ſacris initiandi, poſtquam diu variis rationibus eorum religio probata fuerat, in profundam ſcrobem demittebantur conſtratam tabulis undique terebratis. Deſuper auratis cornibus mactatus taurus ſanguinem in ſcrobem immittebat, toto foedato corpore ſacerdotis, quem ſic deſcribit Prudentius in Martyre Romano:

Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapſus imber, tabidum rorem pluit,
Defoſſus intus quem ſacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe ſubjectans caput,
Et veſte & omni putrefactus corpore.
Quin os ſupinat, obvias offert genas,
Supponit aures, labra, nares objicit,
Oculos & ipſos perluit liquoribus,
Nec jam palato parcit, & linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.

Aringhus Crioboli, Tauroboliique ſimulacra, quum nova Baſilicae fundamenta aperirentur, multa in Vaticano reperta ſcribit, ubi veriſimile eſt, templum Cybeles extitiſſe. *III. Rom. Subterran.*

X X X V.

Romae. *Reineſ. Cl. I. num. XLI. p.* 83.

ΕΚ . ΔΕΚΑΠΕΝΤ' . ΑΝΔΡΩΝ . ΦΟΙΒΟΤΤΕ
ΦΑΝΕΦΟΡΟΣ . ΙΡΕΤΣ
ΚΡΕΣΚΕΝΣ . ΗΓΑΘΕΟΣΤΕ . ΛΕΟΝΤΙΟΣ
ΕΝΣΟΦΟΙ . ΑΝΔΡΕΣ
ΟΣ . ΜΕΝ . ΑΠ'. ΑΝΤΟΛΙΗΣ . ΟΣΔ'. ΑΡ' . ΑΦ'
ΕΣΠΕΡΙΗΣ
ΟΡΓΙΑ . ΣΤΝΡΕΞΑΝΤΕ . ΘΕΑΙ . ΠΑΜΜΗ
ΤΟΡΙ . ΡΕΙΗΙ
ΚΡΙΟΒΟΛΟΤ . ΤΕΛΕΤΗΣ . ΚΑΙ . ΤΑΤΡΟΠΟ
ΛΟΙΟ . ΦΕΡΙΣΤΗΣ
ΗΜΑΣΙ . ΜΤΣΤΟΠΟΛΟΙΣ . ΒΩΜΟΝ
ΥΠΕΡΤΙΘΕΣΑΝ

Diſtinctionem, quae ſequitur, litterarum, & lectionis varietatem dat *Cl. Van-Dal. de Taurob. IX. pag.* 118.

Ἐκ δέκαπέντ' ἀνδρῶν Φοίβου στεφανηφόρος ἱρεὺς
Κρέσκενς, ἠγάθεός τε Λεοντίος ἔνσοφοι ἄνδρες,
Ὅς μὲν ἀπ' Ἀντολίης, ὃς μὲν ἀφ' Ἑσπερίης.
Ὄργια συνρέξαντε θεαὶ Παμμήτορι Ῥείῃ
1. Κριοβόλου τελέτης καὶ Ταυροπόλοιο φερίστης
2. Ἤμασι μυστοπόλοις βωμὸν ὑπερτίθεσαν.

Sic latine reddidit, ſed ſubobſcure Cl. Reineſius.

Unus quinque decemque virum Phoebique ſacerdos
Sub ſerto Creſcens, ſapienſque Leontius, oris
Alter ab Eois, alter ab Heſperiis,
Una cunctorum celebrantes orgia Matris
Rheae, Crioboli feſtis ſacriſque diebus
Tauroboli altare hoc conſtituere ſuper.

1. Romae in contemtum ſacri Baptiſmatis dira haec portenta invaluiſſe multis aucta ſacrilegiis reor: invaluiſſe dico: quicquid enim Reineſius, Antonius Van-Dal., & alii contra ſentiant, Mithriacae initiationes, quas Gorius veterum Baptiſma nuncupat Etruſcorum, multis ſeculis ante Chriſtum apud Tyrrhenos obtinuerunt, aperte id oſtendentibus

Digitized by Google

tibus apud Demſterum, Bonarrotium, Gorium anaglyphis Tuſcorum operibus antiquiſſimis, inter quae dignum viſu praeſertim eſt ſepulcrum Volaterranum. *Muſ. Etr. Tom. II. Cl. III. tab. CLXXI.*

2. Altaria hujuſmodi pro ſalute Caeſarum a totis ſimul ordinibus, civitatibus, ac provinciis erigebantur, nedum a privatis hominibus pro ſua, vel ſuorum incolumitate: *Anton. Van-Dal. loc. cit. VI.*, in Etruria vero haec monſtra in uſu erant aeque pro viventium, ac mortuorum expiatione, ſi fides habenda eſt aliqua ſepulcralibus anaglyphis, niſi mavis opera in ſepulcris anaglyptica non ſacro ritui, ſed artificum arbitrio tribuenda.

XXXVI.

Romae.

Grut. XXVII. 4.

DIS MAGNIS

VLPIVS . EGNATIVS . FAVENTINVS

1\. V.C. AVGVR.P.V.B.P.R.Q.

2\. PATER . ET . HIEROCERYX [a] . D.S.I.M [b]

3\. ARCHIBVCVLVS [c]. DEI . LIBERI

HIEOFANTA . HECATAE . SA

CERDOS . ISIDIS . PERCEPTO

TAVROBOLIO . CRIOBOLIOQ.

4\. IDIBVS . AVGVSTIS . D.D.N.N

VALENTE . AVG . V . ET . VALENTINIA

5\. NO . AVG . CONSS . FELICITER

6\. VOTA · FAVENTINVS . BIS . DENI

SVSCIPIT . ORBIS

VT . MACTET . REPETENS . AVRATA

FRONTE . BICORNES

a *Alib.* HIEROCORAX b *Pigh. & Onufr.* M.I

c *Pigh.* ARCHIBVCOLVS

Haec ara in dextro latere habet pinum, a qua pendent crotala, fiſtulaeque compactae, & ſubtus aſtat aries alligatus.

tus. In ſiniſtro latere pendet e pinu pedum, & fiſtulae item duae, inferius ſtat taurus.

1. P. V. B. i. e. *Publicus*: has ſyllabas Antonius Van-Dal. conjungit; & Gruteri, ac Aldi lapides, ubi diviſae ſunt, male vel ſculptos autumat, vel exſcriptos. P. R. Q. i. & Populi Romani Quiritium.

2. HIEROCERYX i. e. Hierocorax, a Hiero, & Corax, quo nomine dictus Mithra. *Vid. S. Hieronym. Epiſt. ad Laetam de inſtitut. fil.* D. S. I. M. i. e. *Dei Solis Invicti Mithrae*. Sol invictus dicitur, quod laboret, nec laborem ſentiat Servio interprete ad illud Virgilii *Aen. I.*

Hic canit errantem lunam, ſoliſque labores.

Solis invicti imago eſt in nummis Conſtantini imp. qui Solem juſtitiae Chriſtum deſignavit, cujus facies in monte Thabor inſtar ſolis reſplenduit. At quum illo in numiſmate Sol feritatem quandam praeſeferat, ideo Abrahamus Ortelius putat nummum a Conſtantino cuſum antequam Chriſti fidem profiteretur: *De Deor. Dearumq. cap. I.* 8.

3. ARCHIBVCVLVS *pater ſacrorum*: HIEROPHANTA *magiſter ſacrorum a* ἱεροφάντω, ſacra doceo, myſteria perago.

4. Incidit in ann. Chr. 376. Primum in urbe Taurobolium Aguilius Fleetwodus in *ſyllog.* factum opinatur ſub Marco imp. ab Auſuſtia Prima A. D. 175.

5. FELICITER, haec acclamatio ſolemnis votorum concluſio fuit, & ſaepe occurrit in Mithriacis monumentis, ad quam reſpiciens Tertullianus dicebat: *initiatus & conſignatus vives in aevum*: nam myſtae initiatis in praeſenti tranquillitatem, & meliora poſt interitum augurabantur. Eadem formula *feliciter* ſponſalibus, & aliis acclamatum diſcimus ex Franc. Bernardino Ferrario *de veter. Acclamat VI.* 13., & Phaedro *lib. V. Fab. I. v.* 4. Fauſta haec acclamatio congruit cum illa formula, quam P. Eduardus Corſinus, decus mei Ordinis immortale, Athenienſibus familiarem fuiſſe docet in publicis decretis, nempe *cum bona Fortuna*: *quod fauſtum ſit*, *vel Bono Eventui*: *Faſt. Attic. Part. I. Diſſert. XI. num. III.*

cujuſ-

cujuſmodi phraſes in latinis marmoribus uſurpatas videmus in Grutero *pag. Cl.* 8., in Muratorio *pag. XCII.* & *MCII.*, & Thomaſino *de Donar. IX.* At in lapide Tiburtino pro *feliciter* legitur NAMA CVNCTIS, & in Burgheſiano NAMA SEBESIO. Hanc vocem NAMA a Grutero, Bulengero, Muratorio varie explicatam Cl. Bajulivus Gregorius Redius ex lingua perſica interpretatur *Beneficium*, vel *Gratiam*, aut *Felicitatem*, *Diſſertat. de Diis Adaerent. inter Diſſ. Acad. Etr. Corton. T. II.* ita ut NAMA CVNCTIS idem ſit, ac *felicitas omnibus*, & NAMA SEBESIO *felicitas Sebeſio* lapidem dedicanti, aut a voce Σιβήσις, Σιβάσις, quae venerationem adorationemque ſignificat, ſponderi videatur *gratia cultori cuicunque Mithrae*.

6. *Bis denus Orbis* non diurnum, ſed annuum hic ſolis curſum ſignificat: ideo in his ſacris ſcala erigebatur cum ſeptem portis ex diverſo metallo ad deſignandum planetarum numerum ac varietatem. Faventinus expiatum ſe jactitat ad viginti annos, quibus tranſactis poterat initiatus portenta haec indigniſſima renovare, teſtante antiquo poemate apud Salmaſium, cujus pauca haec habe:

Sub terram miſſus, pollutus ſanguine tauri,
Sordidus, infectus veſtes ſervare cruentas,
Vivere quod ſperas viginti mundus in annos.

Veſtes ſervare dicitur, quia ſacris confectis arae, vel ſimulacro veſtimenta ſuſpendere, aut nunquam, niſi prorſus detrita, deponere, aut ad infantium faſcias, ut à faſcino immunes eſſent, reſervare conſueverant, *Muſ. Etr. Tom. III Cl. III. p.* 349. & *Van-Dal. de Taur. IV.* Alibi dicitur IN AETERNVM RENATVS. Et nequiſſime quidem. In hoc enim Ethnicorum baptiſmo Cl. Praeſul a Turre auctoritatibus SS. Auguſtini, & Juſtini, tum Firmici, ac Tertulliani evincit, a Mithriacis, quicquid ſacrae litterae Chriſto tribuunt, temere adſcriptum Mithrae, quem nuncuparunt Solem, Leonem, Ignem, Lapidem, *Monum. Vet. Ant. Part. II.* 6.: huc fortaſſe ſpectabat & illa vox NAMA, Graece fontem ſignificans, quo nomine Chriſtus deſignatur in iis verbis, *Fons aquae ſalientis*. Spe-

M lun-

luncas quoque pro templis habuere, & ea orgia interdum ad diem Decembris quintum & vigeſimum produxerunt, quia a Chriſtianis audierant & ſpeluncam, & illud temporis conſcium extitiſſe divini partus.

XXXVII.

Romae Grut. XXVIII. 6.

1. M. D. M. IDAE. ET. ATTIDI. MINOTAVRO[a]
NOBILIS. IN CAVSAS[b]. FORMA[c]. CELSVSQ. SABINVS
HIC. PATER. INVICTI. MYSTICA. VICTOR. HABET
SERMO. DVOS : : : : : : : : : : : : : : RESERVAT[d]
CONSIMILES. AVFERT
: :
ET. VENERANDA. MOVET. CYBELES. TRIODEIA. SIGNA
AVGENTVR. MERITIS. SYMBOLA. TAVROBOLI
RVF CAIONI[e] CAESABINI. F.[f] V. C.
PVBPRQ PATER SACROR INVICT MITHRAE TAVROBOLINVS[g]
M D M. ID. ET. ATTIDIS[h] MENOTYRANNI ET ARAM. IIII ID. MART
2. GRATIANO V[i] ET MEROBAVDE COS. DEDICABIT[k]
3. ANTIQVA GENEROSE DOMO CVI REGIA VESTAE
4. PONTIFICI FELIX SACRATO MILITAT IGNE
IDEM AVGVR TRIPLICIS CVLTOR VENERANDE DIANAE
PERSIDICIQ MITHRAE ANTISTES BABILONIE TEMPLI
TAVROBOLIQ SIMVL MAGNI DVX MISTICE SACRI

a *Ligor.* MENOTYRANNO b *Van Dal.* CAVSIS
c *Ligor.* FAMA d *Al.* RESERVANS
e *Van-Dal.* CAEON. CAE f *Ligor.* V.C. AVGVR
g *Ligor.* TAVROBOLIATVS h *Van Dal.* ATTTIDI
i *Ligor.* IV. k *Al.* DEDIC. Vid. *Holthen. in Add. CCCXVIII.*

1. M.D.M. i.e. *Magnae Deum matri*, de cujus Sacerdotibus, ſacriſque impuriſſimis videſis S. Auguſtinum *de C. D. VII.* 24. 25. & Tertullianum *Apolog.* 24., ac Prudentium *Hymn. X. de S. Rom. Mart.*

2. An. Chr. 377. DEDICABIT i.e. *dedicavit*: nam B pro V ſaepe in ant. lapid. Circa id temporis contigit, quod ſcribit S. Hieronymus *Epiſt. ad Laetam de Inſtit. Fil.*, Gracchum ſcilicet

licet paucos ante annos adhuc ethnicum, ſpecum Mithrae & portentoſa ſimulacra ſubvertiſſe, & iis quaſi obſidibus ante praemiſſis baptiſmum Chriſti divinitus impetraviſſe. Dixi circa id temporis, quia hoc ſcriptum fuit a S. Hieronymo poſt mortem S. Damaſi, quae contigit A. D. 386.

3. Ingenuo Romanorum nemini olim magnae matris orgiis initiari ex decreto ſenatus licuit, *Dionyſ. II.*, at hoc verſu docemur, illud S. C. fuiſſe omnino peſſundatum. Illuſtrium & feminarum, & virorum, qui ultro ſe hac turpitudine foedaverunt, exempla dant bene multa vetuſti lapides, *Grut. CCCIX. Ald. Orthogr.* 30. *Anton. Van-Dal. V.* Quin etiam Heliogabalum imp. his ſacris initiatum putant Salmaſius, & Caſaubonus Lampridii auctoritate, de qua dubitat Antonius Van-dal. *Diſſert. II. de Pontif. Max.*

4. Cave, ne orgia haec foediſſima confundas cum Pontificis Max. conſecratione, in quem errorem lapſi ſunt viri doctrina ſpectatiſſimi *Baron. ad A. D.* 361. *n. IV. & Bullenger. II. de Imper. Rom.* 18. *& alii*; decepti ſcilicet iis Prudentii verſibus paulo ante prolatis, ubi nec poetam de Pontifice loqui, nec Pontifices iis fuiſſe ritibus conſecratos, illa, ni fallor, omnium potiſſima oſtendit ratio, quod primis Eccleſiae ſeculis multi Chriſtiani Principes Pontificatum ſimul cum imperio ſuſcepere, *Van-Dal. de Taurob. III. & Diſſ. II. de Pontif. Max.* De Valentiniano, Valente, Gratiano vid. *Theſ. Grut. CLX.* 4.

5. Mithra dictus Perſidicus, & Babylonius, quod Babylone, vel in Perſaeo antro ſit primum cultus a Perſis leonino vultu, cum thiara, & utraque manu bovis cornua comprimens, indicando lunam a mithra, ſive ſole lucem accipere. Mithrae ſchema elegantiſſimum, ſerpente circumvolutum, globo inſiſtens, quatuor alis ornatum, & claves utraque manu geſtans, facie de more leonina vid. apud *Montfauc. Diar. Ital. c. XIV.*

Digitized by Google

XXXVIII.

Diis . . *Plutarch. in Timoleonte p.* 251.

ΤΑΣ Δ'ΟΣΤΡΕΙΟΓΡΑΦΕΙΣ ΚΑΙ ΧΡΥΣΕΛΕΦΑΝΤΕΠΗΛΕΚΤΡΟΥΣ
ΑΣΠΙΔΑΣ ΑΣΠΙΔΙΟΙΣ ΕΙΛΟΜΕΝ ΕΥΤΕΛΕΣΙ

Τὰς δ' ὀςρειογραφεῖς καὶ χρυσελεφαντηπηλέκτρους
Ἀσπίδας ἀσπιδίοις εἵλομεν εὐτελέσι.

Auro, ebore, electro pictos, oſtroque nitentes
Vilibus hos clypeis cepimus en clypeos.

Mamercus Catanae in Sicilia tyrannus, fuſis aliquot copiis mercenariis clypeos Diis cum probroſo hoc elogio dedicavit, votorum exitu infelici. Nam Hippone Meſſanae tyranno, ad quem poſtea confugit, capto necatoque, ſe Timoleonti dedidit; ſed ubi populum ſibi implacabilem novit, in unum ex cuneis in foro illiſo capite de ſe decernere cogitavit: at ſpirans adhuc more latronum dilaceratus eſt.

XXXIX.

1. Venetiis in palatio Erizziorum.

Spon. Sect. II. Art. X. p. 51.

ΗΡΑΚΛΕΣ ΠΟΥ ΣΟΙ ΠΤΟΡΘΟΣ ΜΕΓΑΣ ΗΤΕ ΝΕΜΕΙΟΣ
ΧΛΑΙΝΑ ΚΑΙ Η ΤΟΞΩΝ ΕΜΠΛΕΩΣ ΙΟΔΟΚΗ
ΠΟΥ ΣΟΒΑΡΟΝ ΜΙΜΗΜΑ ΤΙΣ ΕΠΛΑΣΕΝ ΩΔΕ ΚΑΤΗΦΗ
ΛΥΣΙΠΠΟΣ ΧΑΛΚΩΙ Δ' ΕΓΚΑΤΕΜΙΞ ΟΔΥΝΗΝ
ΑΧΘΗΙ ΓΥΜΝΩΘΕΙΣ ΟΠΛΩΝ ΣΕΟ ΤΙΣ ΔΕ Σ' ΕΠΕΡΣΕΝ
Ο ΠΤΕΡΟΕΙΣ ΟΝΤΩΣ ΕΙΣ ΒΑΡΥΣ ΑΘΛΟΣ ΕΡΩΣ

2. Ἡρακλεῖς, ποῦ σοι πτόρθος μέγας, ἥ τε Νέμειος
Χλαῖνα, καὶ ἡ τόξων ἔμπλεος ἰοδόκη;
Ποῦ σοβαρὸν μίμημα; τίς ἔπλασεν ὧδε κατηφῆ;

3. Λύσιππος· χαλκῷ δ' ἐγκατέμιξ' ὀδύνην.
Ἄχθῃ γυμνωθεὶς ὅπλων σέο; τίς δὲ σ' ἔπερσεν;
Ὁ πτερόεις (ὄντως εἷς βαρὺς ἆθλος) Ἔρως.

Hugo Grotius tranſtulit.

Alcide, quo clava tibi, teliſque pharetra
Dives, & e Nemea raptus amictus abit?
Faſtus ubi? quis te tam triſti fronte figurat?
Lyſippus. Paret multus in aere dolor.

Arma

Arma tibi moeres detracta. Quis abſtulit illa?
Unum certamen, ſed grave, praepes amor.

1. Sponius ibidem notat, multa ex Anthologia epigrammata, ne interirent, a majoribus noſtris prudenter fuiſſe ſtatuarum baſibus ac monumentis publicis commendata, quemadmodum hoc noſtrum Lyſippi ſtatuam exornavit.

2. HTE conjunctum in lapide a Sponio exſcriptum eſt: in Graecis enim marmoribus raro litterarum diſtinctio apparet, quam exſcriptorum diligentia induxit, lectoribus ut moleſtiam levaret. Cl. Grotius hic legit ἢ τι.

3. Quem hic triſti facie dici legimus, hilari admodum, inquit Gorius, inſculpebatur in cruſtis ac ſigillis phialae conſertis, aut amphorae, qua vinum in cyathos fundebatur. Ea porro ſigilla ſive emblemata avelli a poculis poterant, quod a Verre in Sicilia factum Cicero inculcat. Phialis inſculptus Hercules, quia omnes eum nationes tam voluptatis, quam laboris ſtudioſiſſimum habuerunt, & bibaciſſimum menſarum genium, dictum propterea *epitrapezium*, *Martial. IX. Epigr.* 44. 45. *Stat. Silv. IV. Cauſeus in Muſ. Rom. tab. XXX. XXXI.* In Muſeo Etruſco ejus ſimulacrum laeva clavam ſuſtinet, dextra cornu, primum mortalium poculum *Tom. I. tab. LXXI. vid. & Tom. II. tab. LXXI. & ſeqq.*

X L.

In vinea Card. Carpenſis. *Smet. Ord. II.* p. XXIII. 3.

ſic ALCMENE . IOVIS . ET . MAGNI . FORTI *ſic*
1. SIMA . PROLES . TRICOSVS . SVBITO
POST . MEA . FATA . VOCOR

1. Boxhornius *tricoſum* interpretatur *Graev. Antiq. Rom. Tom. V. p.* 919., qui non amplius poteſt vim ac robur probare ſuum: ideo TRICOSVS dicitur Hercules, quia licet quandiu vixit fortiſſimus omnium fuerit, vix tamen naturae ceſſit, ſubito ſimul cum vita invidendam, qua tot facinora edidit, virtutem amiſit, factus omnino par incolentibus Apulorum oppida *Apinas*, *Tricaſque*, quorum cives a Diomede nullo labore victi in proverbium abiere, *Plin. H. N. III.* 11.

XLI.

XLI.

Romae non procul a theatro Marcelli. *Smet. ibid.* 4.

ALCIDE . SACRI . GENERIS
DECVS . HOC . TIBI
PRAETOR [a]
ET . IOVIS . ANTISTES
1. DEDICO . PERPETVVS

a *Spon.* PRECOR

Alcide, ſacri generis Decus, hoc tibi Praetor,
Et Jovis antiſtes dedico Perpetuus.

1. Aliquibus olim ſacerdotium adimi non poterat: tales erant Augures *Plutarch. loc. cit. & Plin. Epiſt. IV.* 6., itemque Pontifex Max., Rex ſacrorum & alii. Qui vero dignitate privari poterant, illi dicti Perpetui ſunt, quod aſſidui eſſent in ſacrorum cura, qua ratione Cicero Senatores aliquando appellat Perpetuos, licet Senatu moveri poſſent. Sic Flamines & alii ſunt Perpetui nuncupati. Ceterum PERPETVVS hoc loco eſt nomen proprium, ut videtur apud *Barth. adverſ.*, & *Pith. Epigr. Vet. Almelov.*

XLII.

In horto Conſervatorum in Capitolio. *Smet. ibid.* 6.

1. TE . PRECOR . ALCIDE . SACRIS
INVICTE . PERACTIS [a]
RITE . TVIS . LAETVS . DONA
FERENS . MERITIS
HAEC . TIBI . NOSTRA [b] . POTEST
2. TENVIS . PERFERRE . CAMINA [c]
NAM . GRATES . DIGNAS . TV
POTES [d] . EFFICERE
SVME . LIBENS . SIMVLACRA
3. TVIS . QVAE . MVNERA . CILO [e]
4. ARIS . VRBANVS [f] . DEDICAT
IPSE . SACRIS

a *Pith.* PERICLIS b *Pith.* DONA c *Pith & Barth.* CAMOENA
d *Pith.* POTE PERFICERE e *Pith.* CAELO. *Barth.* COLO
f *Anonym.* ARIVS. *Barth.* VRBANIS. *Holtben. in Add.* 318.

1. Sa-

1. Saturni cultores olim vivos homines in Tiberim praecipitabant: Hercules his ſacrificiis deletis, ſimulacra ſcirpea, vel ſtraminea, ſive oſcilla hominis ſpeciem gerentia juſſit in flumen dejici, *Ovid. Faſt. II.* Ideo multae Herculi aedes & ſigna dicata non minus Romae, quam in toto Romano imperio. Feralis ille ritus ante Abrahami tempora Deo Moloch, qui idem ac Saturnus, tributus fuit, *Marſham. ſecul. V. & Voſſ. de Orig. & Prop. Idol. II.* 11. *Muſ. Etr. Tom. II. Cl. III.*

2. In indice inſcr. Gruter. ſaepe uſurpatam videbis I pro E, ſicut Melpomine pro Melpomene, Mircurius pro Mercurius, Artimas, pro Artemas, Gimina pro Gemina &c.

3. Cilones dicti, quorum capita oblonga, & frons compreſſa, ſecundum Cariſium, vel quorum frons eminentior, ut ait Feſtus.

4. Inter Aram, & Altare id fuiſſe diſcriminis innuit Feſtus, quod ad illam victimae caedebantur, in hoc thura poſt ſacrificium a ſacerdote urebantur. Vid. *Petr. Berthal. Tract. de Ara.*

X L I I I.

Romae in baſe Termini. *Smet. ibid. p. XXIII.* 14.

ΗΛΙΚΙΗΝ ΠΑΙϹ ΕΙΜΙ ΒΡΕΤΑϹΔΕϹΤΗϹΑΤΟ

ΦΗΛΙΞ

ΗΡΑΚΛΕΟΥϹ ΕΙΚΩ ΟΙϹΘΑΜΕ

1. ΚΑΙ ΚΠΡΟΔΙΚΟΥ

Ἡλικίην παῖς εἰμὶ, βρέτας δὲ σήσατο Φῆλιξ

Ἡρακλέους εἰκὼ, οἶσθά με, καὶ Προδίκου.

Sum puer: hac Felix ſtatua donavit: in uno

Effigiem ſpectas Herculis, & Prodici.

1. In fine K ante Προδίκου aut vacat in lapide, aut error typographi eſt. Hercules a Cicerone *in Offic.* Prodicus dicitur, ea nempe ratione, quod Prodicus Ceus Sophiſta fabellam primus edidit de vitio, ſeu voluptate, ac virtute, quae Herculi adhuc puero dedere optionem, utram mallet, ſibi eligeret vitae comitem.

XLIV.

XLIV.

Reate. *In Auctario Juſti Lipſ. ad Smetium p.* 32.

[a] SANCTE

I. DE . DECVMA . VICTOR . [b] TIBEI . LVCIVS . [c] MVNIVS . DONVM
MORIBVS . ANTIQVEIS . [d] PRO . VSVRA . HOC . DARE . [e] SESE
VISVM . ANIMO . [f] SVO . PERFECIT . [g] TVA . [h] PACE . ROGANS . TE
[i] COGENDEI . DISSOLVENDEI . TV . VI . [k] FACILIA . [l] FAXSEIS
[m] PERFICIAS . DECVMAM . VT . FACIAT . VERAE . RATIONIS
[n] PROQVE HOC . ACQVE . ALEIS.DONIS . DES . [o] DIGNA.MERENTI

a Ita Juſtus Lipſius ex Fulvio: ſed Grut. *Sanco . Fidio . Semopatri*. Pighius ait litteris in fronte attritis extare.... *Sante Sanco . Semipatri*. b Boiſſ. *tibi*. c Grut. *Mumius*. alibi *Murius*. Boiſſ. *Luciu Mummiu*. d Boiſſ. *hoc pro*. e Grut. *ſemper*. f Boiſſ. *ſa*. g Boiſſ. *ſa*. h Boiſſ. & Pigh. *pace rogante*. i Boiſſ. *cogendo . diſſolvendeî . ut*. k Boiſſ. *felicia*. l Boiſſ. *faxis*. m Grut. *perficiaſq.* n Boiſſ. *prope &*. o Boiſſ. *cuncta roganti*.. alib. *ſigna*.

1. Ovidii, Propertii, Silii auctoritate SANCTVS erat Deus Sabinorum ac praeſertim Reatinorum, ſed diſſenſio eſt inter eruditos, quorum alii legunt *Sancum*, alii *Sangum*. Gruterus LXXI. 2. habet SANC. SAL. & XCVI. 8. SANCO DEO. Ligorius in baſe hujus inſcr. deſcribit ordinem hominum ſacrificantium, octo Muſas circumſtantes, & Herculem muliebri habitu, qui chorum novenarium implet, ita ut videatur Muratorii judicio Hercules Muſagetes.

XLV.

Vindelicae Auguſtae.

Ex Syllog. Aguil. Fleetwod. pag. 22.

I. TRANSIVI . INTREPIDVS . PER . MILLE . PERICVLA . VICTOR
NON . ACIES . FERRI . NON . CLAVSIS . MOENIA . PORTIS
CONATVS . TENVERE . MEOS . DOMAT . OMNIA . VIRTVS

1. De Hercule *Victore* vid. Macrob. *Saturn III.* 6., & Dionyſ. *lib I.* Samſonis fortitudinem S. Auguſtinus de C. D. ab Ethnicis Herculi tributam notat, in clavam maxilla aſini immutata. Multi divitum ei bonorum decimas conſecrabant

Quaeſt.

Quaeſt. Rom. 18., hinc Plautus *in Bacchid. IV.* 4.

Si frugi eſt Herculem fecit ex parte: decumam partem ei
Dedit: ſibi novem abſtulit.

Cicero *de nat. D. III. neque*, inquit, *Herculi decumam quiſquam vovit unquam, ſi ſapiens factus eſt*. Ob juſtitiam & aequalitatem ab eo dilectam ponderum eſt cuſtos habitus *Fabrett. Ant. Inſcr. pag.* 527. *& Donian. Inſcr. Cl. I.* 96.: in lapidibus *Cuſtos*, *Comes*, *Conſervator*, *Defenſor*, *Amicus*, *Saxanus*, aliiſque nominibus, ac *Invictus* potiſſimum nuncupatur, itemque aliquando *Somnialis* dicitur *Grut. pag. XLVI.* 7. *XLVIII.* 2. *XLIX.* 1., vel quod ſomno excitatus latrones ceciderit, vel quod bona ſomnia aegrotis immittere crederetur, quorum mos fuit ad ejus aedes accedere, ut in ſomniis de curanda aegritudine admonerentur *Spon. pag.* 48.

In Theatro Funebr. *Part. III. Miſcell. p.* 23. hic titulus falſo dicitur militis: nam in *Theſ. Gruter. XLIII.* 2. eſt ſubſcriptus ſtatuae Herculis nudi, niſi quod tegitur leonina pelle librans clavam utraque manu.

XLVI.

Romae *in S. Laurentii in Lucina*.
Grut. XLII. 7.

HERCVLES . ET . PHILOTES
ALCIDES . HOMINVM . VICTOR
DOMINATORQVE *ſic* . FERARVM
PHILOTETIS . AMICVS . ADES
TV . ILLI . AEQVE . AMOR . ES

XLVII.

Corcyrae. Montfauc. Diar. Ital. c. XXVIII. p. 425.

ΜΑΚΑΤΑΣ ΠΟΗΣΕ
ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΑΛΚΜΗΝΗΣ ΤΕ ΓΟΝΟΝ ΤΙΜΑΙΣΙΝ ΑΕΞΩ
ΤΙΟΣ ΛΑΣΘΕΝΕΟΣ ΣΤΗΣΕΝ ΑΓΑΛΜΑ ΤΟΔΕ
ΜΝΗΜΗΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΣΩΖΩΝ ΠΑΤΡΟΣΤΕ ΚΑΙ ΑΥΤΟΥ
ΛΑΦΑΝΕΟΣ ΚΛΗΝΩΙ ΛΟΞΙΟΥ ΕΝ ΤΕΜΕΝΕΙ
ΩΦΑΝΗΣ ΛΑΣΘΕΝΕΟΣ ΑΣΚΛΑΠΙΩΙ
ἈΝΈΘΗΚΕ. ΜΑΚΑΤΑΣ ΕΠΟΗΣΕ

Μαχάτας ποήσε

Τῶ Διὸς Ἀλκμήνης τε γόνον τιμαῖσιν ἀέξω·
Υἱὸς Λαθένεος σῆσεν ἄγαλμα τόδε
Μνήμην ἀθάνατον σῷζων πατρόσε, καὶ αὐτοῦ
Λαφάνεος κλήνῳ Λοξίω ἐν τεμένει·
1. Ὠφάνης Λαθένεος Ἀσκλαπιῷ
Ἀνέθηκε. Μαχάτας ἐποήσε.

Machatas fecit

Ab Jove, & Alcmena genitus celebrabitur heros.
Laſthenis erexit filius hanc ſtatuam,
Pignus ut hoc niteat patris immortale, ſimulque
Laphanis in templo, pulcher Apollo, tuo.
Ophanes Laſthenis Aeſculapio
Repoſuit. Machatas fecit.

1. In luco, aut templo cujuslibet ſive Dei, ſive Deae fuiſſe aliorum Deorum, Dearumve ſigna dedicata tum Pauſanias perſaepe docet, tum haec Claſſis non uno in loco; id vero minime evertit ea, quae dicta ſunt in *Diſſ. num.* XVIII. Aliud enim erat fanum, vel cellam erigere pluribus ſimul Diis, quae conſecratio non fiebat, niſi Conſentibus, puta Jovi & Neptuno; Junoni & Minervae; Mercurio & Apollini; Gratiis & Baccho; Dianae & Alphaeo; Saturno & Rheae, uti apparet ex *inſc. XXX.* Juſtitiae & Fatis.

XLVIII.

In vico Haſparen. in Vaſcis tribus a Bayona leucis inventa.
Apud Murat. T. I. Diſſert. I. Joſephi Bimardi pag. 20.

FLAMEN . ITEM . DVVMVIR . QUESTOR
1. PAGIQVE . MAGISTER
VERVS . AD . AVGVSTVM . LEGATO
MVNERE . FVNCTVS . PRO
NOVEM . OBTINVIT . POPVLIS . SE
IVNGERE . GALLOS . VRBE
2. REDVX . GENIO . PAGI . HANC
DEDICAT . ARAM

1. Cl. Bimardus in *cit. Diſſ.* Meurſium emendat exiſtiman-

mantem in *Exercit. Crit. II.* 7. pagorum magiſteria exordium habuiſſe An. V. C. 771.; nam primum inſtituta a Numa Pompilio, & quotannis creari conſueviſſe conſtat ex Dionyſio *lib. II.* & *IV.*, tum ex Feſto Pompejo *lib. XX.* verbo *vici*.

2. Pagorum Genius non raro occurrit in lapidibus *Grut. XXI.* 11. *MLXXV.* 14., itemque Jupiter *Paganicus*, bona Dea *Pagana* apud *Philipp. a Turre Diſſ. de Hiſt. Aquil.* & alibi Dii *Campeſtres*, aut *Agreſtes*, de quorum ſacris ac feriis ſive ſtativis, ſive Conceptivis, ibidem erudite Bimardus, & Mazochius *Amphit. Campan. VIII.*

XLIX.

In urbe Aixme Tarantaſiae in Alpibus.

Spon. Miſcell. Erud. Antiq. ſect. II. pag. 84.

1. SILVANE SACRA SEMICLVSE IN FRAXINO
2. ET HVIVS ALTI SVMME CVSTOS HORTVLI
3. TIBI HASCE GRATES DEDICAMVS MVSICAS
QVOD NOS PER ARVA PER MONTES ALPICOS
TVIQVE LVCI SVAVEOLENTIS HOSPITES
DVM IVS GVBERNO REMQVE FVNGOR CAESARVM
TVO FAVORE PROSPERANTI SOSPITAS
TV ME MEOSQVE REDVCES ROMAM SISTITO
DAQVE ITALA RVRA TE COLAMVS PRAESIDE
4. EGO IAM DICABO MILLE MAGNAS ARBORES
5. T. POMPONII . VICTORIS . PROC. AVGVST.

1. Silvanus, a quo vexari pueros opinio ethnicorum fuit, hic *ſemiclufus* dicitur, quia ei dicatum ſimulacrum Hermeum. Huic ſimile ſignum habet *Gruterus p. DCXXXVI.* hoc diſcrimine, quod illud non fraxino incluſum, ſed marmore apte in terminum deſinit, coronatum pinu, ad cujus latus ſarcinae colligatae, & virga Mercurialis, ad pedes ſtat Cupido unus, cui ramum oſtentat ſatyrus, atque hujus humeris alter Cupido inhaeret; ad pedes jacent hinc tibiae binae, inde fiſtulae.

2. Cuſtos hortuli dicitur; cum ipſi enim, tum Mercurio, Baccho, Priapo, aliiſque Diis Alexiacis, ſeu malorum avveruncatoribus, terminalibus, compitalitiis tutela agrorum

 fue-

fuerat commendata ; de Silvano Virgilius *Aeneid.* VIII.

Silvano fama eſt, veteres ſacraſſe Pelaſgos
Arvorum, pecorique Deo lucumque, diemque.

Eidem & ſodalitia, & templa dicata in lapidibus memorantur. Imperatoris Nervae Trajani imagines argenteas cum ſuis ornamentis C. Julius Nymphius in Aventino & praedio ſuo dedicavit in templo SANCTI SILVANI SALVTARIS *Reineſ. Cl. I.* 105.

3. Hariolari ſi licet *Muſicas* cum Sponio potius legendum, quam cum aliis *Maximas* autumo ob concentus muſicos & choreas Etruſco more in dedicationibus uſitatas, de quibus obiter nonnulla dixi in Diſſert. *num.* XVIII. & XXI., atque in ſacris ludos muſicos eſſe antiquiſſimos Pauſanias *lib.* IV. ex Eumeli verſibus conjicit, quos in Delum proluſit, & ita Amaſaeus vertit:

Grata etenim ſemper tibi, Jupiter incola Ithomes,
Muſa fuit, puro quae gaudet libera cantu.

Magni praeterea hanc lectionem facio, quia Pomponius neque hoc munuſculum gratias eſſe maximas duxit, neque, niſi quum incolumis Romam rediiſſet, gratias maximas pollicetur, nempe *Mille magnas arbores* ad exemplum Virgilii *Eclog.* VII.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu
Si foetura gregem ſuppleverit, aureus eſto.

4. Arborum Diis dedicandarum mos antiquiſſimus fuit, teſte Plinio, qui ait arbores priſco ritu templa fuiſſe Numinum, & in Vaticano vetuſtiorem urbe ilicem extitiſſe ac titulum aereis litteris Etruſcis *H. N.* XII. 1. Vittas, lucernas, vota, tabellas iis appendi veteris fuiſſe moris ſcripſere Ovidius *Metamor.* VIII. 743. & Prudentius *Contr. Symm.* & Lucanus de Luco Maſſilienſi, quem Julius Caeſar evertit: *in Gallia enim ſana templaque Deorum donis referta expilavit, Svet. in vit.* nec alia tunc erant templa, annotante Barnerio, quam ſilvae & luci, ubi Galli hoſtium ſpolia & divitias aſſervabant *Tom.* II. *Mythol. ex Hiſt. explic.* Nam nemorum ſolitudo

do eam in vulgi animis opinionem pariebat, Deos illic habitare *Ovid. Faſt.* III.

Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra
Quo poſſes viſo dicere Numen ineſt.

Deos Agreſtes inter ramos poni conſueviſſe affirmat Gorius *Muſ. Etr. Vol.* II. *Cl.* I., idemque ſimulacra oſtendit mucronibus ſeu verubus altero pede inſiſtentia, quo ſcilicet in columnellis, aut arborum ramuſculis figerentur *Tom. I. tab. XLIV. & alib.* Deorum altaria prope arbores conſtituta diſerte prae ceteris Virgilius tradit Jovis Hercei aram deſcribens *Aen.* II. 512.

Aedibus in mediis, nudoque ſub aetheris axe
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus
Incumbens arae, atque umbra complexa Penates.

Ideo Judaeis ſeveriſſime vetitum, ne plantarent lucum, aut ullam arborem juxta altare Dei *Deuter.* XII. *&* XVI. *& alib.* De hac ſuperſtitione, quam Cluverius *de moribus German.*, & Jo. Spencerus *de Hebraeor. legib.* ab Adami temporibus deducunt, complures erudite ſcripſerunt *Strob. Geogr.* IX. *Antholog.* I. 33. *Spanhem. in Callim. hymn. Jo. Potter. Archeol. Graec.* II. 2. *& Petit. de Amazonib. pag.* 235. *Ameſtelod.* 1687. ac noviſſime Can. Joannes Checozius in *Diſſert. Acad. Corton. Vol.* IV.

5. Caeſarum Procuratores erant vel Fiſci, vel Aerarii: primi erant cum ingenui, tum liberti: ſecundi, qualis hic Pomponius, erant equeſtris ordinis, quippe qui jus exercebant *Tacit. init. Vit. Agricol & Fabrett. Ant. Inſcr.* III. *pag.* 174. *& Guther. de Offic. Dom. Aug.*

L.

1. Saxum Oſtiae quadratum.

Grut. XCIX. 2.

2. LITORIBVS . NOSTRIS . QVONIAM . CERTAMINE . [a] LAETVM
3. EXHIBVISSE . IVVAT . CASTOR . VENERANDEQVE . POLLVX
MVNERE PRO . TANTO . FACIEM . CERTAMINIS . [b] HVIVS
MAGNA . IOVIS . PROLES . VESTRA . PRO . SEDE . LOCAVI

4. VR-

4. VRBANIS . TATIVS . GAVDENS . ME . FASCIBVS . AVCTVM
NEPTVNOQVE . PATRI . LVDOS . FECISSE . [c] SABINOS

a *In Donian. Inſcr.* LATVM b *Murator.* AEQVAM *Don. Inſcr.* & *Fabrett.* IPSAM c *Fabrett.* SATVRNO.

1. Claudii numiſma portus Oſtienſis ambitum cum columna & navibus ſpectandum exhibet, cum epigraphe AVGVSTI, & infra, S. POR. OST. C. i. e. *Senatus Conſulto. Portus Oſtienſis* : in altera parte cum effigie Claudii hae in orbem litterae ductae ſunt: NERO. CLAVD. CAES. AVG. GER. P.M.TR.P IMP. P.P. A Joſepho Caſtalione jure notatur V. Cl. Antonius Auguſtinus in hoc numiſmate turrim cum columna confundens: illa enim in mari ante portum inſtar Phari cum lucerna: haec in portu cum ſtatua fuit, quae non lucernam, ſed haſtam altera manu, altera ſphaeram tenere videtur, & Claudii omnino fuit ſtatua, non Auguſti, quo nomine omnes poſt Octavianum imperatores vocatos vel pueri norunt. Foediſſimus porro eſt eorum lapſus, qui Oſtienſem a Centumcellarum portu non diſtinguunt Trajani impenſis aedificato, *Plin. VI. Epiſt.* 31. Nobilitate & doctrina, ſiquis alius Romae, ornatiſſimus Marchio Locatellius Mediolanenſis muſei capitolini Cuſtos nuper in lucem edidit doctiſſimam diſſertationem de portu Oſtienſi, ejuſque numiſmate, tum de ceteris veterum Romanorum portubus. & eorum conſtructione in mari mediterraneo, quae quidem diſſertatio merito principem habet locum in Volumine V. Cortonenſis Academiae.

2. Bello Latino hi ludi ab A. Poſthumio voti ſunt, quorum pompam breviter ac rationem accipe. Ante certamina e Capitolio per forum imagines Deorum Divorumque thenſis deducebantur: Pontifices, Sacerdotes, Flamines, Augures ſuo quiſque ordine incedebant : praeibant eorum liberi adoleſcentuli, & equis ferebantur, quorum patres in equitum cenſu erant, ceteri pedites ibant : ſequebantur quadrigarii, bigarii, & injugum equorum agitatores, tum athletae levium, graviorumque certaminum. Bigis, quadrigis, certiſque equorum miſſibus ferae, praeſertim inſolitae, addeban-

bantur *Dionyſ. VII. Tacit. Ann. III. Liv. & Svet. in mult. loc. Vvolfang. Laz. X. de Rep. Rom. Onuph. Panvin. de Lud. & Caeſ. Buleng.*

3. Muratorius in ſuo *Theſ. T. I. p.* 353. ſuſpicatur, pro Tatio intelligendum *Catium Letum Conſ. A. V.* 869. *Chr.* 217. ſed cur immutandum nomen? Tatius porro quando Conſul extiterit, non apparet. Holthenius, & Almeloveenius pro Statio pugnant, quod in antiquis MSS. & lapid. primum elementum vocis proxime praecedentis a prima vocis ſequentis ſyllaba abſorbeatur. *Grut. DCCXXXVII.* 6. Porro M. Statius Priſcus fuit conſul A. V. 912., vel 911. *Chr.* 159. vid. *Noris. T. XI. Graev. p.* 455., & *Almelov. in Faſt. Conſ. T. II. p.* 213. At vetuſtatis acer inveſtigator Hagenbuchius *Epiſt. Epigr.* ad Gorium V. C. *p.* 557. nihil ſtatuit in lapide immutandum, tum quia *Tatius* & *Statius* quantitatem A habent diſparem, tum quia *Ludi Sabini* non ſine cauſa conjunguntur cum Tatio, nomine apud Sabinos celeberrimo. At enim nihil Tatio cum faſcibus. Quid ita? eſto, conſulatu caruerit, an & praetura? & de praetura quidem *Tatii faſces urbanos* interpretatur Scaliger *Ind.* 4. voc. *Ludi Sabini*, & *ind.* 23. voc. *Tatius*.

4. Fabrettus ultima ſaxi corrigit ET FECISSE SATVRNO: ſed Hagenbuchii reus eſt lege Pedia, cum perperam immiſſa particula ET, tum SATVRNO, prima longa, contra SABINOS, prima brevi, advocato.

L I.

Romae. *Grut. ibid.* 3.

ESSE . PVTAS . MARMOR . LATET . HIC . CVM . CASTORE . POLLVX
MVNVS . OLORINO . DE IOVE . LAEDA . DEDIT [a]

a *Fabrett.* TVLIT

Caſtorum, qui & Anactes & Dioſcuri dicuntur, fabulam verbo tenus in hoc lapide relatam ſi aere inſculptam neſcio ubi inter ſacras imagines S. Epiphanius adſpexiſſet, non minus fortaſſe hic eſſet, quam Anablathae indignatus, dum ejus ad Joan. Jeroſol. epiſtola, de qua critici dubitant, tota ſit genuina.

L II.

L I I.

Romae. *Ex Don. Inſcr. Cl. I. pag.* 23. *n.* 82.

NHON MEN CIΓA
ΛOENTA CAPA
ΠIΔOΣ TΨIME
ΔONTOΣ
HΔ ATTON XPT
CON HAMΦANO
ΩNTA BOΛAIΣ
CTHCANTO
ZAKOPOC TE
ΔIOCKOPOC
HΔE KTPIΛΛOT
ETNETIC H MA
KAPΩN MH ΠO
TE ΛHΘOMENH
KAI ΔTO THCAT
THC ΓENEHC
ENA ΘECMON
EXΩNTEC
OICI MEMHΛE
KATTHC EPΓA
NEΩKOPIHC

Ex altera parte.

* AΠPIΛIΩN
ΦAPMOTΘI. A
TΠ Π. TΩN
KTPIΩN HMΩN
ΔIOKΛHTIANOT
CEB. TO. Z KAI
MAΞIMIANOT
CEB. TO. Z.
TOPOC EΔO....
TΠO BAΛEPIOT
KΩM...ANTOC
TΠATIKOT
IEPEΩN NAΩN

1. Νηὸν μὲν Σιγαλόεντα Σαράπιδος ὑψιμέδοντος,
2. Ἠδ' αὐτὸν χρυσὸν παμφανόωντα βολαῖς,
3. Στήσαντο ζάκορός τε Διόσκορος, ἠδὲ Κυρίλλου
Εὐνέτις, ἣ μακάρων μή ποτε ληθομένη.
Καὶ δύο τῆς αὐτῆς γενεῆς ἕνα θεσμὸν ἔχοντες.
Οἷσι μεμήλει κλυτῆς ἔργα Νεωκορίης.

Sic vertit Cl. Antonius M. Salvinius

Templa coruſca Serapidis altipotentis, & auri
Parte ipſum ex omni conſpicuum radiis
Aedituus ſtatuere Dioſcorus, atque Cyrilli
Vxor, quae memori numina mente colit.

Hac

Digitized by Google

Hac ipſaque duo unigradi de ſtirpe creati,
Queis cordi illuſtris facta Neocoriae.

* *Aprilis*, *Pharmuthi* (menſis Aegyptiorum) *primo*, *Coſſ. Dominis noſtris Diocletiano Aug. VII. & Maximiano Aug. VII. Locus datus a Valerio ... Conſulari ſacrarum aedium*. Horum Impp. conſulatus fuit an. V. C. 1051. Chr. 299. emendatiorem habes hanc inſcript., quam apud *Smetium*, & *Gruterum LXXXV.* 5. Extabat olim in columnella marmorea ſuperne fracta ad aquam Virginem in aedibus Colotianis in vicinia Collegii Nazareni.

1. Serapis, ſive Oſiris, inſitionis inventor Tibullo auctore *Eleg. I.* 8., templa extra urbem habuit, ideo nobiles lectica ad eum confugiebant, quare apud Catullum legitur *Epigr. X. Commodo nam volo ad Serapin deferri*. Ad ejus aram aegroti certis ritibus expiati deponebantur, ut in ſomniis de medicamento admonerentur; *quid convenit*, inquit Cicero *de Divin. III. a conjectore potius, quam a medico petere medicinam? an Aeſculapius, an Serapis poteſt praeſcribere per ſomnium curationem valetudinis?*

2. De templo Serapidis haec habet Ammianus XXII. 16. *Serapeum licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen, columnariis ampliſſimis, & ſpirantibus ſignorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, ut poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in aeternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat*. Quum Aegyptium hoc monſtrum nomino, jure iraſcor Hadriano imperatori ſic quadam in epiſtola inſanienti: *qui Serapin colunt Chriſtiani ſunt, & devoti ſunt Serapi, qui ſe Epiſcopos dicunt*, ac poſtquam addidit ex praesbyteris neminem non mathematicum, non haruſpicem, non aliptem, chriſtianos omnes, ſacerdotes in primis, vocat *genus hominum ſeditioſiſſimum, vaniſſimum, injurioſiſſimum*, *Vopiſc. in vit. Saturnin.*

3. Solebant Aeditui non ſolum ſacra cuſtodire, ſed & ſupplicantes ad ſacella admittere, dicente Seneca: *non ſunt ad caelum elevandae manus, nec exorandus aedituus, ut nos*

ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat ; Epiſt. XLI. Aedituorum quoque erat Faviſſas cuſtodire, ſeu cellas quaſdam & ciſternas in area capitolina, ubi reponebantur ſigna, theſauri, & donaria, *A. Gell. Noct. Attic. II.* 10. Iiſdem pariter aliquando commendabantur tabulae pactionum, foederum, teſtamentorum, *Laurent. Polym. I.* 2.

LIII.

Baſis marmorea eruta prope Thermas Trajani.

Ex Don. Inſcr. Cl. I. pag. 25.

ΤΩ ϹΩΤΗΡΙ ΑϹΚΛΗΠΙΩ ϹΩϹΤΡΑ ΚΑΙ
ΧΑΡΙϹΤΗΡΙΑ ΝΙΚΩΜΗΔΗϹ Ο ΙΑΤΡΟϹ
ΤΑΝ ΠΑΙΔΟϹ ΚΑΛΛΙϹΤΑΝ
ΕΙΚΩ ΤΑΝ ΔΕ ΘΕΟΙΟ
ΠΑΙΑΝΟϹ ΚΟΥΡΟΥ ΜΑΤΡΟϹ ΑΠΑΡΤΙΤΟΚΟΥ
ΔΑΙΔΑΛΛΩΝ ΜΕΡΟΠΕϹϹΙΝ
ΕΜΗϹΑΟ ϹΕΙΟ ΒΟΗΘΕ
ΕΥΠΑΛΑΜΟΥ ϹΟΦΙΗϹ
ΜΝΑΜΑ ΚΑΙ ΕϹϹΟΜΕΝΟΙϹ
ΘΗΚΕ Δ' ΟΜΟΥ ΝΟΥϹΩΝ ΤΕ
ΚΑΚΩΝ ΖΩΑΓΡΙΑ ΝΙΚΟ
ΜΗΔΗϹ ΚΑΙ ΧΕΙΡΩΝ
ΔΕΙΓΜΑ ΠΑΛΑΙΓΕΝΕΩΝ

1. Τῷ σωτῆρι Ἀσκληπίῳ σῶστρα καὶ χαριστήρια.
Νικομήδης ὁ Ἰατρος.
Τὰν παιδὸς Καλλίσταν εἴκω τὰν δὲ Θεοῖο
Παιάνος κούρου ματρὸς ἀπαρτὶ τόκου.
2. Δαιδάλλων μερόπεσσιν ἐμήσαο σεῖο Βοηθὲ,
Εὐπαλάμου Σοφίης μνάμα καὶ ἐσσομένοις,
Θῆκε δ' ὁμοῦ νούσων τε κακῶν ζωάγρια Νικο-
Μήδης καὶ χειρῶν δεῖγμα παλαιγενέων.

Ita vertit Ant. M. Salvinius.

Servatori Aeſculapio pro ſalute & gratiarum actione
Nicomedes Medicus.
Egregiam hanc puerique recenſque a matre creati
Paeane exorti Numinis effigiem

Fin-

Finxiſti exornans mortalibus, alme Boëthe;
Venturis Sophiae vel monumenta tuae.
Proque ſuae Nicomedes mercede ſalutis,
Et veterum ſpecimen hanc poſuit manuum.

Octavii Falconerii, qui hoc epigr. vulgavit poſt inſcriptiones Athleticas *pag.* 107., & Sponii in Miſcell. *p.* 132. aliquot lapſus notantur inter Donianas Inſcr. *loc. cit.* nimirum in verſ. 1. non legentes cum apoſtrophe ἀπ' ἀρτιτόκε primus reddidit *matris quae recens peperit*, alter *quae cito peperit*. In 3. verſ. ΕΜΗCΑΟ CΕΙΟ ΒΟΗΘΕ *effinxiſti Sejoboëthe*.

1. Cicero in *Tuſcul.* III. 22. tres enumerat Aeſculapios. *Servius* II. *Georg. v.* 380. ſcribit aegrotos Aeſculapio capram, gallinas, gallos gallinaceos immolaviſſe. Pauſanias de Aeſculapii natalibus, divinitate, lavacro, luco, fanis, ſacrificiis, ſtatuis non uno in loco permulta tradit, quae vero ejus de prodigiis narrat in Arcadicis, & in Phocicis, parum quidem accommodata illius eruditioni ſunt, quam merito & Xylander, & Loeſcherus, & Sylburgius copioſe laudant.

2. Boëthus imaguncularum argentearum artifex laudatus a Plinio *H. N. XXXIII.* 12.

L I V.

In altera ejuſdem Baſis parte.

ΤΩ ΒΑCΙΛΕΙ ΑCΚΛΗΠΙΩ CΩCΤΡΑ ΚΑΙ ΧΑΡΙCΤΗ
ΡΙΑ ΝΙΚΟΜΗΔΗC CΜΥΡΝΑΙΟC ΙΑΤΡΟC
ΟΙΟΝ ΕΜΑΙΟCΑΝΤΟ ΝΕΟΝ ΤΟΚΟΝ
ΕΙΛΕΙΘΥΙΑΙ
ΕΚ ΦΛΕΓΥΟΥ ΚΟΥΡΗC ΦΟΙΒΩ
ΑΚΕΙΡΕΚΟΜΗ
ΤΟΙΟΝ ΤΟΙ ΠΑΙΑΝ ΑCΚΛΗΠΙΕ
CΕΙΟ ΒΟΗΘΟC
ΧΕΙΡΟC ΑΓΑΛΜ' ΑΓΑΘΗC
ΤΕΥΞΕΝ ΕΑΙC ΠΡΑΠΙCΙΝ
ΝΗΩ Δ ΕΝΤΩ ΔΕ ΖΩΑΓΡΙΑ ΘΗΚΕΝ
ΟΡΑCΘΑΙ

ΠΟΛΛΑΚΙ CΑΙC ΒΟΤΛΑΙC
ΝΟΤCΟΝ ΑΛΕΤΑΜΕΝΟC
CΟC ΘΕΡΑΠΩΝ ΕΤΧΗC ΟΛΙΓΑΝ
ΔΟCΙΝ ΟΙΑ ΘΕΟΙCΙΝ
ΑΝΔΡΕC ΕΦΗΜΕΡΙΟΙ ΤΩΝ ΔΕ
ΦΕΡΟΤCΙ ΧΑΡΙΝ

Τῷ βασιλεῖ Ἀσκληπίῳ σῶστρα, καὶ χαριστήρια
Νικομήδης Σμυρναῖος ἰατρός.
Οἷον ἐμαιόσαντο νεὸν τόκον Εἰλειθυίαι
Ἐκ Φλεγύου κούρης Φοίβῳ ἀκειρεκόμῃ,
Τοῖον τοὶ Παιὰν Ἀσκλήπιε, σεῖο Βοῆθος
Χειρὸς ἄγαλμ' ἀγαθῆς τεῦξεν ἑαῖς πραπίσιν.
Νηῷ δ' ἐν τῷδε ζωάγρια θῆκεν ὁρᾶσθαι
Πολλάκι σαῖς βουλαῖς νοῦσον, ἀλευάμενος
Σὸς θεράπων εὐχῆς ὀλίγαν δόσιν οἷα θεοῖσιν
Ἄνδρες ἐφημέριοι τῶν δὲ φέρουσι χάριν.

Ideſt.

Regi Aeſculapio pro ſalute, & gratiarum actione
Nicomedes Smyrnaeus Medicus.
Intonſo qualem Phoebo traxere recentem
Lucinae partum de Phlegyae ſobole,
Sic tibi, ſic Paean Aſclepi, hanc mente Boëthus
Ipſe ſuâ effigiem condidit egregiam,
Servatam ob vitam, viſendam hac ſede locavit,
Conſiliis vitans funera ſaepe tuis.
Vota tuus famulus dans parva, & qualia Divis
Mortales grati munera ferre ſolent.

L V.

In templo Junonis.
Herod. IV. pag. 253.

ΒΟΣΠΟΡΟΝ ΙΧΘΥΟΕΝΤΑ ΓΕΦΤΡΩΣΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕ
ΜΑΝΔΡΟΚΛΕΗΣ ΗΡΗ ΜΝΗΜΟΣΤΝΟΝ ΣΧΕΔΙΗΣ
ΑΤΤΩ ΜΕΝ ΣΤΕΦΑΝΟΝ ΠΕΡΙΘΕΙΣ ΣΑΜΙΟΙΣΙ ΔΕ ΚΥΔΟΣ
ΔΑΡΕΙΟΤ ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΕΚΤΕΛΕΣΑΣ ΚΑΤΑ ΝΟΤΝ

Βόσ-

Βόσπορον ἰχθυόεντα γεφυρώσας ἀνέθηκε
Μανδροκλέης Ἥρῃ μνημόσυνον σχεδίης,
Αὑτῷ μὲν στέφανον περιθεὶς, Σαμίοισι δὲ κῦδος
Δαρείου βασιλέος ἐκτελέσας κατὰ νοῦν.

Qui rate piſcoſam conjunxit Bosphoron, implens
Darii regis vota jubentis opus,
Junonis Mandrocles haec monumenta dicavit,
Eſſet honor Samiis unde, corona ſibi.

Mandrocles Samius pontis celebratiſſimi architectus quum decuplum a Dario pretium accepiſſet, ex ejus primitiis effinxit Bosphori commiſſionem pictis animalibus, & regem Darium Medo in ſolio ſedentem ac ſuas copias traducentem, picturamque in templo Junonis cum hac epigraphe dedicavit.

L V I.

Romae in hortis Julii III. P. M.

Ex Jacob. Philipp. Thomaſ. de Donar. Vet. XX.

DIGNE . DOCTILOQVEIS . PICTVREIS . CONDECORAVIT
I. REGINAE . IVNONI . SVPREMI . CONIVGI . TEMPLVM
MARCVS . LVDIVS . ELOTAS . AETOLIA . ORIVNDVS
QVEM . NVNC . ET . POST . SEMPER . OB
ARTEM . HANC . ARDEA . LAVDAT

1. Juno Regina quo cultu a Vejis Romam vecta, & in Aventino collocata, enarrat *Livius VII.* 12. Dii, Deaeque Reges ac Reginae, ut Cuperus *in Harpocr. pag.* 233., ſaepe apud ſcriptores dicuntur; nam Gnidi Paphique *Aelian. III.* 12. & Cypri Venus Regina *Horat. I. Od.* 3.; ac *regere Antium* Fortuna dicitur *ibid.* 35. Sic Charites Βασίλειαι *Pindar. Olymp. Od. XIV.* Jupiter Ἄναξ Δώδω ναῖος *Hom. Iliad.* 1., & *imperator* a Cicerone *Verr. IX.*, itemque Ἄναξ Apollo, Caſtor autem & Pollux Ἄνακτες nuncupantur *Euſtath. ad Iliad.* Dii pariter Reges vocati ſunt artium, quibus praeerant, uti Apollo *rex cithararum* ab Ariſtide, & Ἀρχηγέτης, ſive princeps ac ductor in lapide apud Sponium *Tom. III. Itin. p.* 150., & in ara Chalcidis, uti narrat Thucidides initio *lib. XVI.* Inter *inſcr.*

inſcr. Don. Hercules quoque rex nuncupatur in ara, quam ideo Gorius exiſtimat ſingularem. De Vulcano demum Prudentius *contr. Symm. I.* cecinit:

regnare caminis
Fertur, & Aeolidae ſummus faber eſſe, vel Aetnae.

L V I I.

In Eſquiliis ad S. Mariae Majoris ſupra ſimulacr. Veneris. *Grut. LX. 4.*

1. SOL . CALET . IGNE . MEO . FLAGRAT . NEPTVNVS . IN . VNDIS
PENSA . DEDI . ALCIDAE . BACCHVM . SERVIRE . COEGI
QVANVIS . LIBER . ERAT . FECI . SERVIRE . TONANTEM
2. QVANVIS . LIBER . ERAT . MARTEM . SINE . MARTE . SVBEGI

1. Fabulis hic latentibus praetermiſſis placet ſententiam referre Senecae in Hippolyto:

Deum eſſe Amorem turpiter vitio favens
Finxit libido, quoque liberior foret,
Titulum furori Numinis falſi addidit:
Natum per omnes ſcilicet terras vagum
Erycina mittit: ille per caelum volans
Propterea tenera tela molitur manu
Regnumque tantum minimus in Superos habet.
Vana iſta demens animus aſcivit ſibi,
Venerisque numen finxit, atque arcus Dei.

2. Mars ſine Marte victus in mentem revocat, quod victoriam levi labore partam Romani Veneri Victrici, ad quam ſpectat hic titulus, acceptam referebant *Plutarch. in Marcell.*, & triumphantes myrto coronati urbem ingrediebantur *Plin. H. N. XV. 29.* Apud Mediobarbum, & alios inter numiſmata imperatorum multa ſunt Veneris imagine inſignita, cui multas quoque aedes in urbe dicatas fuiſſe compertum eſt *Liv. lib. IX. & Dio XXXIX. & Plin. loc. cit.* Abbas Venutus Veneris Victricis aedem ad circum maximum extitiſſe arguit ex Plinio illic memorante templum Veneris Murtiae, ſive Myrtiae a myrto dictae, unde ovationis fortaſſe corona myrtea, ſicut e Palatino laurea, deſumebatur *in Collect. Ant. Rom. p. 27.*

L V I I I.

L V I I I.

Ex columna barbarice inſcripta Ariſtoteles.

Ἑρακλέυς τιμούσι τὶ Κυθήρα φερσεφαάσῃ
Τηρυόνηας ἀγέλην ἐλάων, ἠδ' Ἐρύθειαν ἄγων.
Τάς δ' ἐδάμασε πόθῳ πασιφάεσσα Θεά.
Τῆδε δὲ μοι τέκνῳ τῷδ' Εὐρύθοντι δάμαρτι,
Νυμφογενὴς Ἐρύθη δὴ τοδ' ἔδωκα πέδον,
Μναμόσυνον φιλίας, Φηγῷ ὑπὸ σκιερᾷ.

Cl. Bovhierius in Antiq. Gall. March. Scip. Maff. pag. 166.

Ἡρακλέης τιμῶσι Κυθήρα πασιφάεσσα
Γηρυονείας βοῦς ἐξ Ἐρύθου ἀνάγων,
Τὰς δ' ἐδάμασε πόθῳ πασιφάεσσα Θεά.
Τῆδε δ' ἐμῷ τέκνῳ τῷ δ' Εὐρυτίωνι δαμέντι
Νυμφογενὴς Ἐρύθη δὴ τὸ δ' ἔδωκα πέδον,
Μναμόσυνον φιλίας, φηγῷ ὑπὸ σκιερᾷ.

Omnivagae Veneri Alcides haec arva dicavit,
Geryonis vaccas Erytho dum pellit ab agro,
Quas Dea mox inſano ultrix furiavit amore.
Aſt ego Nympharum ſoboles hic moeſta peremto.
Eurytioni Erythe genitrix ſub tegmine fagi
Huncce dedi campum monumentum & pignus amoris.

Hanc inſcriptionem, quae legitur in hiſt. Admiran. Ariſtoteli adſcripta, Cl. Voſſius in *not. ad Pompon. Mel.* II. 3. edidit, quam Bovhierius multo plane felicius interpretatur, & latine vertit. Juno Herculi irata ob Euritionis caedem, ejus vaccas furiavit: quare is monumentum erexit Veneri, ſicuti & Erythe Eurytionis mater, alter ut Deam placaret, altera ut eidem gratias ageret. Vid. plura in Bovh. epiſtola, quae in ſupradicto opere Maffejano eſt XXVI.

L I X.

Corinthi. Votum Veneri. *Plutarch. de malign. Herod. p.* 871.

ΑΙΔ' ΥΠΕΡ ΕΛΛΑΝΩΝ ΤΕ ΚΑΙ ΙΘΥΜΑΧΩΝ ΠΟΛΙΗΤΑΝ
ΕΣΤΑΘΕΝ ΕΥΞΑΜΕΝΑΙ ΚΥΠΡΙΔΙ ΔΑΙΜΟΝΙΑΙ
ΟΥ ΓΑΡ ΤΟΞΟΦΟΡΟΙΣΙΝ ΕΜΗΔΕΤΟ ΔΙ ΑΦΡΟΔΙΤΑ
ΜΗΔΟΙΣ ΕΛΛΑΝΩΝ ΑΚΡΟΠΟΛΙΝ ΠΡΟΔΟΜΕΝ

Αἵδ'

Αἵδ' ὑπὲρ Ἑλλανῶν τε καὶ ἰθυμάχων πολιτᾶν
  Ἔσταθεν εὐξάμεναι Κύπριδι δαιμόνιαι.
Οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήδετο δῖ' Ἀφροδίτα
  Μήδοις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Has Veneri matres ſtatuas poſuere Ephyreae
  Pro Graecis, forti proque ſuo populo.
Nam non arciferis Medis Venus Hellados arcem
  Prodere, ſic votis rite vocata, volet.

Corinthiorum mulieres votum feciſſe Veneri perhibetur, quo petierunt a Dea, ut viris amorem pugnae adverſus barbaros injiceret. Simonidis inſcriptio eſt aeneis addita imaginibus in fano Veneris, quod Medea dicitur condidiſſe.

L X.

Athenis in propylaea ſeu veſtibulo arcis.
Herodot. V. pag. 316.

ΕΘΝΕΑ ΒΟΙΩΤΩΝ ΚΑΙ ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ ΔΑΜΑΣΑΝΤΕΣ
ΠΑΙΔΕΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΕΡΓΜΑΣΙΝ ΕΝ ΠΟΛΕΜΟΥ
ΔΕΣΜΩΙ ΕΝ ΑΧΛΥΟΕΝΤΙ ΣΙΔΗΡΕΩΙ ΕΣΒΕΣΑΝ ΥΒΡΙΝ
ΤΩΝ ΙΠΠΟΣ ΔΕΚΑΤΗΝ ΠΑΛΛΑΔΙ ΤΑΣ Δ' ΕΘΕΣΑΝ

Ἔθνεα Βοιωτῶν, καὶ Χαλκιδέων δαμάσαντες
  Παῖδες Ἀθηναίων ἔργμασιν ἐν πολέμου,
Δεσμῷ ἐν ἀχλυόεντι σιδηρέῳ ἔσβεσαν ὕβριν·
  Τῶν ἵππος δεκάτην Παλλάδι τὰς δ' ἔθεσαν.

Attica perdomitis acri ſub marte juventus
  Boeotum populis Chalcidicaque manu,
Damna rependerunt vinclis & carcere caeco,
  Quorum hae de decima ſtant tibi, Pallas, equae.

Athenienſes victis eodem die Boeotiis, & Chalcidenſibus quadrigam aeream e decima redemtionis conſecraverunt: redemtionis, inquam, hoſtes enim captivos poſtquam in carcerem conjecerunt binis deinde minis liberarunt, tum in arce vincula, quibus alligati fuerant, ſuſpenderunt, quae Herodotus pendentia vidit e muris a Medo ambuſtis.

L X I

L X I.

Palladi Itoniae. *Pauſan. in Attic. ſeu lib. I. p.* 12.

ΤΟΥΣ ΘΥΡΕΟΥΣ Ο ΜΟΛΟΣΣΟΣ ΙΤΩΝΙΔΙ ΔΩΡΟΝ ΑΘΑΝΑ
ΠΥΡΡΟΣ ΑΠΟ ΘΡΑΣΕΩΝ ΕΚΡΕΜΑΣΕ ΓΑΛΑΤΑΝ
ΠΑΝΤΑΤΟΝΑΝΤΙΓΟΝΟΥΚΑΘΕΛΩΝΣΤΡΑΤΟΝΟΥΜΕΓΑΘΑΥΜΑ
ΑΙΧΜΗΤΑΙ ΚΑΙ ΝΥΝ ΚΑΙ ΠΑΡΟΣ ΑΙΑΚΙΔΑΙ

Τὺς θυρεὺς ὁ Μολοσσὸς Ἰτωνίδι δῶρον Ἀθάνα,
Πύῤῥος ἀπὸ θρασέων ἐκρέμασε Γαλατᾶν,
Πάντα τὸν Ἀντιγόνυ καθελὼν ςρατόν· ὐ μέγα θαῦμα,
Αἰχμηταὶ καὶ νῦν, καὶ πάρος Αἰακίδαι.

Amaſaeus p. 11.

Hos tibi Gallorum clypeos rex donat, Ithoni,
Pyrrhus ab audaci rapta tropaea acie,
Viribus Antigoni fractis: jam maxima in armis
Quae fuit Aeacidum gloria, ſemper erit.

De his manubiis vid. I. inſcr. Pallas cognominata Ithonia eſt ab urbe Ithonea, vel Ithone, ubi maxime colebatur. Haec Gallorum ſpolia Palladis in templo erant, quod inter Pheras, & Lariſſam extitit.

L X I I.

Ad magnum lapidem in agro Athenarum.
Ex Inſcr. Cyriaci Anconitani p. XIV. 100.

ΤΗΝ . ΥΠΑΤΗΝ . ΑΦΕΣΙΝ . ΦΕΣΙΝΤΗΣ . ΣΤΗΣΕΝ
ΑΘΗΝΑΝ . ΕΥΧΟΜΕΝΟΣ . ΠΑΤΡΗ . ΤΗΝ . ΓΛΥΚΕΡΗΝ . ΥΓΙΗΝ

Τὴν ὑπάτην ἄφεσιν Φεσίντης σῆσεν Ἀθηνᾶν
Εὐχόμενος πάτρη τὴν γλυκερὴν ὑγίην.

Spem rerum certam poſuit columenque Minervam
Pheſintes patriae proſpera cuncta precans.

L X I I I.

Tegeae. Minervae dono.
Pauſan. VIII. p. 239.

ΛΑΟΔΙΚΗΣ ΟΔΕ ΠΕΠΛΟΣ ΕΑΙ Δ' ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΑΘΗΝΑΙ
ΠΑΤΡΙΔ' ΕΣ ΕΥΡΥΧΟΡΟΝ ΚΥΠΡΟΥ ΑΠΟ ΖΑΘΕΑΣ

Λαοδίκης ὅδε πέπλος ἑᾷ δ' ἀνέθηκεν Ἀθηνᾷ
Πατρίδ' ἐς εὐρύχορον Κύπρυ ἀπὸ ζαθέας.

Laodices peplum hoc, ſacrum ut foret illa Minervae,
E Cypro celebrem tranſtulit in patriam.

Laodices Agapenoris, Arcadum regis, filia peplum ita inſcriptum Tegean miſit.

L X I V.

In Praeneſtinae Fortunae templo.
Ex Aldi Orthogr. pag. 6.

1. TV . QVAE . TARPEIO . COLERIS . VICINA . TONANTI
VOTORVM . VINDEX . SEMPER . FORTVNA . MEORVM
ACCIPE QVAE . PIETAS . PONIT [a] . TIBI . DONA . MERENTI
2. EFFIGIEM . NOSTRI . CONSERVATVRA [b] . PARENTIS
CVIVS . NE . TACEAT . MEMORANDVM . LITTERA . NOMEN
3. CAESIVS . HIC . IDEMQVE . TITVS PRIMVSQVE . VOCATVR
4. QVI LARGAE . CERERIS . MESSES [c] . FRVCTVSQVE . RENATOS
DIGERIT . IN . PRETIVM . CVI . CONSTAT . FAMA . FIDESQVE
ET . QVI . DIVITIAS . VINCIT [d] . PVDOR . IRE . PER . ILLOS [e]
CONSVETVS . PORTVS . CVRA . STVDIOQVE . LABORIS
LITORA [f] . QVI . PRESTANT [g] . FESSIS . TVTISSIMA . NAVTIS
5. NOTVS . IN . VRBE . SACRA . NOTVS . QVOQVE . FINIBVS . ILLIS
QVOS . VMBER . SVLCARE . SOLET . QVOS . TVSCVS . ARATOR
OMNIBVS . HIC . ANNIS . VOTORVM . MORE . SVORVM
CENTENAS . ADICIT . NVMERO . CRESCENTE . CORONAS
6. FORTVNAE . SIMVLACRA . COLENS . ET . APOLLINIS . ARAS
7. [h] AEGERIVMQVE . IOVEM . QVORVM . CONSENTIT . IN . ILLO
MAIESTAS . LONGAE . PROMITTENS . TEMPORA . VITAE
ACCIPE . POSTERITAS . QVOD . PER [i] . TVA . SECVLA . NARRES
TAVRINVS . CARI . IVSSVS . PIETATE . PARENTIS
8. HOC . POSVIT . DONVM . QVOD . NEC . SENTENTIA . MORTIS
VINCERE . NEC . POTVIT [k] . FATORVM . SVMMA . POTESTAS
SED . POPVLI . SALVO . SEMPER . RVMORE MANEBIT

a *Smet.* DONAT. *Pigh.* POSVIT. b *Boiſſ.* CONSERVA . DIVA. c *Boiſſ.* MESSIS. d *Boiſſ.* & *Pith.* NECTIT. e *Pith.* ALTOS. f *Smet.* LITTORA g *Grut.* PRAESTANT. *Boiſſ.* PRAESTAT. h *Boiſſ.* & *Scalig. ad Catal.* ARCANVMQVE. i *Smet.* POST. *Boiſſ.* SAECVLA. k *Smet.* & *Grut.* POTERIT.

1. For-

Digitized by Google

1. Fortunae Praeneſtinae tanta olim celebritas, ut ejus templum lithoſtrotis ſtraverit L. Sylla, licet ea civitate nulla ipſi infeſtior fuerit, nulli ipſe acerbior: *Plin. H. N. XXVI.* 25. Tiberius Praeneſtinarum ſortium majeſtate territus incoepto deſtitit, quum vicina urbi oracula disjicere conaretur, *Svet. Tib.* 63. In nummis ſtolata eſt mulier navis gubernaculum dextra tenens, cornucopiae laeva, cujus rei cauſam Lactantius refert *Divin. Inſt. III.* Adſtant interdum ejus lateribus ſol, & luna, quod Fortuna ſecundum Chaldaeos aſtrorum diſpoſitio haberetur, *Macrob. Sat. I.* 16. *Voſſ. de Idol. II.* 43. Simulacrum ejus aureum imperatorum in cubiculo adſervatum Severus geminare ſtatuerat, ſed morte urgente imperavit, ut alternis diebus utriuſque in filii cubiculo poneretur. Conſtantini M. ſymbolum apud Laevinum Hulſium eſt ejuſmodi IMPERATOREM ESSE FORTVNAE EST, & quidem *primigeniae* opinor, ad quam noſter hic lapis ſpectat, in quo Fortuna dicitur VICINA TONANTI, quia in aſcenſu capitolii Jovi Tonanti templum Auguſtus condidit non longe a ſacello Fortunae Primigeniae, ubi nunc ſontes puniuntur. Nec rejiciendam opinionem reor Cl. Abb. Andreae Adami, qui *lib. I. Hiſt. Vulſin.* Fortunam primigeniam non diſtinguit a Pallade, cujus ſimulacrum in templo Jovis O. M. colebatur in rupe Tarpeja, ubi clavus annorum index infingebatur, ſicut Vulſinii in templo Nortiae, quam idem Auctor argumentatur eandem fuiſſe ac Fortunam & Minervam. Nam Plato ab Aegyptiis didicit, genitam a Deo Mentem, ſeu Verbum, cui apud gentes inditum Minervae nomen, quam poetae finxerunt abſque matre ab Jove genitam. Huic enim Deae, utpote Jovis filiae, tum rerum moderatio, tum bonorum malorumque origo ab ethnicis tribuebatur, & veluti rerum praeſes, Minerva, tanquam malorum bonorumque cauſa, Fortuna appellabatur. At enim caeca Fortuna fingitur: quid ergo prudentiae cum caecitate? *nunquam temeritas*, inquit Cicero *pro M. Marc.*, *cum ſapientia commiſcetur*, *nec ad conſilium caſus admittitur*. Athenaeus vero *Metamorph. II.*

 auctor

Digitized by Google

auctor eſt; Fortunam non modo non eſſe caecam, ſed pervidentem omnia, & ita quidem, ut ceteros etiam Deos illuminet luce ſua. Cur igitur plerunque caeca? quia nimirum ethnici cur jaceret interdum virtus, improbitas triumpharet, ignorabant cauſas, quarum bene multas videre licet apud Chryſoſtomum *Hom. IX. X. XIV. XXIV. in Matth.* & *Hom. de Reſurr.* De Fortuna vid. *Cl. Senat. Bonarrot de Num. major. mod. ad Num. XI.*

2. Sui & aliorum ſacrare effigies mos antiquiſſimus: nam Romulus ex manubiis Vulcano dedicaſſe fertur quadrigas aureas, primumque ſui imaginem, *Dionyſ. Halic. II.*, de quo ritu alibi ſermo erit.

3. De Caeſia gente clariſſima a caeſio colore dicta conſule Panvinium, Urſinum, & Jo. Fontejum.

4. Coloniae hic ſcilicet alicujus aut municipii aedilis fuit: ſiquidem annonae pretium proponere aedilium erat, *Juvenal. Sat. X.* 101.

Et de menſura jus dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis aedilis Ulubris.

Cibariis quoque & cupediis praeerant, *Plaut. in Rud.*

Neptunus iſta ſolet, quamvis faſtidioſus
Aedilis eſt, ſiquae improbae ſunt merces, jactat omnes.

5. Urbs *ſacra* pro Roma dicitur, ubi omne ſacrum decernebatur, omniſque ſuperſtitionis compendium erat, ſacra via, ſacri libri, Divorum, Divarumque apotheoſis.

6. Sicut in luco Erycino colebatur Aegeria Nympha, cum qua Numa ſibi arcana eſſe colloquia ſimulavit, *Liv. I.* 19., ſic Jupiter forte nuncupatus AEGERIVS, quod in ſilvis ac receſſibus coleretur, adeoque Aegerium eundem ac *Arcanum* ſive *Arkanum* fuiſſe reor ita dictum a celato ejus ortu pariter ac puerili educatione *Fabrett. Ant. Inſcr. V. n.* 325. & *Don. Inſcr. XLI.*, quam Pauſanias *in Meſſenicis* ſcribit tot ſibi populos vindicaſſe, ut longum eſſet ac perdifficile ſingulos enumerare.

LXV.

L X V.

Romae. *Fabrett. Ant. Inſcr. p.* 742.

* R. FESTVS V. C. DE SE AD DEAM NORTIAM

1. FESTVS MVSONI *ſic* SVBOLES PROLESQVE AVIENI
VNDE TVI LATICES TRAXERVNT CAESIA NOMEN
2. NORTIA TE VENEROR LARE CRETVS VVLSINIENSI
ROMAM HABITANS GEMINO PROCONSVLIS AVCTVS HONORE
CARMINA MVLTA SERENS VITAM INSONS INTEGER AEVVM
CONIVGIO LAETVS PLACIDAE [a] NVMEROQVE FREQVENTI
NATORVM EXVLTANS VIVAX ET SPIRITVS OLLIS
CETERA [b] COMPOSITA FATORVM LEGE [c] TRAHANTVR
SANCTO PATRI FILIVS PLACIDVS
IBIS IN OPTATAS SEDES NAM IVPITER AETHRAM
PANDIT FESTE TIBI CANDIDVS VT VENIAS
IAMQVE VENIS TENDIT DEXTRAS CHORVS INDE DEORVM
ET TOTO TIBI IAM PLAVDITVR ECCE POLO

a *Spon.* AVRAQVE b *Idem* COMPOSTA c *Idem* TRAHVNTVR

1. Tres Feſti IV. Eccleſiae ſeculo floruerunt , & apud *Grut. CDLXIV.* 7 R. Feſtus Proconſ. Graeciae enunciatur, quocum an ſit idem hic noſter dubitat Sponius *Miſcell. p.* 99. affirmat *loc. cit.* Fabrettus ; in re incerta mallem nimis eſſe timidus , quam parum prudens , niſi & *Diſſert. VIII. in fin.* id affirmaret in Faſtis Atticis P. Eduardus Corſinus nunquam in meo Ordine non celebrandus . Ceterum hic R. Feſtus Avienus , Arateorum interpres , poeticae artis ſtudio Theodoſii junioris , Marcianique Caeſaris aetate floruit . Vulſinienſis quoque fuit Feſtus Muſonius philoſophus Stoicus Apollonii Tyanei familiaris propter loquendi licentiam a Nerone ſublatus .

2. Vulſinienſem hanc Deam , Nurſciam , Nyrtiam , Nurſiam , Nurtiam , Northiam , Narſiam , Norſiam apud graviſſimos auctores appellatam invenies ; quodque magis mirere , Silveſtrius *ad Juvenal. Sat. X.* 74. ex Tertulliano haec citat *Vulſinienſium Nurſia* ...... *Sutrinorum Norſia Apolog.* 23. Gorius autem in eodem Tertulliano legit *Volſinienſium Norſia* ,

Digitized by Google

ſia, *Sutrinorum Hoſtia Muſ. Etr. Tom. II.* Ex tot ſcriptoribus iiſdemque graviſſimis, quis rem acu tangat, tute videris. Ego quidem neminem criminor, ſed cum Sponio *n. LX. p.* 99. reor eandem fuiſſe Deam ſive *Nurſiam*, ſive *Nortiam*. Quid enim populare magis, quam pro varietate regionum varia ejuſdem nominis pronunciatio? At acutiſſimo ingenio vir Hagenbuchius in *Epiſt. Epigr. p.* 127. *Nurſiam* & *Nortiam* diſtingui jubet, & hanc Sutrinorum putat, illam Vulſinienſium fuiſſe Deam, poetam hunc autem noſtrum *Nortiam* coluiſſe, quia non admodum diſtent Sutrium, & Vulſinium. Acute quidem, credibiliter etiam, niſi huic interpretationi obeſſet Livius; nam *lib.* VII. 2. VVLSINIIS, inquit, *quoque clavos, indices numeri annorum, fixos in templo* NORTIAE *Etruſcae Deae comparere diligens talium monumentorum auctor Cintius affirmat*. Si Cintium ac Livium Tertulliano hoc quidem eruditionis genere anteponas, ſublata jam omnis dubitatio eſt: ſecus enim clavi annorum indices non Vulſinio, ut hiſtoria praedicat, ſed Sutrio in urbem delati ſunt. Adde praeterea lapidem Vulſinienſem ejuſdem Deae in templo repertum, in quo palam dicitur DEAE NORTIAE *Hiſt. Vulſin. lib.* IV. *p.* 154. Proconſularis quoque hic lapis nullam Sutrii mentionem facit, ſed Vulſinii, cui Nortia praefuit, ſive Nurtia, quare Satiricus de Sejano *Sat. X.* 74.

idem populus ſi Nurtia Thuſco
Faviſſet, ſi oppreſſa foret ſecura ſenectus
Principis, hac ipſa Sejanum diceret hora
Auguſtum.

Haec enim Dea erat, ut ſupra commemoravi, eadem omnino, ac Fortuna, cujus ſignum in Muſeo Etruſco *Vol. II. Cl. I. p.* 16. 17., puellum tenet faſciis involutum: ſiquidem Fortunae in ulnis dabatur nunc infans Plutus divitiarum Deus, nunc puer Jupiter dictus *Arcanus* ob celatum ejus ortum, *Cic. II. de Divin. Capell. de Nupt. Philolog IX.*, *Bonarrott. Muſ. Carpin. p.* 227., *Fabrett. Inſcr. V.* At ſi Fortuna, & Minerva unum erat idolum, quî potuit filia patrem vix genitum

tum fovere ulnis, & ejus ortum celare? myſterium fortaſſe Aegyptium hic quoque latet ex Hebraeorum fontibus derivatum. Mentem aut Verbum a Deo genitum Minervam dixere gentes, ſive Fortunam: an haec dum Jovem puellum ſuſtinet, Verbum hoc velamento notat, quod caro factum debebat humanitatem regere, ſeu potius, uti ajunt Theologi, terminare? videlicet omnis ſuperſtitionis auctor, ſicut cetera, altiſſimum hoc etiam myſterium contaminare auſus eſt.

L X V I.

Artemiſii, Dianae. *Plutarch. in Themiſt. p.* 116.

ΠΑΝΤΟΔΑΠΩΝ ΑΝΔΡΩΝ ΓΕΝΕΑΣ ΑΣΙΗΣ ΑΠΟ ΧΩΡΑΣ
ΠΑΙΔΕΣ ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΤΩΙ ΔΕ ΠΟΤ' ΕΝ ΠΕΛΑΓΕΙ
ΝΑΥΜΑΧΙΗΙ ΔΑΜΑΣΑΝΤΕΣ ΕΠΕΙ ΣΤΡΑΤΟΣ ΩΛΕΤΟ ΜΗΔΩΝ
ΣΗΜΑΤΑ ΤΑΥΤ' ΕΘΕΣΑΝ ΠΑΡΘΕΝΩΙ ΑΡΤΕΜΙΔΙ

Παντοδαπῶν ἀνδρῶν γενεὰς Ἀσίης ἀπὸ χώρας
Παῖδες Ἀθηναίων τῷ δέ ποτ' ἐν πελάγει
Ναυμαχίῃ δαμάσαντες, ἐπεὶ στρατὸς ὤλετο Μήδων,
Σήματα ταῦτ' ἔθεσαν παρθένῳ Ἀρτέμιδι.

Diverſas Aſiae gentes certamine quondam
Navali hoc fudit ventiſono in pelago
Victor Cecropidum populus, Mediſque peremtis,
Dictynna, haec poſuit clara tropaea tibi.

Ad Artemiſium Euboeae litus navali re duce Themiſtocle bene geſta erectae ſunt ad fanum Dianae *Orientalis* cognomine candido e lapide pilae duae, in quarum una erant inciſa haec carmina. Lapidem Plutarchus refert fuiſſe ejuſmodi, ut, ſi confricaretur, odorem ederet, & colorem croceum repraeſentaret.

L X V I I.

In Tranſilvania ad Waradinum in Thermis *Grut. XXXIX.* 8.

1. *Dat. tibi*. MARMOREO. CAESAM. DE. MONTE. DIAN*am*
REGINA. VNDARVM. NYMPHA. DECVS. NEMO*rum*
*vo*TO. DAMNASTI. PERFECTA. QVEM PRECE. BASSVS
MOENI. TE. PROPTER. MOENIA. GERMISARAE

1. Cuperus in *Harpocr. p.* 233. ſupplet lap cujus hic ſenſus:

Digitized by Google

ſus: *Baſſus, quem prece perfecta damnaſti voto, tibi, Nympha Regina undarum, dat dedicat Dianam*, ejus videlicet ſimulacrum. In fine legendum MOENITAE, ſeu munitae.

L X V I I I.

In fano Latonae. *Plutarch. de Herodoti malign. p.* 870.

ΤΑΥΤ' ΑΠΟ ΔΥΣΜΕΝΕΩΝ ΜΗΔΩΝ ΝΑΥΤΑΙ ΔΙΟΔΩΡΟΥ
ΟΠΛ' ΑΝΕΘΕΝΤΟ ΛΑΤΟΙ ΜΝΑΜΑΤΑ ΝΑΥΜΑΧΙΗΣ

1. Ταῦτ' ἀπὸ δυσμενέων Μήδων ναῦται Διοδώρου
Ὅπλ' ἀνέθεντο Λατοῖ, μνάματα ναυμαχίης.

Arma haec Latonae, pugnae monumenta marinae
Dedicat, a Medis haec Diodorus habet.

1. Diodorus hic Corinthius Herodotum tacere jubet, Corinthiis in bello Perſico proditionis maculam inurentem, a qua & Thucidides, & Plutarchus, & Diodorus omnino abhorrent: non modo enim Corinthus ipſa, totius Graeciae lumen, poſt Athenas, & Spartam in donariis nomen inſcripſit ſuum, virtutis & fidei argumentum, ſed huic etiam Diodoro uni de trierarchis licuit in fano Latonae donarium reponere honorifice inſcriptum.

L X I X.

Hiſpelli. *Murat. T. I. Cl. I. p. LIV.* 4.

MVNERE . TE . HOC . DONO . LATONIA . SANCTA . VIRAGO
2. CORNIGERAM . CEPEI . VIRTVTE . ET . LAVDE . POTITVS
EXVVIEISQVE . EIVS . TE . IPSAM . TEMPLVMQVE . DECORO

1. Hic, cujus nomen reticetur, cervam occidiſſe videtur, ejuſdemque cornua in templo Minervae dedicaviſſe. Quem Minervae ſingularis hic lapis, eundem Dianae honorem fuiſſe a venatoribus habitum paſſim ſcriptores memorant. Nam cervorum cornua, aprinos dentes & capita, partemque praedae Dianae offerri olim ſolitam teſtantur Virgilius *Ecl. VII.* & *Aen. IX.* Symmachus *V. epiſt.* 66. Claudianus *IV. Honor. Conſul.* Agathocles Syracuſarum tyrannus Dianae non partem, ſed totum cervum in venatione ſtratum dedicavit, cujus monili inſcriptum erat ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΙ. Mythici originem hujuſce ritus ad Nympham referunt, quae

inter

Digitized by Google

inter venationem ſi ferae vim inſectantis evaſiſſet, Dianae ſacellum vovit, & voti rea extruxit, Plutarch. *III. Symp.* Venatorum dona explicat Leonides Alexandrinus in *lib. Epigram. c. XIII.* fuere ſcilicet pharetra, arcus, ſagittae, retia, venabula. Vid. Philipp. Thomaſ. *de Don. Vet. XXXI.*

L X X.

Muſis. *Plutarch. de Liber. educand. p.* 14.

ΕΥΡΥΔΙΚΗ ΙΕΡΑΠΟΛΙΗΤΙΣ ΤΟΝΔ'ΑΝΕΘΗΚΕ
ΜΟΥΣΑΙΣ ΕΥΙΣΤΟΝ ΨΥΧΗΙ ΕΛΟΥΣΑ ΠΟΘΟΝ
ΓΡΑΜΜΑΤΑ ΓΑΡ ΜΝΗΜΕΙΑ ΛΟΓΩΝ ΜΗΤΗΡ ΓΕΓΑΥΙΑ
ΠΑΙΔΩΝ ΗΒΩΝΤΩΝ ΕΞΕΠΟΝΗΣΕ ΜΑΘΕΙΝ

Εὐρυδίκη Ἱεραπολιῆτις τόνδ' ἀνέθηκε
Μούσαις, Εὔιςον ψυχῇ ἑλοῦσα πόθον.
Γράμματα γὰρ μνημεῖα λόγων, μήτηρ γεγαῦα
Παίδων ἡβώντων, ἐξεπόνησε μαθεῖν.

Ita vertit Xylander.

Euridice Muſis, Hierapolietis amorem,
Pectore quem fovit, teſtificata dicat
Sermonum monumenta: parens aetatis adultae
Gnatos, quas didicit, litterulas docuit.

1. De hac Euridice vide Diſſertationem *num.* XXVIII. Muſae olim floribus, palma, pennis verſicoloribus coronatae ob victas ſirenas & Pieri filias in picas converſas. Pervetuſta Romae Muſarum ſigna pennam in vertice praeferentia Lilius Gyraldus vidit *Syntagm. Deor. VII.* Vide frontem Epiſtolae Dedicatoriae ad *Inſcr. Donian. pag. IV.* alatae occurrunt Muſae in opere heſaſtylo ſarcophagi ad denotandam nempe mentis agitationem. Troezenii rem divinam faciebant Muſis & Somno affirmantes iis amiciſſimum hunc eſſe Deum. An hac de cauſa nox olim Euphrones dicta eſt, quaſi prudentiae parens? *Plutarch. Sympoſ. VII. Q. IX.* Lucus itemque pagus Camoenarum Romae olim celeberrimus extitiſſe fertur, ubi S. Urbani Eccleſia ſpoliis templi Martis ornata, Vid. *Cl. Montfauc. in Diar. Ital. XI.* Ad Muſarum gloriam Theſſalonicae inventum hunc habe lapidem ex *Mu-*

Digitized by Google

rator. T. I. Cl. II. p. cxxi. 4., ſed extra ordinem, quia de ejus antiquitate merito eſt dubitandum; nam Heſiodum, qui victor Homeri hic dicitur, Vellejus *lib. I.* 7. poſteriorem Homero 100. annis, alii apud Gellium III. 11. & XVII. 21. majorem Homero, nonnulli aequalem fuiſſe tradunt.

ΗΣΙΟΔΟΣ ΜΟΥΣΑΙΣ ΕΛΙΚΩΝΕΣΙ ΤΗΝ Δ' ΑΝΕΘΗΚΑ
ΥΜΝΩ ΝΙΚΗΣ ΕΝ ΧΑΛΚΙΔΙ ΘΕΙΟΝ ΟΜΗΡΟΝ
Vicit ut Heſiodus divinum in Chalcide Homerum
Hunc Helicone ſatis *tripodem* dat habere Camoenis.

L X X I.

Grut. ibid. 9. Uticae *vulgo* Uſetz.

1. SEX . POMPEIVS . I. COGNOMINE . PANDVS
QVOIVS . ET . HOC . ABAVIS . CONTIGIT . ESSE . SOLVM *ſic*
2. AEDICVLAM . HANC . NYMPHIS . POSVIT . QVIA . SAEPIVS . VSSVS
HOC . SVM . FONTE . SENEX . TAM . BENE . QVAM . IVVENIS

1. Sexti Pomp. multi fuerunt, duo clariſſimi, alter Magni filius, alter Conſul cum L. Cornificio A. V. 719. Pandus i. e. *incurvus*, ideo Ovidius *Metam. V.* 287.

Oſque meum pando ſenſi occalleſcere roſtro.

2. Ubi loca Nymphis ſacra, ſilentium indicebatur, duobus id lapidibus confirmantibus, quorum alterum Smetius, Gruterus alterum inter ſpurios numerant: ego utrumque, utpote perelegantem, veluti mantiſſam trado.

NYMPHIS . LOCI . BIBE . LAVA . TACE.
HVIVS . NYMPHA . LOCI . SACRI . CVSTODIA . FONTIS
DORMIO . DVM . BLANDAE . SENTIO . MVRMVR . AQVAE
PARCE . MEVM . QVISQVIS . TANGIS . CAVA . MARMORA . SOMNVM
RVMPERE . SIVE . BIBAS SIVE . LAVERE . TACE

L X X I I. Romae. *Grut. p. XCIII.* 11.

1. VNDIS . CYANEIS . DONVM . PLA
CAVILE [a] . FECIT
CONTVCCIVS [b] . BLANDAS . PER . A
QVAS . ARAM . VENERANDAM
HINC . ORITVR . PERGITQVE . FLV
ENS . DEINDE . OCCIDET [c] . IN . SE

2. IPAI [d] . MOX . VIRIDIS . RENOVAN
TIBVS . INCLYTA [e] . NYMPHIS
NVMINE [f] . FONTIGERO . GRATES
EX . VNDIQVE . SOLVENS .
SOSPES . CVM . COMITES . PRAE
STAT . RENOVANTE . LIQVORE

a *Pith.* PLACABILE b *Pigh.* CONTVRCIVS *Pith.* GORDVCIVS
c *Almelov.* OCCIDIT d *Pigh.* RIPAI *Almelov.* PIPAS
e *Almelov.* INCLITA f *Idem* NVMINA.

Undis Cyaneis donum placabile fecit
Contuccius blandas per aquas aram venerandam.
Hinc oritur pergitque fluens, deinde occidet in ſe;
Ripai mox viridis renovantibus inclyta Nymphis
Numine fontigero, grates ex undique ſolvens
Soſpes quum comites praeſtat renovante liquore.

1. De Nympha Cyane Ovidius *Metam. V.* & *IX.*
Cognita Cyaneae praeſtanti corpore Nympha.
Nymphis ſacella dicata, Virgilius annuit *Eclog. V.*
Haec tibi ſemper erunt, & quum ſolemnia vota
Reddemus Nymphis, & quum luſtrabimus agros.
S. Hieronymus dolet, ethnicorum errorem omnes provincias occupaviſſe, & ubique ad capita fontium, & lucos amoeniſſimos hoſtias immolatas *VII. in Jerem.*

2. Fortaſſe hic ſenſus: *Nymphis, numine fontigero, mox renovantibus inclyta ripai* i. e. *ripae viridis*, ſicut legimus *amoena viarum*, & *opaca locorum*. Si erro, ſcias velim, me Davum eſſe, non Oedipum, cujus conſilio eſt opus in explicanda hujuſce lapidis concluſione.

L X X I I I.

Romae in Villa Juſtiniana. *Montfaucon. Diar. Ital. p.* 153.

1. AEGERIA EST QVAE PRAEBET AQVAS
DEA GRATA CAMOENIS . ILLA NVMAE
CONIVNX CONSILIVMQVE FVIT

1. Haec Ovidii carmina Montfauconius inſculpta fuiſſe putat ad Aegeriae fontem, quem Flaminius Vacca extitiſſe

 pu-

putat, ubi locus eſt, qui utpote ad Caſarellos pertinens, dicitur *la Caſarella*, extra portam Latinam non procul ab *Aqua Sancta*, ea ſcilicet, quam Rufus, & Victor Lacum *Sanctum* & *Salutarem* dicunt, vid. *Montfauc. cap. XI. loc. cit.*

LXXIV.

Ex Muſ. Veronenſ. pag. LXIII. I.

Λ Α Μ Π Α Δ Α
Ν Ε Ι Κ Η C Α C
C Τ Ν Ε Φ Η
ſic Β Ο Ι C Τ Η Ν Δ Α
Ν C Ο Η Κ Α Ε Τ
Τ Τ Χ Ι Δ Η C
Π Α Ι C Ω Ν Ε Τ
Τ Τ Χ Ι Δ Ο Τ
Α Θ Μ Ο Ν Ε Τ C

Hoc diſtichon ſic reformatur in Grut. notis p. CCCVIII.

Λαμπάδα νεικήσας σὺν ἐφήβοις τῇ δ' ἀνέθηκα
Σωτυχίδης Πάνθων Εὐτυχίδου Ἀθμονεύς.

Sic emendat Cl. March. Maffejus loc. cit.

Λαμπάδα νικήσας σὺν ἐφήβοις τήνδ' ἀνέθηκα
Εὐτυχίδης παῖς ὢν Εὐτυχίδου Ἀθμονεύς.

Idem latine vertit.

Lampada cum ſociis victor dicat Eutichides hanc,
Pago Athmonenſis, filius Eutichidis.

In Grut. *pag. CCCXVII.* 3. & in marm. Oxonienſibus *pag.* 85. hoc diſticho Graeca inſcriptio clauditur cum dono in templo appoſita ab adoleſcentibus, qui ſimul gymnaſium frequentabant ducenti & duo, quorum donarium ad Deos ſtudiorum praeſides finem dabit huic claſſi pariter, ac tacite, ut ſpero, adoleſcentiam philologiae deditam excitabit ad pietatem in Deum veram, ſine qua inanis & omnis labor & litterarum ſtudia futura ſunt, quare juventus optima perdiſcat velim *de probitate viro litterato neceſſaria* elegantiſſimam orationem in Tomo II. nuper editam a P. Paulino, cujus ob eloquentiam, & Inſtitutiones Analyticas noſter Ordo univerſus ubique lucet.

SY-

SYNOPSIS.

NOnnulli Ritus funebres Auguſtorum Auguſtarumque proprii recenſentur. II. *Veſtium, odorum, munerum ac reliqui apparatus impenſa in Caeſarum, regumque exequiis quanta fuerit, ex Veſpaſiani, Poppoeae, Ditizelis funeribus conjicitur.* III. *Caeſares procul ab urbe extincti quo municipiorum & coloniarum luctu, qua militum, equitum, ſenatorum omniumque ordinum concurſu & pompa Romam tranſveherentur, breviter enuntiatur.* IV. *Quanta in tyrannorum interitu privata ac publica gratulatio?* V. *Militum dolor non raro in morte Caeſarum vehementiſſimus, aliquando etiam furori par.* VI. *Imperandi cupiditas in ſimulando diſſimulandoque nequiſſima ſaepe honorifice ſepelivit, quos imperio pariter ac vita orbavit.* VII. *Qualia Principum ſepulcra?* VIII. *Quot inibi divitiae abſconditae?* IX. *Apotheoſin, niſi privilegio intercedente, ſemper exequiae antecedebant.* X. *Apotheoſeos antiquitas, & quandiu Romae in uſu fuerit, declaratur.* XI. *Indicendae conſecrationis jus olim penes Senatum fuit, deinde Auguſtos, decreto Senatus, & conſenſu populi accedente; aliquando hanc ſibi auctoritatem milites uſurparunt.* XII. *De pompa conſecrationis, cujus exemplum deſumitur a Pertinacis apotheoſi.* XIII. *Pyrae varietas in nummis oſtenditur; & conſecratio inſtar triumphi delineata in arcu Titi.* XIV. *Divorum praenomen non niſi poſt mortem Auguſtis inditum: Angelonii, & Zamoſii contraria opinio refellitur.* XV. *Solemnis Auguſtorum apo-*

apotheoſis ex Deorum parergis, ac Dei nomine non eſt arguenda. XVI. *Idem evincitur quoad Auguſtas.* XVII. *Auguſtorum Auguſtarumque apotheoſis triplici typo expreſſa cernitur, Aquila, Rogo, Ara ignita cum epigraphe* CONSECRATIO. *Loco Aquilae interdum Pegaſus, Anſer, Genius, vel plures Genii animam in caelum vehunt.* XVIII. *Unde accepta, & quid ſibi velint haec conſecrationis ſymbola?* XIX. *Alia Auguſtorum poſt apotheoſin nota, ſed inconſtans admodum & incerta, eſt caput nunc radiatum, nunc nudum penitus, nunc velatum.* XX. *Propria D. Auguſtarum nota eſt caput velatum & pavo.* XXI. *Divus ac Diva idem prorſus ac Deus & Dea: contra quorundam opinionem negatur, Auguſtos & Auguſtas, dum adhuc viverent, Deos quidem, aut Deas audiviſſe, ſecus poſt apotheoſin, ſed tantum Divos, aut Divas.* XXII. *Nonnulla de Divorum Divarumque cultu; eorum numiſmata & ſimulacra quanto in honore habita?* XXIII. *Diverſi Auguſtorum Auguſtarumque divini honores enumerantur.* XXIV. *Caeſarum templa, ſtatuae, & aliquando Drachmae Aſyli loco poſt Julii caedem extiterunt.*

DIS-

DISSERTATIO II.

De Auguſtorum Funere & Apotheoſi.

MARCHIONI

JOANNI PETRO LOCATELLIO

A Cubiculo ſanctiore Beatiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI XIV.

UNIVERSA jam in Italia, nedum in urbe terrarum domina, ſpectata ſatis ac perilluſtris Academia eſt, quae, Marchio ampliſſime, domi tuae doctiſſimorum frequentia hominum celebratur, cujus quidem commemoratio ita cum tuis laudibus conjuncta eſt & cohaeret, ut de ingeniis judicare quicunque poſſunt, & poſſunt aetate hac noſtra profecto plurimi, eorum nemini in mentem veniat, honores in te congeſtos non approbare; quin etiam multo pluribus ac ſplendidioribus te digniſſimum quiſque ſentiat, & ſponte ac propalam fateatur. Quanquam vero ad ampla decora, quae excellenter ornas virtute tua, dignitatis & amplitudinis acceſſionem vix ego quidem fieri poſſe video: Nam Quirinorum Academia, quam, ſi fama conſideretur, cum celeberrimis comparandam, ſi nobilitas, ornatiſſimam eſſe maximeque ſpectabilem nemo ignorat, quum ſibi optime conſultum vellet, te Aedilem conſenſu unanimi declaravit. Cortonenſis quoque Academia totius anti-

Digitized by Google

antiquitatis vindex, neque Etruriae duntaxat, aut Italiae finibus, ſed iiſdem, quibus litteraria reſpublica, terminis circumſcripta, quanquam una omnium ſeveriſſima in magiſtratibus deferendis, tamen paucis abhinc annis deſignando de Lucumone ſolicita tibi & abſenti & nihil minus pro tua modeſtia id cogitanti hanc laudem detulit; quae quanti facienda ſit, & aliorum exempla oſtendunt, & illius in primis, qui talem ac tantam perſonam in praeſens ſuſtinet Eminentiſs. Cardinalis Corſinus jure Princeps inter optimos omni laude commendatiſſimus. Perhonorificam vero Muſei Capitolini cuſtodiam tibi uni commiſſam eſſe, ne hoc quidem colloco in laude tua. Illud verae ac ſolidae tibi gloriae tribuendum eſt, quod hanc vigilantiae, vel potius eruditioni tuae curam commiſerit BENEDICTUS XIV. Pontifex ea ſapientia praeditus, cui vix multis ſeculis elaboret ſolertia parem. Hoc enimvero eſt grande decus, haec magna laus. Sapiens nimirum Princeps ſapientibus delectatur. Quod ſi propterea quis miretur, diſſertationem hanc meam de poſtumis Auguſtorum Auguſtarumque honoribus prodire in lucem tuo nomine inſignitam, is mirari deſierit, quum hujus conſilii mei cauſam animadverterit. Neque enim aut tua me humanitas huc adduxit, aut tolerantia, qua totum hoc opuſculum, licet occupatiſſimus perlegiſti, judicio etiam tuo benigniſſime comprobaſti. Gravis erat utraque ſane cauſa, ſed non ejuſmodi, cur ab omni vacarem audaciae nota: niſi forte ſi quis putaret, Ciceroni me morem gerere affirmanti, ingenui eſſe animi, cui multum debeas, eidem plurimum debere velle. At nihil horum apud me tanti fuit, ut huc adducerer. Quidnam igitur? attendere parumper, obſecro, ne graveris. Opella

hac

hac mea tu probe noſti ſtudioſis adoleſcentibus gratificari me utcunque cupere, iiſque potiſſimum, qui in collegio Nazareno verſantur, cujus perhonorificum tute es decus & ornamentum. In hoc enim collegio a primis annis poetarum, hiſtoricorum, rhetorum lectionem cum philoſophiae ac mathematicae ſtudiis conjunxiſti, utramque praeterea laudem, quod caput eſt, ea morum commendatione condecoraſti, ut jucundiſſimam tui memoriam reliqueris & ingenii & probitatis. Prima haec virtutis lumina ad tanti ſplendoris amplitudinem evaſiſſe quicunque intelligent nobiliſſimi Adoleſcentes, ii profecto ad verum decus quibuſdam veluti facibus excitabuntur. Delectat enim & auget animos, ut majorum, ſic ſodalium fama & exemplum, cujus aſpectus maximum & ſtudiorum incitamentum eſt & laborum. Hunc porro fructum, qui te intime norunt, ſi jure exiſtimant tibi jucundiſſimum fore, jam me nemo, opinor, audaciae inſimulabit. At ſentiat per me licet arbitrio quiſque ſuo. Tua me bono animo eſſe jubet humanitas ſingularis, non tam in me quidem, quam meum in Ordinem univerſum, cujus & inſtitutum aperte probas, & Auctorem religioſiſſime veneraris. Sed non te pluribus interpellabo: jam eos, ad quos praeſertim hoc opus pertinet, ſermo compellat meus: nam monitos hoc unum volo, inſtituti ut recordentur mei, ſi altera haec diſſertatio ſecundae claſſi non ad amuſſim reſpondeat. Siquidem alteram quae claſſem ornant poeticae inſcriptiones, aeque ſpectant ad Caeſares, ac ad Reges, non ita haec diſſertatio. Nec mihi quiſquam id vitio vertet, dum illud teneat, quod ab initio dixi, propoſitam mihi eſſe veterum praeſertim Romanorum eruditionem, obiter vero Grae-

corum pariter & barbarorum. Sic ergo perſequar poſtumos Auguſtorum Auguſtarumque honores, ut ubi occaſio adſit, de Regibus non conticeſcam; curabo ſcilicet, ut ſi minus ſalva eruditio, certe ſit ſalva fides.

I. Deos excipiunt Divi, quorum uterque grex fuit in Urbe plurimus, quibuſque debebant alterum, iis alterum Romani obtulerant, ſoliti propterea dicere: *Deos reliquos accepimus, Caeſares* [a] *dedimus*. Id enim adulatio Romae fecit, ut haud ſemel, quorum Principum fuerat optata mors, celebraretur eorum funus communi luctu, & memoria inſtituto civitatis publico conſecraretur. Nemo Reipub. memor ac libertatis non odio exarſit in Julium Caeſarem: nihilominus ſolemni indicto funere elatus eſt, extructus rogus in campo Martio, pro roſtris aurata aedes collocata, intraque lectus eburneus auro & purpura ſtratus, & ad caput tropaeum, in quo fuerat occiſus. Donis ad rogum ferendis quum unius viae ſpatium impar eſſet, populo, diverſis ut itineribus in campum deſcenderet, imperatum: quanquam poſtea de loco, ubi cremandus eſſet, contentione orta, ſuccenſus eſt funere tumultuario, ac circumſtantium turba cum ſubſeliis tribunalia, & quicquid ad donum aderat in flammam congeſſit; tibicines ac ſcenici artifices veſtem, quam ex inſtrumento triumphorum in praeſentem uſum induerant, detractam ſibi diſciſſamque dedere ignibus: matronae quoque ornamenta ſua & liberorum bullas ac praetextas conjecere in flammam, nedum arma ipſi ſua milites veterani. In ſummo luctu multitudo exterarum gentium circulatim ſuo quoque more lamentata eſt, ac Judaei projectis in adulationem moribus buſtum continuis noctibus frequentarunt.

a *Val. Max. in Prolog.*

tarunt. M. Antonius ſtatuam in roſtris [a] cum epigraphe PARENTI OPTIME MERITO: plebs in foro e lapide Numidico columnam ſtatuit inſcripſitque PARENTI PATRIAE, diuque ibidem ſacrificare, vota ſuſcipere, controverſias etiam aliquas interpoſito per Caeſarem jurejurando diſtrahere ſeu componere perſeveravit: decretum denique, ut curia, ubi caedes facta, obſtrueretur, idusque martii PARRICIDIUM nominarentur, ac ne unquam eo die Senatus haberetur. Si haec Julio data ſunt, profecto non ſine cauſa inferioris aevi ſcriptores Auguſtorum funera non publica, non cenſoria, ſed triumphalia & regia nuncuparunt, quorum ordinem non eſt hujus loci ac temporis declarare: huic enim pompae multa cum Nobilium funere communia ſunt, de quo prolixe agitur in ſequenti diſſertatione. Nonnulla hic tantum commemorantur, quae ſpectant unice ad Auguſtos, eorumque liberos uxoreſque. Juſtitium ſtante Repub. tantum in luctu publico uſitatum defuncto vita imperatore ſponte ſumi, vel a magiſtratibus indici ſolitum enarrat Tacitus [b] in Germanici morte, quae vix audita tanto multitudinem dolore affecit, ut *ante edictum magiſtratuum, ante S.C. ſumto juſtitio desererentur fora, clauderentur domus, paſſim ſilentia & gemitus, nihil compoſitum in oſtentationem*. Conſules vulgari ſede utebantur, & veſtitu obſoleto: inquit enim poeta: [c]

. . . . latuit plebejo tectus amictu

Omnis honos: nullos comitata eſt purpura faſces.

Quaecunque animi recreatio ac laeta officia diligentiſſime [d] vitabantur, ac mortua Druſilla riſiſſe, laviſſe, coenaſſe

a *Cic. Epiſt. Fam. XII. 3.*
b *Annal. I.*
c *Lucan. II.*
d *Ibid.*

naſſe cum parentibus, conjugibus, liberiſve capitale [a] fuit, ac Juvenalis in morte Caeſarum nec focum inſtruere [b] licuiſſe tacite innuit, ubi de incendio agit.

Tunc gemimus caſus urbis, tunc odimus ignem. Siquidem gliſcente in dies magis adulatione, aut urgente metu, ſemper ſunt nova inventa, non modo anxie obſervata quaecunque fuerant a majoribus inſtituta. Ne longius evager, ſenatus inter alia complura cenſuit, Auguſti funus triumphali porta ducendum, praecedente Victoria, quae erat in curia, canentibuſque naeniam [c] principum liberis utriuſque ſexus: juſſit praeterea legum latarum titulos, victarumque ab eo gentium [d] vocabula anteferri. Alia ſi addideris, exiſtimabis hanc ſane pompam potius triumpho ſimilem, quam exequiis, qualem Druſo [e] datam affirmat Seneca, & Aurelius Victor Trajano, cujus cineres Romam relati, imagoque, ſicut triumphantibus ſolet, ſuperpoſita in urbemque invecta eſt ſenatu atque exercitu praeeunte. Populus quoque laureatus excepit Severi liberos illius oſſa in urbem ferentes, quam pompam Herodianus [f] refert ſplendidiſſimo cuique triumpho parem. Cum hac pompa propone tibi omnia cenſorii funeris ornamenta, captivos praeſertim duces victoſque reges, ſiqui Romae aderant, feretrum comitantes, jam ſi publicam urbis gratulationem in luctum vertas, non video, quid amplius ad triumphi ſplendorem majeſtatemque fuiſſe additum arbitrere. Quoad victos duces pompam victoris funebrem proſequentes, neſcio, aliundene id acceperint, an primi omnium Lacedaemones inſtituerint, a quibus Pauſanias narrat inter cete-

a *Sveton. Calig.* 24.
b *Sat. III.* 214.
c *Svet. Aug.* 100.
d *Tacit. l. c.*
e *In conſolat. ad Mart.* 3.
f *Lib. IV.*

ceteras hanc impoſitam [a] Meſſeniis poenam, ut viri pariter ac mulieres ſumta veſte pulla regum & optimatum funera proſequerentur, quare Tyrtaeus cecinit interprete Amaſaeo: [b]

Ipſi atque uxores dominos plorare coacti,
Siquae horum e vita mors rapuiſſet atrox.

II. Sicui fortaſſe cupido inceſſerit perveſtigandi, quanta nummorum vis Auguſtorum in exequias profunderetur, hujus quidem rei conjecturam funera praebent duo, Veſpaſiani ſcilicet, & Poppoeae. Ille porro quoniam cupiditatis & avaritiae infamia nunquam caruit, ideo, quum efferretur, per ora vulgi traductus eſt. Favo ſcilicet Archimimus, qui perſonam ejus gerebat, atque, uti mos in funeribus erat, vivi facta & dicta imitabatur, interrogatis palam procuratoribus, *quanti* [c] *funus conſtaret? ut audiit HS. centies, exclamavit centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim projicerent*. In hujus ergo imperatoris exequias erogata vides quinquaginta ſupra ducenta millia philippeorum. De Poppoea quod dicam, vereor ne fabula videatur. Plinius [d] auctor eſt, Neronem principem noviſſimo illius die tantum concremaviſſe thuris, quantum periti rerum aſſeverant non ferre Arabiam annuo foetu. Tradit autem Herodotus [e] ſingula millia talentum thuris annua penſitaſſe Arabas Perſarum regibus. Nec vero Perſis Arabas niſi decimas ſolviſſe reor, quas frugum omnium regibus olim & Diis libatas [f] non ignoramus. Itaque decem millia talentum thuris annuus fuit Arabiae foetus. Mihi quidem hoc loco Plinius videtur

a *In Meſſen. ſeu lib. IV.*
b *Ad loc. cit. pag.* 108.
c *Svet. Veſp.* 19.
d *H. N. XII.* 18.
e *Plin. ibid.* 17.
f *Cic. Verr. III. & Victor de Orig. Gen. Rom.*

detur ſubleſtae fidei, quum Tacitus ſcribat, Poppoeae corpus non igni fuiſſe abolitum, ut ille innuit, ſed regum externorum conſuetudine differtum odoribus, illatumque Juliorum tumulo. Externi Reges, quanto impendio ſuorum funera celebrarent, documento ſit unus Nicomedes Bithyniae rex, qui [a] Ditizelem uxorem veſte textili ex auro induit, qua conflata inventum eſt auri pondus librarum 113. At vero utcunque de Plinio ſentias, nunquam, opinor, inficias ibis in eo funere impenſam odorum fuiſſe maximam. Si Nero illius, quam crudeliſſime interfecerat, in exequiis tam prodigus fuit, non temere arbitrabor, ceteros Principes in conjugum funera odores & plurimos & pretioſiſſimos profudiſſe. Odoribus adde veſtes, diademata, monilia, armillas, zonas, fibulas argenteas, aureas gemmataſque, uno verbo, mundum muliebrem, ac recordare, quid mortuo Julio, recenti adhuc imperio factum ſit, tum ſi minus comprehendere, conjicere plane poteris, quam magnifici eſſent, aut potius prodigi Auguſtorum Auguſtarumque extremi honores.

III. Maximis hiſce impendiis, ſi Caeſares procul ab urbe obirent, quidam veluti cumulus addebatur propter pompae ſplendorem, qua eorum cineres, vel cadavera Romam deferebantur. Auguſti corpus decuriones municipiorum & coloniarum [b] a Nola Bovillas deportaverunt, a Bovillis equeſter ordo ſuſcepit, ac urbi illatum, collocatumque in domus veſtibulo poſt duplicem laudationem ſenatores in campum ſuis humeris detulerunt. Tiberius Romam a militibus deportatus, & publico [c] funere

a *Vid. Vaill. in Nicomed. Num. ad hiſtor. Regum Ponti, Boſph. & Bithyn.*

b *Svet. Aug.* 100.

c *Idem Tib* 75.

nere crematus eſt. Hadrianus Bajis in villa Ciceroniana quum deceſſiſſet, ejus reliquiae in [a] urbem ab Antonino Pio pervectae ſunt, & in hortis Domitiae ſepulcro conditae. Severi corpus, vel cineres, ut aliis placet, in urnula aurea [b] e Britannia Romam magna provincialium reverentia delati, poſt funus ampliſſimum a gentilibus liberiſque exhibitum, Antoninorum ſepulcro illati ſunt. Plura non ingeram de hoc ritu, quippe qui iterum commemorabitur, ubi honores viris bello illuſtribus poſt mortem haberi ſoliti explicabuntur. At quantacunque fuerit pompa funebris aliorum Caeſarum, nullius in exequiis tantus enituit amor populi ac ſenatus, quantus in Antonini Philoſophi, quem nemo lugendum cenſuit, certis omnibus (o caecitatem deplorandam!) quod a Diis commodatus ad Deos rediiſſet, ideoque priuſquam funus conderetur (quod nunquam antea factum fuerat, [c] nec poſtea fuit) ſenatus populuſque non diviſis locis, ſed in una ſede propitium Deum dixit, & quaſi parum hoc fuiſſet, ſacrilegus etiam judicatus eſt, qui ejus imaginem domi non haberet; quare Capitolinus ait adhuc aetate ſua multas ejus ſtatuas inter Deos Penates multis in domibus extitiſſe. Diocletianus eundem, non ut ceteros inter numina, ſed praecipua quadam religione coluit, conſuetus hoc ſaepe [d] dicere, nec Platonem, ſi rediret ad vitam, talem futurum, qualis fuerat Marcus. Nec vero, quum aliis hunc Caeſaribus antepono, ignorare me putes velim, quam ampla, quam magnifica pompa fuerit in funere Conſtantini Magni. Teneo equidem: ſed quis audeat hujus gloriam cum illorum exequiis commi-

mi-

a *Spartian. in vit. & Capitolin. in Anton. P.*

b *Spartian. in fin. vit.*

c *Capitol. in vit.*

d *Idem in vit.*

miſcere? Satis hoc unum eſto, eam pompam tale ſpectaculum intuentibus praebuiſſe, *quale nunquam* [a] *in terris ullum a condito mundo ſub ſole viſum eſt*.

IV. Laus vero aliqua ſi Romanorum fuit, quod ſe facere crederent bonis bene, iiſdem profecto eximiae laudi tribuendum eſt, quod tyrannorum mortem, dum per ſucceſſorum impotentiam licuit, non luctu, ſed laetitia publica exceperunt. Tiberii interitu ita laetati ſunt, ut ad primum nuncium [b] diſcurrentes, pars *Tiberium in Tiberim* clamitare, pars terram matrem Deoſque orare, ne mortuo ſedem ullam, niſi inter impios darent, alii uncum & gemonias minitari: corpus autem ut a Miſeno moveri coepit, conclamare plerique Atellam deferendum & in amphiteatro ſemiuſtulandum. Neronis mors tantum gaudium attulit civitati, ut plebs paſſim diſcurreret pileata, nec ullum is tumulum habuiſſet, niſi Ecloga & Alexandra nutrices [c] in colle hortorum ejus cineres condidiſſent gentili Domitiorum monumento, ubi non defuerunt, qui diu vernis aeſtiviſque floribus ejus ſepulcrum ornarent, ac modo imagines praetextatas, modo edicta quaſi viventis in roſtris proponerent: quin etiam [d] Vologeſus Parthorum rex per legatos ſenatum enixe oravit, ut Neronis memoria publice coleretur. Domitiani cadaver [e] populari ſandapila per veſpillones elatum Phyllis nutrix in ſuburbano ſuo via Latina cremavit, & reliquias ſepulcro Flaviae gentis clam intulit, cineribuſque Juliae Titi filiae, quam & ipſa educaverat, commiſcuit. Libertina haec pietas tum in alios, tum in Sulpicium Galbam maxime claruit, cujus caput & trun-

a *Euſeb. in vit. Conſtant. M. IV. 65. 66. & Baron. ad Ann. 337.*
b *Svet. Tib. 75.*
c *Idem Neron. 57.*
d *Ibid.*
e *Idem Domit. 17.*

& truncum [a] Argius diſpenſator in ejus hortis Aurelia via ſepulturae dedit, nihil veritus Veſpaſiani ſententiam de abolendo decreto, quo ſenatus ſtatuam Galbae deſtinaverat roſtratae columnae ſuperſtantem. Caligulae cadaver clam in hortos Lamianos aſportatum, & tumultuario rogo ſine imaginibus ſine pompa infeliciter ſemiambuſtum, levi ceſpite obrutum eſt, ac ita jacuiſſet, niſi poſtea per ſorores ab exilio reverſas erutum crematumque ac ſepultum fuiſſet. Solus omnium imperatorum Heliogabalus [b] tractus eſt, & in cloacam miſſus, tum in Tiberim praecipitatus, ac *Tiberinus*, *Tractitius*, *Impurus* publice appellatus, quin ei quicquam profuerit de pretioſa morte ſolicitudo: paraverat enim laqueos ſericos & coccineos; item gladios aureos, ac in hyacinthis & ſmaragdis venena, quibus ipſe de ſe ſtatueret, ſiquid gravius immineret: turrim quoque altiſſimam fecerat ſubſtratis aureis gemmatiſque tabulis, unde daret ſeſe praecipitem, vitamque morte cum pretioſiſſima commutaret.

V. Pretioſam mortem, quam ille Caeſarum impuriſſimus in divitiis poſitam eſſe duxit, Auguſtorum nonnulli favori militum debuerunt. Nam pro illorum temporum caecitate ſi loqui velimus, non in opibus ſita erat, ſed ſuperſtitum in deſiderio pretioſa mors. Militum porro dolor vehementiſſimus non raro fuit in morte Caeſarum, inuſitatus etiam in Othonis: multi enim [c] cum plurimo fletu manus ac pedes jacentis exoſculati, *fortiſſimum virum*, *unicum imperatorem* praedicantes ibidem non procul a rogo vim vitae ſuae intulerunt: multi & abſentium accepto funeſto nuntio, prae dolore armis inter

a *Idem in vit.* 20.
b *Svet. Calig* 59.
c *Lamprid. in vit.*

ter ſe ad internecionem mutuo concurrerunt. Nec putes velim hanc dementiam, quam & improbo & deploro, a me laudari: hoc autem negari vix poſſe reor, favorem hunc militarem, ſeu mavis furorem nonnihil Othonis gloriae profuiſſe. At Gordianus III. imperator Othone longe glorioſior fuit. Ex tribus enim Gordianis, qui omnes Divi ſunt appellati, poſtremi mortem benevolentia militaris ſummopere cohoneſtavit [a] ſepulcro condito, additoque hoc titulo non veteris quidem majeſtatis, ſed amoris pleno, ſcriptoque litteris Graecis, Latinis, Perſicis, Judaicis & Aegyptiis: DIVO . GORDIANO . VICTORI . PERSARVM . VICTORI . GOTHORVM. VICTORI . SARMATARVM . DEPVLSORI . ROMANARVM . SEDITIONVM . VICTORI . GERMANORVM . SED . NON . VICTORI . PHILIPPORVM ; vel quia nimirum in campis Philippicis ab Alanis victus, vel quod a Philippis occiſus fuit : quare hunc titulum evertiſſe Licinius dicitur, quum vellet exiſtimari originem ſe trahere a Philippis. Non me fugit, affectum militarem, tanquam maris aeſtum, & varium fuiſſe, & magnam habuiſſe vim in utramque partem. Exemplo ſit Probus imperator, quem Vopiſcus optimis quibuſque Romanis ducibus parem, aut, ſi non repugnat invidia, meliorem fuiſſe ait. Ille igitur anno imperii V. apud Sirmium a militibus in ferrata turri, quo confugerat, interemtus eſt, quod eos nunquam ſineret eſſe [b] otioſos: dicebat enim, *annonam gratuitam militem comedere non debere*. Idem vero ab iiſdem militibus & magnifico ſepulcro conditus eſt, & ſplendido hoc titulo honoratus: HIC . PROBVS . IMPERATOR . ET . VERE . PROBVS .

SI-

a *Capitol. in Gord. III.* b *Vopiſc. in vit.*

SITVS. EST. VICTOR. OMNIVM. BARBARORVM. VICTOR. ETIAM. TYRANNORVM.

VI. Militaris haec inconſtantia num ad imperatores tranſierit, an ab ipſis proceſſerit, haud difficile judicatu eſt. Neque enim facile vulgus aeſtuat, ubi conſtans eſt imperator. Atqui complures Auguſti eos poſt mortem honorifice coluerunt, in quos tyranni inventi ſunt, hoc, opinor, diſcrimine, quod milites ab ſe interfectos honoraverunt ſceleris poenitentia ducti, Caeſares regnandi cupiditate in diſſimulando ac ſimulando nequiſſima. Sic Pertinacem Didius Julianus [a] quanto potuit honore ſepelivit, nulla ejus mentione ad populum, vel ſenatum habita. Item Macrinus, occiſo Antonino Caracalla, [b] ejus cadaver Romam deferri juſſit, & Praefecto praetorii mandavit, illud ut magnifice ſepeliret, dato funere regio: litteras quoque ad ſenatum miſit, eundem appellans Divum, ac jurejurando affirmans ſe ab illius caede abhorruiſſe, itaque adjunxit perjurium ſceleri. Caracalla quum Getam occidiſſet, vereretur que tyrannicam [c] ex fraterno parricidio notam, & audiret poſſe facinus mitigari, ſi fratrem appellaret Divum, dixiſſe fertur, *ſit Divus, dum non ſit vivus*. Eum ergo inter Deos referri voluit, poſtquam funere ampliſſimo elatum majorum ſepulcro intulit ſpecie Septizonii, de quo mox aliqua commemorabo. Sceleſtiſſimus fratricida & ſimulator, quanquam matronas & matrem ipſam demortui principis caedem flentes occidere voluerit, tamen toties lugebat, quoties occiſi aut mentio fieret, aut imagines intueretur, quas ubicunque potuit abolevit, docente id in primis celeberrimo Septi-

S 2 mii

a *Capitol. in vit. Pertin.*
b *Idem in Opil. Macr.*
c *Spartian. in vit.*

mii arcu ad capitolium, eruditiſſimis praeterea viris [a] id confirmantibus, quibus fruſtra obſtare conatus eſt Cl. Juſtus Fontaninus, ne [b] hircum mulgentibus cribrum ſupponere videretur. Contra vero Philippus quum Gordianum, ſenatus populique delicias, interfeciſſe diceretur, nullibi ejus imaginem delevit, ſed Divum [c] ſemper & appellavit, & peregrina calliditate veneratus eſt. Jam vero me taedet plura de tyrannis dicere, addam nonnulla de ſepulcralibus Principum monumentis.

VII. Quod Caeſarum pauciſſimos ſolicitudo ceperit de paranda ſibi aeterna domo mirabitur fortaſſe aliquis; nec fruſtra quidem. Etenim ſatis liquet, quam anxia haec cura eſſet Romanis indita, atque in ſumma rerum poteſtate quam ſalutaris haec cogitatio haberetur: huc enim reſpicit Juvenalis: [d]

& ſibi conſul
Ne placeat curru ſervus portatur eodem,

a quo nimirum triumphans conceptis verbis admonebatur, *eſſe hominem te memento*, vel, ut S. Hieronymus, *reſpice ad eos, qui te praeceſſerunt, & memento te eſſe moriturum*: quin etiam poſteriore aetate hoc inſtitutum fuiſſe memorat Claudius Paradinus, uti ſculptor imperatorem, dum primum diademate coronabatur, varia oſtentans marmora his verſibus alloqueretur:

Elige ab his ſaxis, ex quo, auguſtiſſime Caeſar,
Ipſe tibi tumulum me fabricare velis.

Cur ergo ex iis tam paucos tenuit ſepulcri cura? quia nimirum aut avita jam monumenta habebant, aut ab nonnullis.

a *Vid. Nard. Rom. Vet. V 6. Fabrett. de Col. Trajani II. & Annibal. Oliver. Marm Piſaur. ad inſcr. XIX. p. 35. uſque ad 50.*

b *De Antiq. Hortae. I. 3.*

c *Capitol in Gord. III.*

d *Sat. X. 41.*

lis imperatoribus aedificata non defutura ſibi exiſtimabant, aut, quod verius eſt, quia ad imperium evecti ſeſe pares ducebant Diis, propterea magis de ſacris aedibus ac pulvinaribus, quam de ſepulcri honoribus laborabant, quorum id genus monumenta illuſtria fruſtra inquires, ſi Auguſti mauſoleum exceperis, Hadriani molem, & ſeptizonium Severi, de quibus non multa dicam, quum tam multiplex eorum deſcriptio ſit, quam hujus urbis topographia. Exornavit hanc enim nemo, quin Auguſti rotundam molem, immenſos aggeres, circumjectas ſilvas, amplas ambulationes, parietes, oſtia, loculos explicaverit, tabulas praeſertim aeneas rerum ab eo geſtarum deſcriptione illuſtres, tum ipſius Octaviani tumulum e niveo marmore cancellis ferreis circumcluſum, ejuſdemque ex aere in ſummo vertice ſimulacrum. Hadriani molem nemo non ex Procopio didicit fuiſſe ejuſmodi, ut primus ejus ambitus quadrati figuram haberet, totus ex Pario marmore, ſumma artificum diligentia aedificatus: in medio rotundam molem aſſurrexiſſe, & quidem tantam, ut ſupremae areae diameter vix jactu lapidis poſſe tranſigi videretur. Columnas, quibus undique ornabatur, in ſacros uſus converſas cernimus; quadrigae vero & equeſtres ſtatuae in ſubeuntes Gothorum copias a Beliſarii militibus effuſae ſunt. Quantus eſſet inibi urnarum ſplendor, illa ſatis indicat, quae vulgo dicitur ſepulcrum Bacchi, revera hinc deſumta pro S. Conſtantiae reliquiis adſervandis, quam in via Nomentana nunc vacuam cernimus illius in aede ſphaerica, ſepulcrali olim Conſtantini familiae monumento, non templo Bacchi. Inter Hadriani molem, & S. Mariae Tranſpontinae Nardinus collocat ſepulcrum M. Aurelii, unde viae pariter ac portae nomen.

De

De Severi Septizonio diſſentiunt eruditi. Iſaacus Voſſius [a] ita dictum ſuſtinet a ſeptem columnarum ordinibus ſibi invicem ſuperſtructis, & quaſi quandam imaginem Romanorum collium & caeleſtium planetarum eam putat fuiſſe molem, quam e medio mari conſpicerent ex Africa venientes. Alexander Donatus [b] idem omnino affirmat addito etiam ſchemate integri ſeptizonii. At equidem cum Marliano veriſimilius duxerim, Severi monumentum tribus tantum columnarum ordinibus exornatum fuiſſe, propterea Julius Capitolinus *Septodium* vocat, quod illuc ſeptem viae concurrerent, alii *Septiſolium* a ſeptem ſolariis, quibus conſtabat aedificium triplici columnarum ordine, tanquam porticu, comprehenſum. Revera alterum Septizonium ſatis celebre nativitate Titi [c] cognomentum dediſſe templo S. Luciae *ad Septiſolia* Donatus ipſe non inficiatur. Vix porro credibile eſt, illius aedificii altitudinem fuiſſe tantam, ut ex infima valle inter Coelium & Palatinum e regione S. Gregorii ſupra Aventinum extolleretur. Nec quicquam officit Spartiani auctoritas affirmantis, Severo id in votis fuiſſe, ut *ex Africa venientibus ſuum opus occurreret*: inquit enim *venientibus*, non navigantibus: & ſane per Appiam huc accedentibus occurrebat. Philander demum architectonices peritiſſimus, qui grande opus ex magna parte ſuperſtes vidit, baſim, columnas, arcus diligentiſſime obſervavit, ad majorem, quam ad triplicis ordinis altitudinem aſſurgere potuiſſe omnino [d] negat. Jam de Caeſarea ſatis, nunc regiam in ſepulcris magnificentiam perſequi oporteret, niſi id omnino ſupervacaneum ducerem,

quia

a *De magnif. Rom. Vet. IV.*
b *De Urb. Rom. III. 13.*
c *Urb. Topograph. VI.*
d *Comment. Vitruv. V. 9.*

quia ex Romana in hoc aedificiorum genere amplitudinem facile regiam conjicere cuique licet. Siquidem Romanos novimus exterorum fuiſſe regum aemulatores, quorum ſepulcra quam eſſent ſplendida, hiſtoricis praetermiſſis, poetarum teſtimonia perbelle oſtendunt, qui ut litterarum gloriam nunquam interituram cum re maxime ſolida & magnifica compararent, non perperam viſi ſunt haud raro confugere ad regia mauſolea. Accipe de multis unum & alterum teſtimonium, Propertii ſcilicet, & Petronii Antigenidis, quorum prior: [a]

Nec mauſolei dives fortuna ſepulcri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber ſubducet bonores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaeſitum nomen ab aevo
Excidet: ingenio ſtat ſine morte decus.

Elegantiſſimo epigrammate ſic Petronius, cujus extat inſcriptio ſepulcralis in V. Cl. [b]

Haec urbem circa ſtulti monumenta laboris,
Quaſque vides moles, Appia, marmoreas,
Pyramidaſque auſas vicinum attingere caelum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die,
Et mauſoleum, miſerae ſolatia mortis,
Intulit aeternum quo Cleopatra virum,
Concutiet ſternetque dies, quoque altius extat
Quodque opus, hoc illud carpet edetque magis.
Carmina ſola carent fato, mortemque repellunt,
Carminibus vives ſemper, Homere, tuis.

Regia in mauſoleis amplitudine, vel dementia potius utcun-

a *Lib VI El. I. in fin.*
b *Edit. Amſtelodam, An. 1669. Vid. Annib. Oliver. Inſcr. Piſaur. in not. ad inſc. LXXIV.*

Digitized by Google

utcunque cognita, jam pauca, ſi vacat, de divitiis accipe, quae una cum cadaveribus obruebantur.

VIII. Veteres quidem reges ad naulum Charonti exſolvendum non fuiſſe contentos obolo, ſed ſuis cum cineribus divitias juſſiſſe condi amplitudini ac dignitati pares hiſtoria docet. Hac de cauſa Alexander Macedo quum credidiſſet ſepulcrum Cyri auro argentoque repletum eſſe, illud ipſe [a] adire voluit, fidem ratus alienis oculis in re nummaria non habendam: quanquam poſtea quum putrem clypeum, ſcythicos arcus duos, & acinacem reperiſſet, praeterea nihil, loculum amiculo coope-ruit ſuo, corona item aurea ſuperimpoſita. Huc facit & illa inſcriptio, quam Babyloniorum regina Nitocris [b] ſepulcro inſculpſit ſupra portam urbis celeberrimam aedificato: *ſicui regum poſt me pecuniae inopia fuerit, hinc ſumito, quantum libuerit: niſi tamen indiguerit, ne aperito*. Darius Hyſtaſpis F. monumentum aperuit, ac femina deluſus invenit ſcriptum: *niſi turpis lucri ſtudioſus eſſes, mortuorum ſepulcra non violaſſes*. Clarius ad rem propoſitam Plutarchus in Pyrrho: narrat enim eum victo Antigono inter alias acerbitates Aegeis eam potiſſimum intuliſſe, quod Gallicum iis praeſidium impoſuit: Galli autem gens avariſſima regum ibi humatorum monumenta aggreſſi, theſauros diripuere, reliquias cum ludibrio diſſiparunt. Hunc morem ex Perſide, Aſſyria & Graecia ad alia quoque regna dimanaviſſe compertum eſt. Nam Cl. Joannes Mabillonius in in Diſſ. *de antiquo ritu ſepeliendi reges Francorum* autumat hac de cauſa primos eorum reges [c] nullum ſuis con-

a *Q. Curt. X. 2.*
b *Herodot. lib. I.*
c *Vid. Oper. poſtum. Tom. II. p. 53. 54.*

conditoriis ſignum exterius appoſuiſſe, ne ſcilicet violationis inde anſam caperet auri ſacra fames. Praeclariſſimus quoque Praeſul Juſtus Fontaninus in praefatione ſuae diſſertationis *de Diſco argenteo votivo* [b] hanc eandem eſſe cauſam exiſtimat, cur perquam rara Gothica, & Longobardica conditoria in Italia extent non ſolum privatorum, ſed etiam regum, qui ſeculis V. VI. VII. VIII. rerum potiti ſunt; nullum ſcilicet, ne furti occaſio eſſet, ſepulcris externum ſignum adponebatur, latibula etiam diligenter inquirebantur, aurum ut irrepertum eſſet, ſic melius ſitum. Jornandes tradit Alaricum Gothorum regem cum ſuis theſauris Conſentiae in Lucania conſepultum hoc modo: amnem Barentinum, ſive Baſentinum, aut Baſentium, qui nunc *Vaſento* dicitur, ex ſuo alveo derivarunt, tum ejus in medio regem cum opibus obruerunt, rurſuſque aquis in priſtinum reductis, ne cuiquam aliquando locus innoteſceret, foſſores omnes interemerunt. Eodem modo Jornandes [c] ſcribit ſepultum Attilam cum auro & argento, & operis adminiſtros mercede deteſtabili trucidatos. Sepulcralem opulentiam ſiquis alius, theſaurus indicat Childerici I. Francorum regis, Attilae aequalis, quem Tornaci inventum Jacobus Chiffletius commentario clariſſimo illuſtravit, cui *Anaſtaſis* titulum fecit, quumque inter centum nummos aureos illic inventos unus tantum Zenonis repertus fuerit, ad ejus tempora Childerici mortem traducit. Item Aubertus Miraeus eadem hac uſus regula [d] merito putat, imperante M. Aurelio, ejuſque filio Commodo Caeſarem agente abſconditum fuiſſe theſaurum in Flandria inven-

T tum

a *Cap. VII p.* 29.
b *De reb. Gothic. cap.* 30.
c *Ibid cap.* 49.
d *In Chronic. rer. Belgic. p.* 457.

tum An. D. 1607. nam inter ſexcentos aureos Domitiani, Trajani, Hadriani, Matidiae, Sabinae, L. Aelii, Antonini Pii, utriuſque Fauſtinae, M. Aurelii, L. Veri, & Lucillae unicus erat Commodi Caeſaris cum epigraphe PRINC. IVVENT. Theſaurus vero argenteus An. D. 1631. prope Antuerpiam erutus, in quo Caracallae, Juliae Mammaeae, Elagabali, Severi, Alexandri, Gordiani, Philippi utriuſque, Marciae Octaciliae, utriuſque Decii, Treboniani, Galli, Voluſiani, Valeriani, Gallieni numiſmata depromta ſunt, nullum Poſtumi, cujus erant in Belgio plurima, ante Poſtumi imperium circa An. D. 260., ejuſdem Miraei judicio terrae traditus fuit, ſeu Plutonis cuſtodiae commendatus. Hanc porro conſuetudinem, ſeu dementiam, qua jubebant reges regnorumque proceres ſuas ſecum divitias ſepeliri, Cl. Fontaninus [a] extendit non modo ad Gothos Orientales & Occidentales, ſed etiam ad Longobardos, Alamannos, Bavaros, eorum innixus legibus in violatores ſepulcrorum latis, quarum nonnullas colligit ex ingenti codice legum antiquarum Friderici Lindenbrogii. Ac prae ceteris haec fuit [b] Wiſigothorum lex: qui mortuum ſpoliaſſet, abſtuliſſetve ornamenta, ſi liber erat, demortui heredibus, dum ſupereſſent, ſi minus, fiſco, tum quae abſtulerat, reddere, tum libram auri exſolvere tenebatur, centum praeterea flagellis publice plectebatur: ſi ſervus eſſet, poſt centum flagella flammis ardentibus urebatur. Leges huic ſimiles Oſtrogothi [c], Alamannici [d], Longobardi [e], Bavari [f] decreverunt. Nolim vero regium fuiſſe theſaurum pu-

a *In Praefat. Diſci argent. Vot. c. V. & VI.*
b *Lib. IX tit. II. §. 1.*
c *Pag. 255.*
d *Pag. 376.*
e *Lib. I. tit XII.*
f *P. 434. tit. XVIII.*

putes, utpote omnium maximum, An. D. 1714. repertum inter Mutinam, & Brixillum, atque 1715. clanculum inde ſublatum. Quum enim numiſmata eſſent cuſa in triumviratu, Carolus Caeſar Baudelotius [a] optime conſultus antiquae rei non ſepulcrum, ſed arcam militarem fuiſſe credit, illic reconditam circa tempus, quo Peruſia ab Octavio obſidebatur. Plura de hoc theſauro egregie ſcripſit [b] Fontaninus. Jam a ſepulcralibus his lautitiis, de quibus alibi ſermo futurus eſt, venio ad alteram hujus diſſertationis partem, ſolemnem ſcilicet apotheoſin.

IX. Haec quidem, ſi legum ratio haberetur, ſemper celebrari poſt pompam funebrem conſuevit. Herodianus [c] diſerte tradit, primo Auguſtorum Auguſtarumque cadavera ritu hominum ſepulturae mandata, tum ſubſequutam apotheoſin. Tacitus [d] quoque in Claudio idem ſcribit, primo ei decretum cenſorium funus, deinde conſecrationem. Neque his auctoritatibus obſtat Gordiani III. ſepulcrum DIVI praenomine [e] honoratum: illa enim inſcriptio militari licentiae tribuenda eſt, legibus inter arma ſilentibus, vel poſt jam decretos divinos honores affixa fuit. Ita & ſentio de hac epigraphe, quam Rupilia Fauſtina filia [f] Rupini Boni Divae Fauſtinae filiae inſcribendam curavit: [g]

MEMORIAE
DIVAE . FAVSTINAE . AVG
PIAEQ. CLARISSIMAE
RELICTA . MATRE

T 2 IN-

a *Vid. explicat. Num. Aur. Fam. Cornif*
b *Supplem. Antiq. explic. T. III. c. VI.*
c *Lib IV.*
d *Hiſt. XII.*
e *Capitol in vit.*
f *Idem in M. Aurel.*
g *Theſ. Grut. CCLXI. 3.*

Digitized by Google

INFELICISSIMA
VIX. ANN. XXXVI. MENS. III
DIEB. XI.

Cur ita exiſtimem, ratio praeſto eſt. Nam praeter hiſtoriam confirmat hunc ritum titulus Antonini Pii in Hadriani mauſoleo inventus, nec DIVI praenomine illuſtratus: [a]

IMP. CAESARI. T. AELIO HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO. PONTIF. MAXIM
TRIB. POT. XXIII. IMP. II. COS. IIII. P. P

quod epitaphium Vignolius [b] & ſepulcrale exiſtimat, & hinc Ciaconii [c] aliorumque errorem emendat perperam opinantium, hujus Antonini cineres ſupra M. Aurelii columnam fuiſſe conditos: illius praeterea vitam cum Capitolino & lapide Sponiano [d] exordiens a XIII. kalend. octobr. Domitiano XII. & Corn. Dolabell. Coss. An. V. C. DCCCXXXIX., eandemque producens uſque ad nonas martii An. V. C. DCCCCXIII. Chr. 161. evincit annos LXXIV. menſ. V. dies XVII. vixiſſe hunc imperatorem, cui Caſſiodorus 77., Eutropius 78., Victor Schotti 75., alter Victor in epitome 72., & Sponius 70. falſo tribuerunt. Sed ne a propoſito diſcedam, quum dixi neminem ex Auguſtis ante ſepulturam fuiſſe Deorum numero adſcriptum, exceptum volui Antoninum philoſophum, itemque Pertinacem, qui ſtatim ac mortui per ſenatum & populum [e] inter Deos relati ſunt; ideo Pertinacis ſepulcrum ad viam Tiburtinam in vinea Rondaninorum [f] inventum eſt, hoc titulo inſignitum inuſitato ſane ac ſingulari:

DI-

a *Ibid CCLVII. 4.*
b *De Columm. Antonin. IV.*
c *Hiſt. utriuſque Bell. Dacic.*
d *Diſſert. XXIII.*
e *Capitolin. in Vit.*
f *Fabrett. Ant. Inſcr. V. p. 387.*

DIVOS
PERTINAX
AVG
S . C

Dolendum maxime, magnifico huic titulo ſepulcri elegantiam non reſpondiſſe: in arcula enim marmorea palmaris longitudinis optimi hujus imperatoris cineres ſunt reconditi, cujus infelicitatem Raphael Fabrettus [a] comparat cum barbaro quodam regulo miſerabiliter tumulato. Pertinacis infortunium hiſtoria Juliano tribuit, quo ſaeviente ſenatus non potuit palam exequi decretum ſuum: quare Severus [b] interfecto Juliano cenſorium funus cereae Pertinacis imagini duxit, tum ſolemni ritu in Deorum numero collocavit, id probante argenteo numiſmate ſingulari, in quo DIVVS PERTINAX, & alis expanſis [c] aquila inſiſtens globo.

X. Veterum monumenta pervolventibus apotheoſis eſſe antiquiſſima invenitur. Cur autem haec ſuperſtitio longe lateque, licet diverſis ritibus, percrebuerit, ea potiſſimum cauſa fuit, quod quicquid optimum eſt, divino id munere hominibus impertiri, ex iis notionibus haec una eſt, quam non didicimus, accepimus, legimus, ſed ab ipſa natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus. Singularis praeterea virtus tanti ſemper habita ubique eſt, ut indita fere omnibus perſuaſio fuerit, eademque plurimis quoque linguis ac litteris confirmata, virtutis divina vi immortalia mortalibus copulari, & optimo cuique viro ad gloriam patere aditum nulla unquam aut mutatione temporum, aut rerum viciſſitudine labefactandam,

qua

a *Ibid.*
b *Spartian. in Sever.*
c *Vaillant Tom. II. p. 194. Edit. Rom. 1743.*

qua quidem felicitate cum piorum conſortio [a] perfruenda nihil ſolemne magis apud Platonem. At haec perſuaſio per ſe optima & ex fonte puriſſimo derivata omniumque infixa [b] mentibus, humana accedente infirmitate, tam obſcurata turpiter eſt tamque enormiter depravata, ut ſiquis perfectum habere quidpiam videretur, vel optime de ſua gente meritus, is tanquam Deus ſtulte ac temere ſummis honoribus coleretur. Hinc Aegyptus, hinc Graecia, deinde Italia urbium conditoribus templa, aras, pulvinaria dedicavit; pariter artium inventores Deorum numero [c] adſcripſit, uti Alabandi Alabandum, Tenedi Tenen, Sabini Sabum, Sardi Sardum, Latini Latinum, & alii alios venerati ſunt; eadem quoque ratione habita virorum bello illuſtrium, quare Achilles in Leuce inſula, itemque [d] Spartis, & Braſiis; Agamemnon [e] apud Clazomenios; Ajax [f] Athenis; in Latio Anchiſes [g] & Latinus, quos inter Deos relatos Aeneas voluit, ipſe pariter a poſteris [h] Jovis Indigetis nomine conſecratus. Romae praeter conditorem Romulum, Annam Perpennam ex muliere factam Divam Ovidius [i] memorat: Herilia quoque Romuli conjux apotheoſin conſequuta Horae [k] nomine culta fuit: item Acca Laurentia Romuli nutrix, & Acca Tarrutia, quae populum Romanum heredem inſtituit, & Flora pari in Romanos beneficio inſignis, divinitatis honores habuerunt; ideo duplicia & Accalia & Floralia in Kalendariis memorantur. Deteſtanda haec conſecratio Romae initium habuit a Romulo

a *Auguſtin. Steuch. de Perenni Philoſoph lib X.*
b *Paſſer. in Acheront. V.*
c *Ibidem.*
d *Pauſan. in Lacon.*
e *Idem in Achaic.*
f *Ibid.*
g *Virg. Aen. V.*
h *Liv. I Feſtus ad Oſcillum.*
i *Faſtor. III*
k *Idem Metam. XIV.*

mulo Vrbis conditore, finemque falſo [a] feciſſe dicitur in Romulo Maxentii filio, Vrbis conſervatore, ita nonnullis explicantibus duos illius nummos, quorum in una parte [b] cum aquila alis expanſis in templi vertice legitur AETERNAE MEMORIAE, in altera circa nudum illius caput DIVO ROMVLO NVBIS CONS; quam epigraphen alii interpretantur [c] N*oſtrae* V*r*BIS CONS*ervatori*, alii V mutantes in O [d] legunt NOBI*liſſimo* CONS*uli*. Vtrique perperam. Nam eruditis [e] una omnium probatiſſima explicatio eſt N*oſtrae* V*rbis* BIS CONS*uli*. Cujus urbis? Remenſis ſcilicet in Galliis, non Romanae, ubi non vixit. Age vero conſecrationis ritum non tantum uſque ad Romulum, ſed ad Conſtantium Chlorum, imo ad Diocletianum, Maximianum, & Conſtantinum perveniſſe hiſtoria docet: Chlorus enim, cujus cineres an. D. 1283. inventos fuiſſe ſcribitur ab Eduardo I. Rege, in Anglia conſecratus fuit [f], quo etiam honore Diocletianus [g], & Maximianus affecti ſunt, ac denique Conſtantinus, ut mox conſtabit n. XIX.

XI. Jus decernendae apotheoſeos penes Senatum [h] fuit, quandiu [i] lex vetus tenuit, ſed ſimul aſſenſum populi fuiſſe perneceſſarium ex eo arguitur, quod Antoninus Philoſophus non diviſis in locis, ſed in una eademque ſede [l] a ſenatu populoque propitius Deus fuit publice nuncupatus. Ex lege vetere teſtis aliquis & quidem juratus requirebatur, qui [m] ſe vidiſſe affirmaret in caelum demortui animam aſcendentem. Nam ut nihil dicam de [n] Romulo,

in

a *Paſſer. loc. cit.*
b *P. Baldin. ad Vaillant. T. 1. pag.* 282.
c *Triſtan Comment. Hiſt. T. III. pag.* 469.
d *Noriſ. Diſſert. I. de Num Diocl. & Maxim. c.* 5.
e *Vid. Opus, cui tit.* Scienza delle Medaglie *Vol. II. pag.* 195.
f *Auguſtin. Calmet. Hiſt. Vniv. Sacr. & Prof. Vol. V. Lib. LXI. init.*
g *Euſeb. Hiſt. Eccl. VII.* 10.
h *Alex Neap. Gen. Dier. V.* 4.
i *Euſeb. II. Hiſt. Evangel. Ouzel. ad Minut Fel. in Octav.*
l *Capitol in vit.*
m *Juſtin. II. Apolog.*
n *Liv. I. & Dionyſ. II.*

in Auguſti conſecratione legimus, Numeriano [a] Attico hujus perjurii gratia decies ſeſtertium dono dediſſe Liviam: in Druſillae honorem inventus eſt ſenator Livius Geminius, qui [b] eam in caelum vectam ſe vidiſſe juravit, perniciem ſibi liberiſque ſuis, ſi vanum diceret, imprecatus. Multo Aegyptii laudabilius, quorum reges [c] non ante ſepulcro conditi, quam eorum publice & diligenter expenſa vita: ſi mortuus probe ſe geſſiſſe comperiretur, nullis honoribus carebat, ſi ſecus, indefletus atque inſepultus abjiciebatur. Decernendae vero apotheoſeos auctoritatem olim ſenatus propriam non modo Caeſares, ut paulo ante Macrini exemplo declaratum eſt, ſed aliquando etiam milites ſibi uſurpaverunt: nam Domitianum miles [d] Divum appellavit, ad poenam caedis auctoribus pertinaciſſime expoſtulatis. Quanquam haec poteſtas ex antiquo inſtituto tota ſenatui a ſcriptoribus tribuatur, tamen non ita illius propriam fuiſſe conſtat, ut ab arbitrio non penderet imperatorum, quos opinor ad ſenatum & populum habuiſſe aliquam de conſecrandi laudibus orationem, cujus quidem rei argumentum praebet Pertinacis hiſtoria, ubi Didius tacite reprehenditur, quod poſt funus ampliſſimum nulla de eo verba fecerit neque ad populum neque ad ſenatum. Auguſtis hanc poteſtatem adſcribere videtur Plinius in Panegyrico, in quo conſecrationis adulationem argute irridens adulatorem ſe perhibet plus quam ſervilem: *Dicavit caelo*, inquit, *Tiberius Auguſtum, ſed ut majeſtatis numen induceret: Claudium Nero, ſed ut irrideret: Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum, ſed ille ut Dei filius, hic ut frater videretur: tu ſideribus patrem intuliſti non ad metum civium*

a *Dio LIII.* b *Idem LIX.* c *Diodor. Sicul. lib. I.* d *Suet. Domit.* 23.

civium, non ad contumeliam Numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis .... & ipſe talis es. Si abjecta, ſi ſervilis, ſi putida Plinii adulatio eſt, merito quid dicam neſcio de aſſentatione Valerii Maximi ſic Tiberium in prologo alloquentis: *ceterorum divinitas opinione colligitur, tua praeſenti fide paterno avitoque ſideri par videtur.* Verum, ut dicam quod ſentio, doctiſſimis viris non ſuccenſendum reor, utpote qui ita fortaſſe loquebantur, vel quia imperatoriam amplitudinem divinitatis quamdam in terris eſſe imaginem judicabant, vel quia ſuos principes, quum ad caelum divinis efferre laudibus videbantur, tacite inſectabantur, vel demum quia ſub Deorum nomine heroes intelligebant, & verbo tenus acute indulgebant vulgo, cujus imperitia, qui a cordatis hominibus habebantur heroes, credebat Deos. Etenim prudentes viri ridiculum conſecrationis ritum quanti facerent documento eſt ſapiens Ageſilaus. Quum ſe a Thaſiis inter Divos relatum accepiſſet, illos admonuiſſe fertur, ut, ſi Deos faciendi poteſtatem haberent, prius ſe ipſos, deinde ceteros conſecrarent.

XII. Quibus caeremoniis conſecratio fieret, tametſi multorum [a] ſcriptis jam declaratum ſit, meo tamen ut propoſito inſiſtam, rem breviſſime attingam. Antequam pompa inſtitueretur, ceream demortui imaginem ornatu triumphali ſuper lectum eburneum in regiae veſtibulo proponebant, ubi extructum tribunal ligneum, & aedificium erat undique columnis fultum, ebore auroque ornatum, belluarumque terrae & maris capitibus diſtinctum, quale deſcribit Xiphilinus in Pertinace, ex quo diſcimus hanc

V pom-

a *Flav. Blond. II. de Rom. Triumph. Robortell. II. 33. Guther. de Jur. Man. Lipſ., Kipping., Kirchmann. de fun. Rom.*

pompam multo in dies evaſiſſe ſplendidiorem. Utrinque circa lectum magnam partem diei ſedebant a laeva ſenatores ſub dio, a dextra in porticibus matronae non auro non monilibus collucentes, ſed veſtibus albis exilibuſque indutae luctum funebrem proſequentes, cujus imaginem Juvenali in animo fuiſſe arbitror, quum captatorum dolorem expreſſit in incendio potentioris cujuſpiam domus: neque enim erant, quae illic ſalſe deridet, niſi in Auguſtorum funere uſitata: [a]

Si magna Arcturi cecidit domus, horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia praetor.
Tunc gemimus caſus urbis, tunc odimus ignem.

Nobilis interea puer, quaſi dormiret imperator, pennis pavonis muſcas abigebat, medicis ad lectum quotidie accedentibus, in quo beatulus ad aegroti ſpeciem recumbebat. His ita factis per dies ſeptem continuos, ubi qui jacebat jam videretur extremum obiiſſe diem, tum equeſtris & ſenatorii ordinis nobiliſſimi lectiſſimique juvenes lectum humeris attollebant, ut ſcribit [b] Herodianus, quocum legas velim & Xiphilinum in Pertinace, cujus imago priuſquam efferretur, tranſierunt ante tribunal ſtatuae veterum Romanorum virtute inſignium; deinde ſubjectae huic imperio nationes in ſtatuis aeneis pro cujuſque populi conſuetudine exornatis; ſequutae ſunt etiam ſtatuae virorum, qui aliquo optimarum artium ſtudio floruiſſent: tum varii civium ordines, armatique pedites equiteſque & certatores equi proceſſerunt: munera demum a Principe, a ſenatu, a matronis, civibus & populis certatim largiterque collata pompam auxerunt, quam clauſit altare inauratum ebore ac lapillis indicis pretioſum. Haec poſtquam omnia

a *Sat. III.* 212. b *Lib. IV.*

omnia tranſierunt Severus e roſtris laudationem habuit, quo orante, crebro exclamatum eſt ab omnibus, partim laudantibus Pertinacem, partim lugentibus, ſed multo magis oratione jam ad finem perducta. Denique cunctis flentibus tulere lectum non ſenatorum equitumque liberi, ſed pontifices ac magiſtratus, ſive ordinarii, ſive deſignati, qui deinde lectulum equitibus tradidere. Jure hic a [a] Vignolio Vaillantius emendatur, utpote abſque cauſa exiſtimans [b] ſtatuam illius ceream, qui conſecrandus erat, per circum deferri thenſis in campum martium conſueviſſe. Nam Herodianus *loc. cit.* nullam circi mentionem facit, tantum ait, lectum per viam ſacram delatum in forum vetus, ubi magiſtratus imperium deponebant, additque utrinque gradus fuiſſe quoſdam ad ſcalarum ſimilitudinem extructos, in quibus ex una parte puerorum, ex alia puellarum chorus ex nobiliſſimis & patriciis in demortui honorem hymnos paeanaſque verendo ac lamentabili carmine modulabatur; *quibus peractis tollunt*, inquit Herodianus, *iterum lectum, atque extra urbem in campum martium deferunt*. Itaque neque per circum, ſed per viam ſacram, neque thenſis, ſed humeris lectus ad rogum deferebatur.

XIII. Pyra, quae auro & ebore, ac nonnunquam etiam ſtatuis circumfulgebat, haud raro apparet in Divorum Divarumque nummis, ut in D. [c] Antonini Pii, in [d] Severi, in [e] Caracallae cum epigraphe conſueta CONSECRATIO. Rogus ornatiſſimus eſt in Salonini [f] numiſmate primae formae rariſſimo: in Fauſtinae nummo rogi ima pars in latum protenditur octo columellis ornata, & duobus [g] aliis tabulatis, extatque in vertice quadriga,

V 2 quae

a *De Columm. Antonin. VIII.*
b *Tom II. Numiſm. Imp. Rom.*
c *Idem p. 75. Tom. I.*
d *Ibid p.* 112.
e *pag.* 122.
f *pag* 189.
g *pag.* 81.

quae ſaepe eſt obvia in numiſmatibus apud Vaillantium & Auguſtinum. Poſt conjecta in rogum munera, cerea conſecrandi imago ſuper rogi verticem ferebatur, eamque propinqui oſculabantur: deinde imperator in tribunal, ſenatus in tabulata conſcendebat, magiſtratus & equites eo ſedebant ordine, quem cujuſque dignitas poſtulabat. Interea equites peditesque conficiebant curſus urbanos & confictos, de quibus agendum in IV. diſſertatione; iis peractis rogus incendebatur, unde aquila evolabat, immortalitatis index ac ſymbolum divinitatis. Quae Capitolinus, Spartianus, Dio & alii verbis perſequuntur, eadem marmore inſculpta ante oculos ponit arcus Titi imp., ubi toto in peryſtilio frontis orientalis apparent victimarii, flamines, arae lectuſque cum imperatoris imagine accumbentis: utrinque ſub fornice Titus ipſe in quadriga triumphali; a tergo palmam Idumaeam victoria gerit altera manu, & lauream altera ſuſtinet ſuper ejus caput: Roma equorum habenas regit haſta inſignis & galea: duodecim quoque lictores adſunt magiſtratibus laureatis ferentibuſque ramos. In oppoſito peryſtilio inſculpta cernitur triumphi pompa, duo praeſertim fercula, & menſa aurea, ac ſeptiluſtre candelabrum inter laureatos. In medio denique arcus fornice videtur aquila conſecrationis index, cujus in conſpectu Nardinum *Antiq. Rom. III.* 13. dubitare non decuit, vivone, an mortuo Tito hic arcus erectus fuerit, in quo ejuſdem apotheoſis cernitur in triumphi morem delineata. Nam eodem in arcu, qua metam ſudantem reſpicit, haec eſt inſcr.

SENATVS . POPVLVSQVE . ROMANVS
DIVO . TITO . DIVI . VESPASIANI . F
VESPASIANO . AVGVSTO

Divi

Divi titulum ſolis mortuis conſecratiſque imperatoribus, ſi nonnullos exceperis, mox patebit olim fuiſſe in nummis ac lapidibus attributum. Ad eundem hunc arcum L. Faunus [a] aliam quoque, ubi nulla fit Divi mentio, inſcriptionem ſpectare putat, quae ubi ſteterit, ignoratur, quamque vult Scaliger [b] ab Onufrio confictam.

XIV. Quod dixi Auguſtos fuiſſe poſt mortem duntaxat divorum numero adſcriptos, hoc intelligas velim de Romanorum, non de Graecorum ritu: hi enim vivos etiam ac ſuperſtites conſecrabant, ſicut de Platone [c] legimus & de Ageſilao: ſecus Romani, qui nonniſi completo vitae curſu Auguſtorum Auguſtarumque apotheoſin celebravere, quemadmodum in commentario de Columna Antonini Joannes Vignolius docet contra Angelonium in hiſtoria Auguſta, cujus nummos inſimulat dubiae fidei nulliuſque ponderis ad ſtatuendum, imperatores adhuc ſuperſtites fuiſſe Romae in Divorum ordine collocatos. Nam hoc praenomen pro infauſto mortis omine apud Quirites accipiebatur. Cujus quidem rei dat inſigne prae ceteris argumentum Tacitus: *reperio*, inquit, *in* [d] *commentariis Senatus Cerialem Anicium conſulem deſignatum pro ſententia dixiſſe, ut templum DIVO Neroni quammaturrime publica pecunia poneretur: quod quidem ille decernebat, tanquam mortale faſtigium egreſſo, & venerationem hominum merito, quod ad omina olim ſui exitus verteretur. Nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines deſierit*. Huc ſpectat notiſſima Veſpaſiani vox extremo urgente morbo *ut puto* DEVS FIO. Iterum & meminiſſe oportet, quod Caracal-

a *Antiq. Rom. II. 20.*
b *Grut. p. CCXLIV.*
c *Alex. Neap. loc. cit. VI. 4.*
d *Annal. XV.*

racalla de fratre dixit, *ſit Divus dum non ſit vivus*. Praeterea Servius [a] inter Deos & Divos duplex hoc diſcrimen ſtatuit, quod Dii ſint perpetui, Divi ex hominibus facti, deinde quod Divi dicti fuerint, *quaſi qui diem obierint*. Palmare demum hoc argumentum accipe. Quum ex inſcriptione [b] ad Caeſaris Aug. ſtatuam prima nominis littera ictu fulminis effluxiſſet, reſponſum eſt, imperatorem centum ſolos dies poſthac victurum, quod hunc numerum littera C notaret, ac poſtea inter Deos referendum: nam AESAR reliqua pars nominis Etruſca lingua vocabatur Deus. Divini ergo honores, ac Divi praenomen Caeſarum nemini decreto publico ante interitum addicebantur. Excipe Trajanum Trajani imp. patrem, qui tametſi privatus fuerit nec conſecratus, tamen DIVVS cum Nerva [c] dicitur in nummo Mediceo. Nam Trajanus imperator, ut pater ſub Domitiano mortuus inter Divos collocaretur, a ſenatu poſtulavit, extatque nummus aureus idemque rariſſimus cum capite Trajani patris [d] & epigr. DIVVS PATER TRAIANVS. Fauſtinam Antonini Pii uxorem, dum adhuc viveret conſecratam exiſtimat Angelonius, numiſmatum, ubi DIVA inſcribitur, multitudine deceptus: non enim vir doctiſſimus obſervavit, quum hanc Pius anno imperii [e] tertio amiſiſſet, in hujus gratiam ſenatum illius conſecrationem decreviſſe, & in ejuſdem memoriam, quoad imperator vixit, numiſmata cuſa eſſe complura. Ac veluti Angelonius Liviae [f] Auguſtae, & Fauſtinae, ſic hujus filiae Stephanus Zamoſius [g] adhuc ſuperſtiti fruſtra conſecrationem

a *Aeneid. V & Iſidor. in Gloſſ.*
b *Svet. Aug. 97.*
c *Vignol loc. cit V.*
d *Vaill. Tom. II. p. 119. de Num. Aur. & Arg.*
e *Capitol. in Anton.*
f *In Liviae num. 18.*
g *Analect lapid. Daciae in Comment. de Rep. Rom. Wolfang. Laz.*

nem tribuit. Licet enim concedatur, non eſſe ſpuria nonnulla marmora ac numiſmata, ex quibus contraria huic ſententia deduci poſſe videatur, in iis tamen tot allata teſtimonia privatam tantum Graecorum more adulationem recognoſci jubent, non Romanas leges nec ſenatus auctoritatem [a].

XV. At enim probatae hactenus opinioni illud opponet aliquis, quod imperatorum adhuc viventium imagines colerentur [b] & ad eorum ſtatuas ſacra fierent. Caeſarum quippe imagines inter Deos collocabantur exemplo Julii, quem in templo Quirini ſtatuam ſuam Salutis ſimulacro proximam poſuiſſe quum ab Attico accepiſſet. Cicero, ei acute [c] reſpondit, eum Quirino potius, quam Saluti conjungendum: nimirum de caede Romuli cogitabat. Eodem Julio praeeunte reliqui Caeſares in domo ſua faſtigium, Divinitatis [d] inſigne, habuerunt, cujus in tympano mos erat Deorum nomina annotare. Inter Taciti, & Floriani fatalia mortis omina hoc refertur, quod Apollinis [e] ſimulacrum e faſtigio delapſum, & in lectulo poſitum ſine cujuſquam manu ſit deprehenſum. Auguſtus fuſo Sexto Pompejo oppidatim inter Deos [f] tutelares eſt conſecratus, & dictus paſſim Deus apud poetas, quorum princeps cecinit: *Deus nobis haec* [g] *otia fecit. namque erit ille mihi ſemper Deus*. Idem fuſo ad Actium Antonio templa ubique [h] meruit, adeo ut in Diſſert. de numiſmate Auguſti, & Platonis Carolus Patinus ſe neſcire aſſerat, an Deorum ulli tot tantique honores habiti fue-

a *Ezech. Spanhem: Diſſ. V. de Praeſt. & uſu Num.*
b *Svet. Tib. 65. & Dio LVIII.*
c *Epiſt ad Att. XII. 15.*
d *In Lexic. Vitruv. Faſtigium.*
e *Vopiſc. in Florian.*
f *Appian. V. Civil.*
g *Eclog. I.*
h *Svet. in vit. 52.*

fuerint. Is vero tametſi non ignoraret vel ipſis proconſulibus aras decerni ſolere, in nulla tamen provincia niſi ſuo Romaeque nomine recepit, nec *Dominum* a Senatu audire voluit, ut Dei cognomen, ſeu potius ſynonymum. Contra vero Domitianus [a], & [b] Carus, & Aurelianus Zenobiae victor ſe Deos & Dominos nuncuparunt in marmoribus ac numiſmatibus, quorum unum ſeligo raritate & elegantia ſingularem, in quo [c] caput imperatoris laureatum cum inſcr. DEO ET DOMINO NATO AVRELIANO, & in averſa parte mulier ſtolata eidem coronam porrigit cum epigr. RESTITV. ORBIS. Brevitati ut inſerviam in re notiſſima, viventes adhuc Auguſti ſibi inſignia Numinum fere omnia arrogarunt. Exemplo ſit Commodus, qui apud Rodulphinum Venutum [d] in achate ſardonyco elegantiſſime inſculptus laurea pariter & radiata corona fulget, eó ferme modo, quo Hercules populeam radiatamque coronam habet in gemma [e] muſei Florentini. Hujuſmodi vero honores inter vivos Auguſtis dati, utpote vel eorum arrogantiae, vel privatae adulationi, non decreto civitatis ac ſenatus publico tribuendi, minime impedimento ſunt, quo minus Caeſares poſt mortem tantum Deorum ordinibus adſcriberentur. Nonnulli enim, ac praeſertim [f] Domitianus, qui ſe Deum ac Dominum nuncupaverat, vita functus inter impios eſt numeratus. Divini ergo honores viventibus habiti praeſens duntaxat tempus reſpiciebant, ſolemnis vero conſecratio poſteritatem, quare Tacitus [g] templum Divis omnibus dedicavit, ubi & natalibus ſuis, & parilibus, & kalendis

a *Suet in Vit.*
b *Spanhem loc. cit p. 729.*
c *Append. ad Vaillant. p. 215.*
d *Collect. Ant. Rom. LXVII. 47.*
e *Tom I. Tab XXXIX. num. 3.*
f *Eutrop VII.*
g *Vopiſc. in vit. Tacit.*

dis Januarii, & in votis publicis libamina ponerentur. Quoquo modo antiquitatis dementia ſuperſtites adhuc principes adularetur, eos tamen poſt mortem tantum ad omnem poſteritatis memoriam conſecrabat, utpote in caelum vectos & caeleſtibus adnumeratos, iccirco Horatius [a] ſic juvenem Octavianum palmat:

Serus in caelum redeas, diuque
Laetus interſis populo Quirini
Neve te noſtris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat: hic ames potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps.

XVI. Quod hactenus de Auguſtorum levitate diximus, idem & de Auguſtarum impotentia ſentiendum eſt. Hae quippe omnes dum adhuc viverent divinos quoque honores affectando, ſe venerandas ſub Dearum ſymbolis venditabant. Nam ut Auguſtus Jovis, ſic ſtolatus [b] Ulyſſes, nempe Livia Junonis habitu culta eſt:

Adjecere ſacrum, fieret quo Livia Juno;

ut ait Prudentius [c], & ante Prudentium Ovidius:

Quum tibi contigerit vultum Junonis adire.

Eadem apud nummographos ornata occurrit Salutis, Pietatis, Juſtitiae ſymbolis, & Vaillantius [d] inſcriptos habet nummos ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΩΝ, & ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ, cujus & ſtatua inter Borianas ex aere [e] elegantiſſima cum oculis & roſis in tutulo argenteis juvenilem adhuc ſpeciem praeſefert. Quum autem e vivis ceſſerit vel anno LXXXVI. ut ſcribit Dio, vel uti Plinius LXXXII., ideo eruditorum

X opi-

a *Od. I. 2.*
b *Svet. in Calig.*
c *Contra Symmach. I.*
d *Num. Graec. pag. 6. 7. Bonarrot. Num. Carpin. pag. 72. 73.*
e *Rodulphin Venut loc. cit. Tab. XV.* 12. vid. *Eq. Maff. Tom. I. Tab. XIII.*

opinio eſt, ex quo in Auguſti familiam nomenque tranſiit, ac GENITRIX ORBIS [a] dicta, velum ac diadema divinitatis inſignia accepiſſe. Antoniam forma & [b] pudicitia ſpectatiſſimam, cujus nummi ſunt obvii tam Latini, quam Graeci, Gorlaeus in ſua dactyliotheca, & Angelonius ſub Cereris effigie produnt. Agrippina Claudii, quae prima inter Auguſtas aereos nummos [c] a ſenatu obtinuit, perſaepe Cereris, Veneriſque, ſaepius Palladis inſignia [d] gerit. Caligula in ſuo numiſmate [e] tres cudi ſorores juſſit Dearum habitu ſingulas cum cornucopiae, Agrippinam ſpecie Conſtantiae, Juliam Fortunae, Druſillam Concordiae: & haec poſtrema a Cajo conſecrata *Panthea* [f] *vocata eſt, & divinis honoribus per omnes provincias culta*. Domitia Domitiani conjuratione [g] & repudio nota in capite & calatho ſpicas [h] praefert Cereris ornamenta, quibus & Lucilla M. Aurelii primogenita [i] & omnes fere principes Romanae in numiſmatibus decorantur. Currus leonibus tractus, & corona turrita [k] Berecynthiam deſignat in Pompeja Plotina Trajani uxore, quam Hadrianus mortuam [l] per novem dies atratus luxit, & cui ſuperſtiti baſilicam Nemauſi, & extinctae templum in urbe dicari voluit. Inclyta enim, ſi quae alia, haec Auguſta fuit, cui nihil addidit imperii magnitudo: talem enim ſe regnum ingredi exclamavit, qualem ſe egredi optabat. Sed Auguſtas, dum adhuc inter mortales agerent,

Dea-

a *Angelon: Num: Liv: & Eq: Maff. de Stat.*
b *Valer. Max. IV. 3.*
c *Vaill. Tom. I. Imp. Rom. p. 20.*
d *Idem Num. Graec. p. 15*
e *Laevin: Ulz. Num. 4. & Vaill. loc. cit p. 17.*
f *Dio LIX.*
g *Idem LXVII.*
h *Rodulphin. Venut. loc. cit. LXV. 46.*
i *Vaillant. Tom II. de Num. Aur. & Arg. Imp. Rom. p 180*
k *Bonarrot Num. Carp Tab. I & Gorl. Dactyl Tom. I Num. 211. & in Praefat*
l *Dio LXIX. & Spartian. in Hadrian.*

Dearum inſignia uſurpaviſſe, res enimvero eſt multo clarior, quam longa egeat demonſtratione. Nihil enim apud nummographos magis tritum invenies, quam Junonem reginam, Veſtam, Venerem, ac in primis Pudicitiam in Auguſtarum nummis repraeſentatas. Hujuſmodi vero inſignibus ſolemnem earundem conſecrationem evinci non poſſe hinc probe conſtat, quod & Antonia Caligulae avia, & Agrippina Neronis mater, & aliae Auguſtae, licet viventes adhuc prope Dearum ritu fuerint honoratae, Apotheoſi tamen poſt obitum caruerunt: quin etiam Liviae honores poſt ejus interitum Tiberius [a] per invidiam imminuit, ac eam vetuit conſecrari, quaſi id ipſa mandaſſet.

XVII. Itaque, ne quis error obrepat, operae pretium erit, certas conſecrationis notas ope numiſmatum adſignare. Triplici typo in nummis exprimitur Apotheoſis, aquila, vel pavone, rogo, & ara ignita cum trita illa epigraphe CONSECRATIO. Nigrinianus, de cujus vita rebuſque geſtis hiſtoria tacet, triplici hoc typo conſecratus oſtenditur: nam rogus in [b] auro cernitur, aquila in argento, ara in aere. De rogo ſatis ea ſunt, quae admonui numero XII. Ara cum igne accenſo & conſueta epigraphe CONS. tum alibi fit ſaepe obvia, tum clariſſime in variis Divorum nummis Gallieni juſſu reſtitutis, qui ab aliis [c] octo, ab aliis tres & [d] viginti, ſed duodecim numerantur a P. Baldino Congregationis Somaſchae Praepoſito Generali, cui reſpub. litteraria acceptum refert Joannem Vaillantium utiliſſimis additamentis & appendicibus [e] illuſtratum. Quandoque aram invenies cum aquila copulatam, ut in nummo Galer. Valerii

 Ma-

a *Svet. in Tib. 51.*
b *Append. ad Num. Praeſt. Vaillant. p. 48.*
c *P. Bandur. tit. I. Numiſm. Imp.*
d *Muſ. D. Abbat. de Rothelin.*
e *Edit. prim. Romae 1743.*

Maximiani, qui aram quadratam exhibet ignitamque, ramo ad mediam aram utrinque adpoſito, cui inſiſtit aquila roſtro coronam geſtans. Aquila conſecrationis index alis expanſis nunc cippo inſiſtit, ut in Severi; nunc ſcipioni, ut in Matidiae; nunc a fronte conſpicitur, ut in M. Aurel. Cari, & Numeriani; nunc dextrorſum converſa, ut in M. Aurel. Claudii; ſaepiſſime inſidet globo, ut in Hadriani, Pertinacis, Caracallae, aliorumque nummis. Apotheoſin quoque deſignat aquila in templi vertice, vel roſtro coronam geſtans, ac praeſertim animam in caelum transferens, quo typo nullus extat in Divorum numiſmatibus uſitatior. Eadem haec conſecratorum in caelum vectrix ſceptri ſummitatem in nummis quandoque tenet, ad Romani imperii majeſtatem felicemque vitae diuturnitatem ſignificandam. Sceptrum enim eſt regni ſymbolum, aquila [a] aeternitatis. Hic vero typus admodum incertus eſt. Sceptrum quippe quum conſulum, triumphantium, ac regum praeſertim & Caeſarum inſigne eſſet, ideo aquila aeternitatis ſymbolum, ſi ſceptro inſiſtat, imperii potius, quam imperatoris immortalitatem deſignat. Ethnicorum caecitas tametſi Divorum animas ſomniaret aquilae miniſterio in caelum vehi, tamen in Antonini & Fauſtinae ſtylobata celeberrimo eorum animas aquila comitatur, quas ſideribus infert venuſtus alatuſque juvenis, mundi [b] Genius, propter impoſitum mundi typum, ſphaeram videlicet diſtinctam ſtellis, ingentemque globum, cui tortuoſus adhaeret ſerpens mundi animam [c] repraeſentans. Nonnunquam pro aquila, ut in Maximiani nummo, leo gradiens cum ridicula conſecrationis epigraphe copula-

a *Pauſan. in Eliac. I. & S. Aug. de C. D. IV. 9.*

b *Vignol. de Columna. Anton V.*

c *Pier. Valerian. XIV. 1.*

pulatur. Interdum quoque in gemmis Divus, aut Diva in caelum vehitur a pegaſo, ut ille juvenis fortaſſe [a] Marcellus in achate Pariſienſi, aut alis victoriae, veluti Fauſtina minor, aut ventorum, Geniorumve amplexu, uti Romulus in Dittico Bonarroti opera illuſtrato. Olaus Borrichius [b] novum memorat femineae conſecrationis ſchema ſpectatum Romae, nempe mulierem dorſo inſidentem anſeris, cui pedes inerant aquilini: ſacri enim anſeres in ſacello Junonis nutriebantur, quin & quotannis in pompa ob memoriam ſervati ab Gallorum impetu capitolii, lecticae ſplendidae inſidens anſer inter pretioſa ſtragula geſtabatur. Singularem quoque virilis apotheoſeos genus idem auctor tradit, virum nempe aquilae inſidentem, qui curru penſili vehebatur quatuor equis alatis omnibus: adſtabat ante currum in nube ſublimis Jupiter, quaſi ſacram animam excepturus. Quae Neapoli ornat regiam pinacothecam, pretioſiſſima patera ritum huic haud abſimilem doctorum judicio deſignat, nimirum Alexandri Magni [c], vel Ptolomaei Auletis, aut privati alicujus apotheoſin. Privatis enim hominibus hunc honorem [d] vetus ſuperſtitio privatim dabat, de qua prolixe alibi dicendum erit. In Julio, Auguſto, & Domitiano infante ſidera pro Divinitatis inſignibus adhibentur. Nummus aureus & praeclariſſimus & rariſſimus [e] ſtellam exhibet, de qua Svetonius [f], pone caput Julii laureatum. Caligula in Auguſti proavi memoriam nummos cudit argenteos, in quibus [g] caput ejus nudum, & Auguſti radiatum cum ſtellis

a *Marcb. Scip. Maff. Obſerv litt. Tom. III pag. 249.*

b *De Antiq Urb. Rom. Facie XVI.*

c *Idem Maff loc. cit.*

d *Vid. Bonarrot. Tab. XXX. de Vitr. Coemeter.*

e *P. Baldin. ad Num. Imp. Rom. praeſt. Tom. II.*

f *Svet. Jul. 88*

g *P. Baldin loc. cit. pag. 49.*

lis modo duabus, modo ſeptem: duae Druſum, & Germanicum denotant, ſeptem Druſum, & Germanicum, & quinque ejus fratres, niſi mavis Auguſtum in Arctoo [a] ſidere collocatum. Domitianus, qui Titum delicias humani generis nullo praeterquam conſecrationis honore proſequutus [b] eſt, in filii memoriam nummos cudit argenteos, in quibus infans globo inſidens coruſcat [c] ſeptem Arcti ſideribus, eodemque aeternitatis ſymbolo idem infans in nummo eſt argenteo [d] Domitiae matris.

XVIII. Divinitatis haec ſymbola occaſionem adulatoribus offerebant illud libere praedicandi, Auguſtos ſcilicet mortali hac vita functos ad Deos tranſiiſſe, eorum ut vices gererent in lunae, aut ſiderum pretioſo lumine, quod mundum efficit ſpecioſiſſimum, benefice mortalibus diſpertiendo. Valerius Flaccus [e], Proculus [f], Syneſius [g], Macrobius [h] & alii harum ſuperſtitionum originem Aſſyriis tribuunt & Chaldaeis, quos *cognitione aſtrorum, ſolertiaque ingeniorum antecelluiſſe* affirmat [i] Cicero, praeceptore uſos principe Zoroaſtre, deinde Belo, cui Semiramis filia, octingentis annis [k] bello Trojano antiquior, templum aedificavit, ex cujus vertice [l] ſidera viderentur. Aſſyriorum ſtudia aemulata eſt Aegyptus non tam *mater* [m] *artium*, quam errorum, auctore in primis Mercurio, ſeu Triſmegiſtro [n], ex cujus duabus [o] columnis innumeriſque [p] voluminibus plurima accepiſſe dicuntur Pytha-

a *Manil. lib. I.*
b *Svet. Domit. 2.*
c *Baldin. ad Vaill. loc. cit. p.* 104.
d *Idem p.* 111.
e *Lib. III.*
f *De Anima & Daemone.*
g *De inſomniis.*
h *De ſomn. Scip.*
i *De Divin. I.* 41. *Strab.* 12. & 15.
k *Ex Burn Archaeol. I* 9.
l *Diodor Sic. II.*
m *Macrob. Saturn. I.* 15. & *in Somn. I* 21.
n *Euſeb. in Praep. & Huet. Demonſtr. Evang Prop. IV.* 8.
o *Procul. in Plat.*
p *Plin. H. N. VII.* 56.

thagorica, Platonica, Stoica, ceteraeque philoſophorum ſectae [a], quae tametſi de animarum origine maxime diſſentirent, in hoc [b] tamen omnes conveniſſe videntur, quod nempe animae ſemper ſuo Genio comite ac duce a ſimplici prima origine in ſidus aliquod naturae ſuae maxime conſentaneum delaberentur, ibique primam ſpeciem imaginemque aſſumerent, ſeu caeleſte vehiculum *idoli* nomine nuncupatum, tum in aerem delatae ſecundam illinc ſpeciem mutuarentur, ac demum tertiam in elementis nactae hanc vitam viverent, quae corpore & ſpiritu continetur. Confecto autem mortalis hoc vitae curſu, tum corporeis ſolutae vinculis in altum quaſi e quodam carcere avolabant, deponenteſque in aere vehiculum inde aſſumtum inter Genios heroum paululum commoratae, ad planetam, ſive daemonem, unde venerant, aſcendebant, atque illic caeleſte vehiculum relinquentes ad ſuam originem nudae ac ſimplices remeabant. Quibuſcunque planetis ſideribuſque praeter Genium principem, penes quem ſui cuſtodia ſideris ac moderatio eſſet, magnam praeterea Geniorum ordinis inferioris turbam mythologi tribuebant. Non una vero inter auctores opinio eſt in ſede animarum certa ac ſtabili deſignanda. Hanc enim alii [c] ſomniarunt fuiſſe ſitam in aere montium puriore pariter ac ſublimiore, quare in montibus olim heroum corpora ſepeliebantur: alii, quibus Lucanus [d] favet, ubi magnam Pompeji animam admiratur, in orbe lunae collocaverunt: alii in aethere, quibus apud Dionyſium [e] Veturia adhaeret: denique nihil certi ſtatuentes alii duntaxat deſcribunt ani-

a *Jambl. apud Euſeb. in Chron. & de Miſt. Sect. I. 2.*

b *Bonarrot. de Num. major. mod. p. 42. & ſeqq.*

c *Martian. Capell. lib. II.*

d *Lib. IX*

e *Dionyſ Halicarn. VIII.*

animas ad ſidera redeuntes. Ex hac doctrina conſuevere artifices ornamenta deſumere, quae in lapidibus, in numiſmatibus, in cimeliis varias de ſtatu animae poſt hominis interitum opiniones ante oculos ponunt, unde varia divorum divarumque parerga facile intelliguntur [a].

XIX. Alia conſecrationis nota, ſed inconſtans admodum & incerta eſt Divorum caput nunc radiatum, nunc nudum penitus, nunc velatum. Caeſaribus in Deos relatis ornamenta Deorum propria, puta radios, aſtra, fulmina, & alia id genus fuiſſe tradita, ne in re notiſſima, verbis utar, Lucanus edocet: [b]

Bella pares ſuperis facient civilia Divos,
Fulminibus manes radiiſque ornabit & aſtris.

Primi ergo Caeſares conſecrati ſaepe coronam in nummis habent Deorum [c] propriam, videlicet radiatam. Neque hoc tam peculiare Divinitatis parergon fuit, ut nunquam omitteretur; contra enim clamant in numiſmatibus capita laureata. Poſtquam vero ritu a regibus orientalibus [d] mutuato primus omnium Nero radiatam coronam in uſu habuit, eandemque hujus exemplo adhuc in vivis nonnulli Caeſares uſurparunt, tum reliqui poſt Apotheoſin imperatores ſine ullo capitis ornatu efficti ſunt, ſicut Nervae, Trajani, Hadriani, Antonini Pii, Marci, Lucii, aliorumque numiſmata perſpicue oſtendunt. At Paterculus [e] ubi Scipionem narrat elatum velato capite, rem notat veluti inuſitatam. Omnes enim Romani efferri nudato capite conſueverunt. Videtur ergo mortem potius imperatoris, quam conſecrationem [f] nudato capite deſignari.

a *Lactant. VI.*
b *Lib. VII.*
c *Svet. Aug. 94.*
d *Bonarrot. ad Num. Carpin p. 177. & 179.*
e *Lib. II. 4.*
f *Vignol. loc. cit.*

gnari. Et jure quidem Spartianus in [a] hanc ſententiam citatur in Hadriani vita, cujus inter cetera vicinae mortis praenuncia hoc primum refert, quod praetexta ſponte delapſa Antoninum publice commendanti caput nudaverit. Itaque ſi conſecrationis indicium non eſt nudum caput, reliquum eſt exquirere, an ſit velatum? Gisbertus Cuperus, & Rubenius excellenti ac recondita eruditione viri velum in nummis ſumunt pro certo Apotheoſeos argumento: Gorius quoque in Thuſcorum ſepulcris [b] velata mortuorum capita, tanquam divinitatis jam impetratae indicia exiſtimans, Etruſcum hunc morem generatim putat ad Caeſares traducendum. Sed Vignolii ſententia [c] eſt ad veritatem conducibilior. Laudat enim Goltzii & Urſini numiſma, in quo Caeſar velatus quidem conſpicitur, ſed vel Augur inſcriptus, vel Pontifex Max. expreſſis etiam inibi pontificalibus inſtrumentis: Caeſarum praeterea nummos apud Choulium [d] commemorat bene multos, ubi nullus eſt imperator operto capite, niſi ſacrificans, licet Deorum numero jam adſcriptus: apud Rubenium denique Auguſti gemmam conſiderat, in qua pars eſt capitis poſterior tecta, ſed lituum ſiniſtra tenet. Concludit igitur uſque ad Conſtantinum Chlorum & reliquos imperatores, velum capiti impoſitum interpretandum eſſe pro ſacerdotii nota, non vero divinitatis. Aevo poſteriore cum velo effingi Caeſares conſueviſſe jam conſecratos, ceteris omiſſis, nummus aereus apud Baronium docet Conſtantini [e] Magni: altera enim pars optimum imperatorem reddit capite obvolutum, altera eundem quadrigae inſidentem, quem deſuper demiſſa manus in caelum

Y ex-

a *Spart. in Hadr. 26.*
b *Muſ. Etr. Tom III Diſſ. III p. 175.*
c *De Colum. Anton. ibid.*
d *De Vet Rom. Rep. p. 188. & ſeqq.*
e *An. 337. num. XIX.*

excipit, cujuſmodi ſane typus nullo eſt in numiſmate Caeſarum a ſenatu inter Divos more patrio relatorum. Et quanquam Eccleſiaſticae hiſtoriae parens eminentiſſimus diſerte docteque probat, hunc nummum a Chriſtiana religione minime abhorrere: non eſt tamen alienus ab opinione, quod inibi ejuſdem denotetur apotheoſis. Nam vere auguſtus ille imperator ſicut Ethnicorum pariter & Chriſtianorum in ore, in oculis perpetuo fuit, ſic poſt mortem ab aliis in Divorum, auctore [a] Eutropio, ab aliis in Sanctorum numerum relatus eſt, ideoque in Eccleſiaſticis Graecorum tabulis natalitia ejus dies anniverſaria celebratur. [b]

XX. Conſecrationis notae Auguſtarum propriae in numiſmatibus ac lapidibus hae ſunt praeſertim duae, velum capiti impoſitum, & pavo cum ſolita epigr. CONSECRATIO. Quamvis enim marmora nummique non ſemper Auguſtarum capita poſt apotheoſin velata oſtendant; velum tamen pro certo divini honoris argumento ſumitur, quia nulla earum, niſi inter Deas relata capite operto cernitur, exceptis Livia Auguſti, Antonia Caligulae avia, & Agrippina Neronis matre, quarum prima, cur divinitatis inſignibus exornetur, cauſa jam ſuperius allata eſt, reliquae duae velatae occurrunt, quod alteri [c] omnia Veſtalium decora data ſint, altera exemplo Liviae Claudii viri ſui [d] ſacerdos fuerit. Alia conſecrationis nota eſt pavo nunc cauda expanſa, nunc [e] animae in caelum vectrix, ut in Juliae Sept. Severi, in Juliae Maeſae, in Paulinae, Plotinae, Sabinae, ac Marinianae, quae a Sapore Perſarum rege cum Valeriano capta in

a *Eutrop. lib. X.*
b *Baron. ibid. num. XX.*
c *Dio LIX.*
d *Tacit. Ann. XIII.*
e *Vid. multa apud Sambuc. in fine Problem.*

in vinculis obiit. Licet pavo interdum concordiae conjugalis, ut in Domitiae aliarumque nummis indicium ſit, plerunque tamen ſolemne eſt ſymbolum divinitatis, & in Auguſtarum conſecratione multo olim ſaepius, quam aquilam, fuiſſe adhibitum, Pierii [a] Valeriani ac recentiorum aliquot [b] contra Kirchmannum [c] opinio eſt. Elegantiſſimum Auguſtae rogum in carneola videſis apud Rodulphinum Venutum, in quo rogo [d] adſtant utrinque ad latera pavones duo, & ipſius in rogi vertice ſol ac luna, apotheoſeos argumentum, ſeu caeli indicium, ubi conſecratos regnare ac vivere veterum ſuperſtitio, vel potius adulatio fabulabatur. Pavones quoque ad elegantiam, non ethnicorum more ad ſepulcra feminarum principum Chriſtiani veteres apponebant, uti apud Boldettum in marmore ſepulcrali, opere anaglyptico; duos praeterea pavones in Vaticani Pontificio viridario Honorii & Mariae uxoris ſepulcrum exornaviſſe Nardinus [e] tradit. Aliis etiam typis Auguſtarum conſecratio deſignabatur, ſed ii qualeſcunque demum eſſent, ſemper ex ſupradictis notis aliquam, aut multas pariter continebant, nempe Divae praenomen, aeternitatis epigraphen, caput velatum, ac pavonem, vel aquilam, aut pro avium alterutra Genium, qui animae in caelum aſcendenti facem praeferret, qualis extat in Fauſtinae nummo cum lunula in capite, facem alatus geſtans utraque manu, cum epigr. CONSECRATIO. S.C. Hoc videre licet in ſtylobate columnae Antonini Pii in foro *citatorio*, & in anaglyptico opere, jam ad triumphalem arcum M. Aurelii, & L. Veri ad viam Latam, modo in primo ſcalarum ordine muſei Capitolini.

a *Hieroglyph XIX.*
b *Vignol. loc. cit.*
c *De Fun. Rom. IV. cap. ult.*
d *In Collect. Ant. R. LXIX.*
e *Ant. Rom. VII. 13.*

ni. Hactenus enumerata inſignia quicunque Auguſti, vel Auguſtae haberent, Dii Indigetes [a] vocabantur, de quibus Heſiodus cecinit:

Indigetes Divi fato ſummi Jovis hi ſunt:
Quondam homines, modo cum ſuperis humana tuentes,
Largi ac munifici, jus regum nunc quoque nacti.

XXI. Jam videtur & quidpiam me dicere de Divorum praenomine oportere, quo quidem ſolo perſaepe Julius deſignatur, utpote Divus per excellentiam nuncupatus, quare Petronius:

Quid porro tu, Dive, tuis cunctaris in armis?

Quum enim antea nullus Caeſarum inter Deos relatus eſſet, nulla neceſſitas adſcribendi nominis apparebat, quod vix Boiſſardum fugiſſe credo ſumma cum laude in antiquitate verſatum, qui ad quandam inſcr. ubi legitur IMP. CAES. DIVI .. FIL. AVGVSTO fruſtra *Julii* [b] nomen adjungendum putat. Graeci ſcriptores vocem Ἥρως uſurpabant in appellandis iis, qui per apotheoſin in Deorum numerum translati fuerant, propterea Dio [c] & Julium, & Auguſtum poſt mortem heroes nuncupat, & Silenus apud Julianum *de Caeſar.* accuſat M. Aurelium, quod impudicam Fauſtinam Ἡρωΐναις adſcripſerit. Iidem vero Graeci tametſi Auguſtos & Auguſtas poſt mortem heroes, vel heroinas nuncuparent, in nummis tamen tam anxie Romanorum moribus indulgebant, ut ſemper Deorum, perraro heroum titulo uterentur; ideo inter rariſſimos ac ſingulares numeratur nummus ille Hadriani ab Antonio Gallandio [d] Smyrnae inſpectus cum epigr. ΗΡΩΑ ΑΔΡΙΑΝΟΝ. Antinoi vero nummi cum epigraphe ΗΡΩΣ. ΑΝΤΙΝΟΟΣ. plures

a *Alex. Neap. Gen. Dier. VI. 4.*
b *Tom. VI. 28.*
c *Lib. LI. & LVI.*
d *Galland. Diſſert. de Num. Panth. p. 26.*

plures habentur inter numiſmata maximi moduli Bibliothecae [a] Vaticanae, & in muſeis Piſano, Theupolo, Mauroceno. Ut ergo Auguſtas ſolebant vel Θείας, aut Θεὰς nuncupare, ſic Auguſtos nunc Θείυς, nunc Θεὺς appellabant, & nonnunquam voce latina ΔΙVΟΣ, uti apud Cuperum in explicatione gemmae Auguſtaeae quodam [b] in nummo legitur ΑΝΤΙΝΟΟϹ ΔΙVΟΣ. Romani autem, quia quos patriis moribus conſecrabant, non in heroum, ſed Deorum numerum referebant, imperatores poſt apotheoſin aeque Divos ac Deos publice nuncuparunt. Neque audiendi ſunt, qui contendunt, Caeſares adhuc ſuperſtites ſaepe Deos fuiſſe aſſentatorie dictos, poſt mortem vero, tanquam peculiari quadam conſecrationis nota, ſolo Divorum titulo decoratos. Nam nummus Auguſti a Spanhemio, Vaillantio, & Bandurio conſideratus habet epigr. DEO AVGVSTO, idemque titulus eſt in ara [c] Veronae, biſque apud Gruterum [d], quae monumenta Annibal Oliverius [e] aeque generis claritate, ac doctrinae fama celeberrimus Auguſto jam vita functo dicata exiſtimat. Nummi vero Coloniae Tarraconenſis eadem epigraphe inſigniti Auguſto ſane jam conſecrato percuſſi ſunt. Lapis Piſaurenſis [f] cum inſcr. SIGNA DEORVM AVGV. i. e. Auguſtorum, ac marmor Neapolitanum [g] ΘΕΟΙΣ. ΣΕΒ. i. e. Deos Auguſtos nullum plane de re propoſita, niſi quis Pyrrhonius ac Scepticus ſit, dubitandi locum relinquunt. At enim haec monumenta vel Graeca ſunt, vel Graecorum ſubolent imitationem. Seneca vero rem praeclare definit his verbis: *tumulus, in quo Caeſari Deo noſtro fiebat*

a *Num. Vet. Rodulph. Venut. Tom. I.*
b *Ad Apotheoſ. Homeric.*
c *Muſ. Veron. pag. XCV.*
d *p. XVII. 11. LXXXVIII.*
e *Ad VIII. Marm. Piſaur. in not. p. 21. 22 23*
f *Annib. Oliv. loc cit. VIII.*
g *Grut. pag. CXII. 8.*

bat [a] *quotidianum ſacrum*. Gallienus quoque utpote Romanus imperator inſcribi in nummis debuit Romano more, & tamen ejus extat numiſma cum trita epigr. DEO AVGVSTO. Eſto, hoc qui cudit, Graecos ſit aemulatus; omnesne Latinos ſcriptores Romanae oblitos conſuetudinis arbitremur? Ne poetarum fere innumera teſtimonia proferam, certe Cicero [b] Divos ac Deos abſque ullo diſcrimine nominavit: Latinorum praeterea auctorum omnium, quotquot de apotheoſi tractarunt, communis ac perpetua haec phraſis [c] eſt, *in Deorum numerum referri*. Non ergo Latini Graecam, ſed Graeci potius Latinam ſcribendi conſuetudinem ſequuti ſunt, qui hac de cauſa, ut antea dixi, nullis fere in nummis inſcripſere heroum titulum, ſed Deorum. Quare in lapidibus ac numiſmatibus Auguſtarum Auguſtorumque, qui deinceps *Divini* [d] quoque ac [e] *Divales* nuncupati ſunt, haec Divi aut Divae praenomina pro veris Dei ac Deae ſynonymis habenda eſſe quum unuſquiſque videat, jure hinc eruditos commendabit libere ſuccenſentes, ubi legunt aut DIVAE. MARIAE, aut DIVO. IOSEPHO, & alia hujuſmodi, emendanteſque SANCTAE. MARIAE, ac SANCTO. IOSEPHO. Fateor equidem poſteriora ſecula hanc Divi vocem uſurpaviſſe pro heroe ſignificando, & ad vivos adhuc Caeſares traduxiſſe, quare Symmachus [f] dixit; *ſolemne eſt DIVO noſtro Theodoſio in ſuos exercere cenſuram*; & Guntherus [g] ad Pont. Adrianum pro Friderico Barbaroſſa:

Haec de reſponſis DIVI, Pater optime, regis

Sal-

a *De tranquill. XV.*
b *De Nat. Deor. II. & de Leg. II.*
c *Svet. Jul. 88. Aug. 97. Claud. 35. & alib. Spartian. in Caracall. Lamprid. in Alex. Sev. Tertull. in Apol. 34.*
d *Frontin de Colon.*
e *Feſtus Rufus in Breviar.*
f *III Epiſt. 81.*
g *VI Epiſt. Reſponſ. Epiſcop. ad Pont. Adrian.*

Salva pace tua tibi reſcribenda putamus.

Patuit deinde hoc praenomen ad omnes principes, & ex plurimis hunc habe titulum ex Salvatorio: [a]

IOANNES SFORTIA DIVI CONSTANTII F.
DIVI ALEX. NEP. DIVI SFORTIAE PRONEP.
VETVSTATE ABSVMPT. RESTITVIT.

In nummis Julii II. P. M. legitur adhuc eo ſuperſtite DIVVS . IVLIVS . II. ſicut etiam in apparatu ex aurophrygio arae maximae Vaticanae, & in numiſmate [b] Pauli III. P. M. At enimvero hanc DIVI vocem pro ſummae virtutis ſanctitatiſque praeconio uſurpari cum laude poſſe, rem qui ſerio conſiderat, omnino neget neceſſe eſt. Nam ut primo ſenſu appellare, exempli cauſſa, Dei Parentem DIVAM, nempe Deam, eſt nefas; ita ſecundo nuncupare eandem duntaxat Divam, hoc eſt heroinam, eſt ſane parum. Chriſtiana antiquitas, cujus auctoritas valere plurimum debet, *Domni* quidem, aut *Domini* [c] vocabulo uſa eſt, ſed alio ſenſu, quam dixi numero XV.; itemque a ſeculo V. *Sancti* praenomen uſurpare coepit plerunque his litteris contractum S̄C̄S̄ in recto, quod prae ceteris Bonarrotius [d], Aringhius [e], & Fontaninus [f] lectorum oculis ſubjiciunt, nunquam autem viros, aut feminas ſanctitate commemorabiles *Divi*, aut *Divae* praenomine honoravit. At de hac re liberum per me cuique judicium eſto.

XXII. Conſecrationis adulationi pares erant honores, quibus Divi Divaeque, tanquam vera Numina colebantur. Ut nihil de templis dicam, quorum multitudinem ac ſplendorem [g] Svetonius, & [h] Dio, & [i] Plinius,

a *Annib. Oliver. loc. cit. p.* 188.
b *Venut. in Num Pontific. praeſtant.*
c *Vid. Cangii Gloſſar*
d *Obſervat. ſacr. pag.* 83.
e *In Rom. ſubterr. V.* 25.
f *De Diſco Argent. Vot. cap.* 14.
g *In Jul.* 76 *Aug.* 5. *Tib.* 40
h *LVI. & alib.*
i *H. N. XII.*

nius, tum [a] Tacitus, & [b] Spartianus aliique copioſe oſtendunt, noti paſſim in hiſtoria lapidibuſque ſunt flamines, & ſodales Quirinales, Auguſtales, Flavii, Antoniani, de quibus [c] Onufrium Panvinium adire praeſtat. Adde puellas alimentarias tum Fauſtinianas, tum Mammaeanas, quas Antoninus Pius [d], & Alexander [e] Severus, ille in uxoris, hic in honorem matris, aliique in aliarum memoriam inſtituerunt. Fauſtinae nummus hujuſce honoris eſt typo inſignis, ac Sabinae numiſma, quod aram exhibet cum epigr. PIETATI. AVG. nonnulli referunt ad pueros & puellas ejus beneficentia inſtitutas. Caeſarum matribus praecipuus hic honor datus, ut poſt conſecrationem ſub matris Deorum effigie colerentur, quod palam faciunt numiſmata Plotinae [f], Fauſtinae, & Juliae. His honoribus finitima eſt religio, qua Divorum imagines colebantur, quas ſiquis domi non haberet, ac Diis Penatibus additas non rite veneraretur, ſacrilegii quandoque fuiſſe reum, praeter Capitolinum in Antonino Philoſopho, Vopiſcus praeclare affirmat, narrans caviſſe Tacitum, ut Aurelianum omnes pictum haberent. Nummi etiam, tanquam amuleta, collo aut armillis ſuſpendebantur; non ſemel enim in bullis aeneis haec numiſmata inventa ſunt, de quibus conſulendus eſt praeſertim ſenator [g] Bonarrotius nunquam ſine laude nominandus. Opinio enim erat, Auguſtos Fortunae inconſtantiae [h] non ſubeſſe, imo eam immutare [i] poſſe, & qui eorum imagines inſculptas haberent in jaſpide, eos hinc effici [k] amabiles, & facile fieri voto-

a *Ann. I. & IV. & XIV.*
b *In Hadr. vid. Kipping. Ant. R, & Ouzel. ad Minut Fel. in Octav.*
c *II Comment. Reip Rom de Sacerd.*
d *Capitol. in M. Ant. Philoſ.*
e *Lamprid. in vit.*
f *Bonarrot. in Muſ. Carpin. Tab. I. pag. 4. & 5.*
g *Numiſm XXXVI. 4. 5.*
h *Firmic. II. 33.*
i *Ammian. XVII. vid. ibid. Valeſ.*
k *Bonarrot. ibid.*

votorum compotes. Siquis Auguſtorum ſtatuas conflaviſſet, in deformem ſcilicet maſſam redigere auſus eſſet, is tenebatur crimine majeſtatis [a] ex lege Julia. Sed nec eas, niſi nondum conſecratas vendere licuit; quapropter apud Tacitum [b] accuſator objecit Fannio, quod venditis hortis ſimul Auguſti ſtatuam mancipaviſſet. Poſtea vero Tiberium teſtatur ibidem Tacitus cenſuiſſe, non fieri contra religiones, ſi Auguſti, vel alia Numinum ſimulacra domorum venditionibus acceſſiſſent. Hae quoque imagines in pompis ſacris per circum thenſis traducebantur, quae quidem thenſae ſive currus ebore, argento auroque ornati, vel pannis veliſque pretioſiſſimis tecti, vel undique patentes erant quaſi cellulae, aut exigua [c] templa, trahebanturque nunc leonum, nunc elephantum, plerunque equorum, aut mularum miniſterio: cujus ritus in numiſmatibus teſtimonia cernere cupienti ſatis erit, ſi Fauſtinae nummos conſideret, ac Marcianae, fratris Trajani opera conſecratae, ut arcus Anconae indicat: utriuſque enim imagines & leonibus & elephantibus, nedum mulis equiſque traductas fuiſſe varii nummorum typi palam faciunt. Vaillantius autem quod in nummo Marcianae argenteo thenſas videns deſuper coopertas, non inibi imaginem illius ceream, ſed cadaver delatum putet, ab eruditis jure optimo emendatur: iis enim vehiculis mos Romanorum fuit traducendi imagines in pompis circenſibus, non ad rogum cadavera efferendi.

XXIII. Nolim proinde cujus in Caeſaris, aut Auguſtae monumentis templum, flamines, circenſem pompam imaginumque traductionem videas, haec ſtatim argumen-

a *Venul. Saturnin. L. 6. ad leg. Jul. majeſt.*

b *Ann. lib. I.*

c *Lipſ. de Re Veſt II Vignol loc. cit. Canonic Philipp. Venut. Diſſ. de Cellul. vet. Diſſ. Acad. Corton. Tom. II*

ta notaſque exiſtimes indubitatas apotheoſeos. Conſtat enim hujuſmodi honores viventibus adhuc, nedum mortuis conſecratiſque principibus utriuſque ſexus gliſcente adulatione decretos eſſe. Auguſta haec urbs licet ſtatuam Caeſaris dictatoris in circenſi pompa moerens ac taciturna viderit, illudque ſui praeconium audierit a Cicerone: *praeclarum* [a] *vero populum, quod propter tam malum vicinum ne Victoriae quidem ploditur*: tamen illi dictatori templum, aram, ſacerdotem, imaginem inter Deos, & Lupercalia [b] dedicavit: *quae omnia* [c] *velut infulae in deſtinatam morti victimam congerebantur*. Si Romanis adhuc animo menteque liberis Quintus ille Ciceronis frater *quartum vel potius milleſimum nihil ſapiebat, qui laetabatur* [d] *Luperco filio, & Statio* in Julii honorem, nihil jam putabimus graſſante tyrannorum impotentia in hoc mali genere non contigiſſe. Itaque quoad conſecrationem nihil certi licet e ſupradictis Caeſaris infulis deprehendere. Verum de his plus ſatis. Poſt caedem Julii jurari per nomina imperatorum [e] coepit, quare Horatius Auguſto:

Praeſenti tibi maturos largimur honores,
Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras.

Tacitus loco ſupra citato refert, crimini datum Rubrio, quod Auguſti nomen perjurio violaſſet: Claudius nullum ſibi jusjurandum neque crebrius neque ſanctius eſſe voluit, quam per [f] Auguſtum: eundem hunc quoque honorem tributum & Druſillae [g] a Cajo, & Liviae a Claudio [h] teſtatur Dio. Sacrilegus hic cultus communis deinde

a *Ad Att. XIII. 42.*
b *Svet. Jul. 76.*
c *L. Flor. IV. 2.*
d *Cic. ad Attic. XII. 5.*
e *Dio XLIV.*
f *Svet. Claud. II.*
g *Lib. LIX.*
h *Idem LX.*

inde fuit omnium imperatorum, per quorum fortunam, felicitatem, nomina, ſive genios, tanquam per caeleſtia Deorum numina, juramenta concipiebantur. Hem quam ſancta haec habita juramenta! Legibus Romanis qui per Deos pejeraſſet, a cenſoribus notabatur, quorum *judicium* [a] *nihil fere damnato afferebat, praeter ruborem:* infamiam certe ac paenam non irrogabat; injurias enim *Deorum Diis curae eſſe* [b] cum Tiberio dictitabant. Sed qui conſulto per principem pejeraſſet, in legem Juliam majeſtatis incidebat, & caſtigatus [c] fuſtibus dimittebatur. Jure igitur hanc dementiam Tertullianus [d] increpat, & Minucius Felix in Octavio deridens ait, *eſt illis tutius per Jovis genium pejerare, quam regis*. Huic confine eſt illud, quod Caeſarum non mortuorum modo, ſed & viventium imagines cum Diis adorandae proponebantur, quemadmodum ſe apud Chriſtianos feciſſe Plinius [e] ad Trajanum ſcribit; videlicet futurum putans, ut ii facilius ad Deorum cultum allicerentur: ſciebat enim, quam officioſe imperatores colerent, at ignorabat hoc illis eſſe propoſitum, ut darent Caeſari, quod eſſet Caeſaris, praeterea nihil. Quod vero Plinius & ſemel & moderate, alios geſſiſſe praeſides & frequenter & crudeliſſime, praeter S. Cyprianum, Tertullianum, Arnobium, naſcentis Eccleſiae non tam monumenta, quam vulnera & tropoea declarant.

XXIV. Tot tantiſque aſſentationum generibus hoc etiam poſtremo acceſſit intolerandum ſuperbiae additamentum, nempe ad divorum ſigna aſyli jus, de cujus origine, incremento, varietate diſſertationem cum ſacris,

 tum

a *Cic. V. de Repub.*
b *Tacit. loc. cit.*
c *Ulpian. leg. 13. D. de jurejur.*
d *Apolog. 28.*
e *Epiſt. X. 97.*

tum profanis argumentis ornatiſſimam nuper habuit in ſacri Concilii Academia coram ſummo Pontifice celebrata P. Jo. Franciſcus Nobilius in collegio Nazareno Theologiae Profeſſor vir eruditionis & ingenii laudibus admirandus. Aſylum, quod Athenienſes primo in [a] Deorum templis, deinde ad ſepulcra [b] heroum inſtituerunt, Romae autem in capitolii [c] querceto, ubi nunc ſtatua [d] M. Aurelii imp., tum in templo Dianae, ad Epheſinae [e] imitationem, in Aventino, ac demum in templo [f] Pacis extiterat, aſylum, inquam, peſſundata libertate ad templa, ad ſtatuas & quandoque ad ipſa Caeſarum numiſmata translatum eſt. Hujus inſtituti initium fuit a templo Julii, quod Triumviri [g] extruxere: poſtmodum ad ejus etiam ſimulacra patere coepit, ideoque legimus Antonium [h], ac Lepidum in morte Caeſaris perſequenda hoſtibus ad ejus ſtatuas confugientibus dediſſe veniam, quanquam Auguſtus [i] Antonium juvenem poſt multas irritaſque preces ab Julii, quo confugerat, ſimulacro abreptum interfici palam juſſerit. Lampridius in Heliogabali, Philoſtratus in vita Apollonii [k] Thianei referunt, delictum fuiſſe capitale, ſervum caedere ad ſtatuam Caeſaris accedentem: quin etiam neſcio quis impietatis damnatus [l] fuit, quod ſervum cum drachma Tiberii argentea verberaviſſet. Huc pariter fortaſſe ſpectant numiſmata perforata, vel unco ornata, quae non modo coronis inſeri, ut jam oſtendi [m], ſed etiam ſuſpendi collo, aut capiti conſueverunt, quod Gisber-

a *Voſſ in verb. Aſyl.*
b *Ophman. Contin. Lex.*
c *Liv I. Dionyſ. II*
d *Donat. de Urb Rom. II. 10.*
e *Fattolil. de Immunit. Tom. I. p. 2. & 3. Clericat. in Deciſ. Miſcell. Tom. IV. Deciſ. 13.*
f *Auctor de Regim. Princip. 15.*
g *Dio XLVII.*
h *Xiphil in Aug.*
i *Svet. Aug.*
k *Lib. II.*
l *Idem loc. cit. lib. II.*
m *Diſſert. I. Num. XII.*

Gisbertus Cuperus [a] in ſua ad Cl. Blanchinum epiſtola ſuſpicatur: animadvertit enim, in praeſens adhuc mulieres in Oriente, & Graecia frontem & crines numiſmatibus aeque veteribus ac recentioribus exornare. Eo denique res evaſit, ut Caeſarum imagines non modo indigniſſima in optimum quemque probra, ſed & calumnias [b] ſinerent impunitas eſſe ac liberas: ſiquis enim aut eorum numiſma geſtaret, aut ſimulacro [c] adhaereſceret, ejus audaciam in jus vocare, aut vi repellere nefas erat. Et quanquam Tiberium Svetonius [d] ſcribat haec improborum perfugia aboleviſſe, Tacitus tamen [e] refert ab eo non aſyla ſublata, ſed nimiam eorum copiam imminutam. Decretum huic ſimile, quoad Deorum ſigna, olim emanaviſſe docere videtur haec inſcriptio Lanuvii poſita in Latio, in templo & baſi grandi: [f]

MAVORTIO
SACR
HOC . SIGNVM
A . SERVO . TANGI
NEFAS . EST

Itaque quum ſemper maxima fuerit peccandi illecebra impunitatis ſpes, non injuria dixeris, illius Divorum gregis fuiſſe proprium & flagitioſe vivere, & poſt mortem flagitia patrocinari. Illa enim in Apotheoſi, nulla integritatis, nulla virtutum ratione habita, unius duntaxat, ejuſdemque amore, cupiditate, adulatione, mercede ducti teſtimonium ſatis erat, ut quis ad Deos aſcenderet; quod Ethnicis exprobravit & conſtanter & libere illa S. Juſtini

a *Vid. Tom. IV. Diſſ. Academ. Corton in fine.*
b *Tacit. Ann. III & IV. vid ibid. Lipſ.*
c *Senec. de Clem. I. Lactant. divin. Inſtitut. II. 7.*
d *Svet. Tib. 37.*
e *Annal. III.*
f *Theſ. Grut. p. LVII. 2.*

ſtini Martyris ad Antoninum Pium nunquam pro dignitate ſatis laudanda oratio. Quotquot igitur Catholicae *Canonizationis* ritus ab impuriſſimis illius apotheoſeos fontibus in Vaticanum defluxiſſe dictitant, obmuteſcant neceſſe eſt, quum praeſertim ſedeat in Apoſtolico ſolio BENEDICTUS XIV., a quo jampridem venenata eorum tela repreſſa ſunt. Neque hoc dico, quod mihi ejus de Voluminibus in mentem veniat aliquid commemorare, quin eam potius, quam mihi ſemper perneceſſariam duxi, Attici eloquentiam, ſilentium ſcilicet, imitabor: tacere enim praeſtat, quam minus graviter ornateque de Pontifice dicere, cui non gloriam, qua ſic unus eminet inter omnes, ut dignitate, ſed diuturnum vitae ſine ulla offenſione curſum vota preceſque omnium adprecantur. Jam ſe Claſſis altera ſpectandam praebet, quae licet ornata titulis nec vetuſtiſſimis omnibus, nec imperatorum, aut regum tantum, ſed etiam tyrannorum, tamen perbrevis eſt futura, hac nimirum de cauſa, quod ſolemnis illa apud veteres inſcriptionum brevitas, quae poſtea ridiculam in loquacitatem converſa eſt, diu perjucunda fuit & exteris regibus, & Romanis magiſtratibus, praeſertim imperatoribus, quos ad evitandam Auguſtorum repetitionem, non ſemel in diſſertatione Caeſarum nomine nuncupavi, non, opinor, temere, ſi ſecus, legant qui volunt, qui nolunt abjiciant.

CLASSIS II.

Auguſtorum, & Regum Monumenta.

I.

In oppido Alcantara, in pontis ingreſſu, ubi ſacellum S. Juliano dicatum. *Ex Smet. Ord. I. p.* 4.

IMP. NERVAE . TRAIANO . CAESARI . AVGVSTO
GERMANICO . DACICO . SACRVM

1. TEMPVM . IN . RVPE . TAGI . SVPERIS . ET . CAESARE . PLENVM.
ARS . VBI . MATERIA . VINCITVR . IPSA . SVA
QVIS . QVALI . DEDERIT . VOTO . FORTASSE . REQVIRET
CVRA . VIATORVM . QVOS . NOVA . FAMA . IVVAT
INGENTEM . VASTA . PONTEM . QVOD [a] MOLE . PEREGIT

2. SACRA . LITATVRO . FECIT . HONORE . LACER
QVI . PONTEM . FECIT . LACER . ET . NOVA . [b] TEMPLA
DICAVIT . [c] ILLIC . SE . SOLO . . . . . . VOTA . LITANT
PONTEM . PERPETVI . MANSVRVM . IN . SECVLA . MVNDI
FECIT . DIVINA . NOBILIS . ARTE . LACER
IDEM . ROMVLEIS . TEMPLVM . CVM . [d] CAES . DIVIS
CONSTITVIT . FELIX . VTRAQVE . CAVSA . SACRI
C. IVLIVS . LACER . H. S. F. ET . DEDICAVIT
AMICO . CVRIO . LACONE . ICEDITANO

Cl. Muratorius in *Theſ. CCCCL.* 1. in exordio, & clauſula nonnulla variat. a *Ibid.* QVI . RVPE. b Terminat lineam DICAVIT. c SCILICET ET . SVPERIS MVNERA . SOLA . LITANT. d CAESARE. Idem exiſtimat non unum, ſed diverſos fuiſſe titulos, qui per deſcriptoris negligentiam in unum coaluerint. Notat demum hanc inſcr. poſitam An. D. 101. vel 102.

1. Ob ritum, de quo in ſuperiore *Diſſ. Num. XIII.* & in *not. ad inſcr. XXX.* hoc ſacellum dicatum fuit aut Diis Pa-

Paredriis, aut alicui Deo Pantheo, vid. *Diſſ. I. Num. XI.* Multa Trajano ubique dicata templa, qui in nummis OPTIMVS tanquam proprio cognomine nuncupatur: haec ejus fuit ſumma laus, quod talem ſe imperatorem privatis praebuit, quales privatus ſibi optaverat imperatores. Spartianus auctor eſt, Hadrianum, quum opera ubique plurima effeciſſet, nuſquam niſi in Trajani templo nomen ſuum inſcripſiſſe.

2. Secundum Feſtum is proprie dicebatur *Lacer*, qui auribus curtatus eſſet.

II.

Pontiroli in agro Mediolanenſi.

Grut. Theſ. p. CLXIII. 2.

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΑΥΡΕΟΛΩ ΜΕΤΑ
ΔΗΙΟΝ ΑΡΕΑ ΚΑΙCΑΡ
ΤΑ ΚΤΕΡΕΑ ΘΝΗΤΩΝ ΩΣ
ΘΕΜΙC ΕΝΔΙΔΟCΙ [a]
ΤΩ ΓΑΡ ΚΑΙ ΖΩΗΝ ΑΛΛ' ΟΥΚ
ΕΘΕΛΗCΕ ΦΡΟΝΗΜΑ
ΠΑCΙΝ ΕΠΙΡΗΤΟΙC [b] ΤΟΥ CΤΡΑ
ΤΟΥ ΑΝΤΙΒΙΟΝ
ΚΕΙΝΟC ΔΕ [c] ΟΙΚΤΙΡΜΩΝ ΚΑΙ
CΩΜΑΤΟC ΕCΚΑΤ [d] ΟΠΙΖΩΝ
ΑΥΡΕΟΛΟΥ ΓΕΦΥΡΑΝ
CΤΗΑΤΟ [e] ΤΗΝCΤΕ ΤΑΦΗΝ

1. Κλαύδιος Αὐρεόλῳ μετὰ δήϊον ἄρεα Καῖσαρ
Τὰ κτέρεα, θνητῶν ὡς θέμις ἐνδίδοσι:
Τῷ γὰρ καὶ ζωήν· ἀλλ' οὐκ ἐθέλησε φρόνημα
Πᾶσιν ἐπιῤῥήτοις τοῦ στρατοῦ ἀντίβιον;

2. Κεῖνος δ' οἰκτίρμων καὶ σώματος ἔσχατ' ὀπίζων
Αὐρεόλου γεφύραν εἵσατο τήνσε ταφήν.

a *In not. Grut. p. CCCV.* hoc loco emendatur ΕΝΔΙΔΟΔΕΙ.
b *Salmaſ.* ΕΠΙΡΡΗΤΟΙC. c *Alc. & Urſin. Sched.* Δ'.
d *Salmaſ.* ΕCΧΑΤ'. e Recte mutandum CΤΗCΑΤΟ in ΕΙCΑΤΟ cum *Alciati ſched. & Pighii* ἀπὸ τοῦ ἐῶ.

Sic

Sic interpretatur Grammaticus aetate Julii Capitolini.

Dona ſepulcrorum victor poſt multa tyranni
Praelia, jam felix Claudius Aureolum
Munere proſequitur mortali, & jure, ſuperſtes
Vivere quem vellet, ſi pateretur amor
Militis egregii; vitam qui jure negavit
Omnibus indignis, & magis Aureolo.
Ille tamen clemens, qui corporis ultima ſervans
Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.

Scaliger in not. ad hanc pag. ait *peſſima Graeca peſſimis Latinis facta*. Apud Salmaſ. in not. ad Aureolum, & Fleetwodum in *Syllog. pag.* 112. aliter vertitur.

Claudius Aureolo poſt martia praelia Caeſar,
Humana ut lex eſt, debita juſta dedit.
Huic vitam & voluit: diris inſenſa tyrannis
Militis haud potuit mens generoſa pati.
Hinc pius atque ſuo cineres dignatus honore
Aureoli pontem condidit & tumulum.

Alciatus initio epigrammatis praefixum habet ſolemne illud ſepulcrorum Θ. K. In dextro latere hujus tabulae videbatur draco caudam mordens, & ejus in circulo ſtabat catulus latrans, aut, ut Pighio placet, hippopotamus, cujus pedibus ſubſcriptum ATFEOAOC, quod forte mutandum in ATPEOΛOΣ. *Ita in Grut. animad. pag. CCCVI.*

1. Hic ille eſt Claudius Gothicus, qui in nummis INVICTVS dicitur, quod, ut ſcribit Pollio, duo millia navium barbararum, & trecenta viginti millia hoſtium delevit, oppreſſit, attrivit. Huc ſpectat nummus, in quo victoria ſtans cum ferto & palma inter duos captivos humi ſedentes cum epigr. VICTORIA AVG. Tertio imperii anno peſtilentia ſublatus inter Divos relatus eſt, teſtante praeter Pollionem numiſmate argenteo inter rariores habito, in quo caput ejus radiatum cum epigr. DIVO CLAVDIO GOTHICO, & in averſa parte ara de more cum igne accenſo, & CONSECRATIO. Claudii cum Aureolo pugnaturi exiſtimatur nummus, in quo caput

Claudii & imperator eques dextra elata, ſiniſtra haſtam tranſverſam cum epigr. ADVENTVS AVG. Nota in hoc deſinere nummos argenteos Auguſtorum, quorum loco impreſſi ſunt ex aere puro, ſuperinducta ſtanni tenui pellicula uſque ad Diocletianum. Vid. *Cl. P. Baldin. Append. ad Vaill. Tom. III.*

2. Aureolus unus ex xxx. tyrannis Mediolani occiſus A. D. 168. apud pontem, qui ideo pons Aureoli nuncupatus. Alii ferunt hunc Claudii opera interfectum & humili ſepulcro donatum, alii invito Claudio caeſum, ut conjecturam inſcriptio praebet. Aureoli numiſmata ex argento ne quaeras, ex auro rariſſima invenies. Vid. *P. Baldin. ad Vaill. loc. cit. pag.* 20.

III.

In Baſe Obeliſci ex circo maximo effoſſi & a Sixto V. P. M. ante Lateranen. Baſilicam collocati. *Grut. p. CLXXXVI.* 3.

In Parte Auſtrali.

1. PATRIS . OPVS . MVNVSQ. *ſuum* . TIBI . ROMA . DICAVIT
AVGVSTVS . *toto* . *Conſtan*TIVS . ORBE . RECEPTO
ET . QVOD . NVLLA . TVLIT . TELLVS . NEC . VIDERAT . AETAS
CONDIDIT . VT . CLARIS . EXA*equ*ET . DONA . TRIVMFIS *ſic*

2. HOC . DECVS . ORNATVM . GENITOR . COGNOMINIS . VRBIS

3. ESSE . VOLENS . CAESA . THEBIS . DE . RVPE . REVELLIT

Parte Orientali.

SED . GRAVIOR . DIVVM . TANGEBAT . CVRA . VEHENDI
QVOD . NVLLO . INGENIO . NISVQVE . MANVQVE . MOVERI
CAVCASEAM . MOLEM . DISCVRRENS . FAMA . MONEBAT
AT . DOMINVS . MVNDI . CONSTANTIVS . OMNIA . FRETVS
CEDERE . VIRTVTI . TERRIS . INCEDERE . IVSSIT
ſic HAVT . PARTEM . EXIGVAM . MONTIS . PONTOQVE . TVMENTI

Parte Septentrionali.

CREDIDIT . ET . PLACIDO . *vexerunt* . *aequora* . *flu*CTV
LITVS . AD . HESPERIVM . T*iberi* . MIRANTE . CARINAM

4. INTEREA . ROMAM . TA*poro* . VASTANTE TYRANNO
AVGVSTI . IACVIT . DONVM . STVDIVMQVE . LOCANDI
NON . FASTV . SPRETI . SED . QVOD . NON . CREDERET . VLLVS

TAN-

TANTAE . MOLIS . OPVS . SVPERAS . CONSVRGERE . IN . AVRAS
Parte Occidentali .

NVNC . VELVTI . RVRSVS . RV*ſis* . AVVLSA . METALLIS
EMICVIT . PVLSATQ. POLOS . HAEC . GLORIA . DVDVM
AVCTORI . SERVATA . SVO . CV*m* . CAEDE . TYRANNI
REDDITVR . ATQVE . ADITV . RO*mae* . VIRTVTE . REPERTO
VICTOR OVANS • VRBIQ*ue* . *locat* . *ſublime* . TROPAEVM
PRINCIPIS . ET . MVNVS . CONDI*gnis* . *uſ*QVE . TRIVMFIS

1. Conſtantinus imp. A. D. 330. hunc obeliſcum , Aegypti monumentum Soli dicatum, Thebis Alexandriam vehendum curavit , ut illinc Conſtantinopolim deferretur *Baron. ad An. D.* 330. *num. VIII.*; ſed opere ob ejus mortem non abſoluto , Conſtantius Alexandria Romam obeliſcum navi admirandae vaſtitatis trecentiſque remigibus deferri juſſit , & in circo Maximo collocari . De hoc argumento pereruditum extat commentarium Michaelis Mercati . Apud Cl. Eq. Franc. Victorium perparvam vidimus baſim in ruſtica quadam domo repertam ad ſuſtentaculum bilychnis , in qua haec eadem inſcriptio obſervatur cum litteris minio illitis , ſicuti erat in archetypo .

2. Conſtantinopolis ut *ſecunda Roma* vocaretur , Conſtantini lex erat in columna lapidea apud praetorium prope ipſius imp. ſtatuam equeſtrem, *Baron. A.D.* 357. *n. LXXXIV. Ammian. XVII.* Illa quoque dicta eſt *Nova* , & haec *Vetus* , *Antiqua* , *Senior* , *lib.XI. C. de Privileg. Urb. Conſtantinop.* & *l. intra C. de Operib. Pub.* Illam Conſtantinus *omnium urbium nuditate* ornaverat capitolio , milliario aureo , circo maximo , amphiteatro foris , porticibus , aliiſque publicis aedificiis ibidem veluti Romae erectis *S. Hieronym. in Chronic. ad ann.*25. *Conſtantini* . *Socrat.I.* 12. *Sozom. II.* 4. & *Baron. A. D.* 330. *num. VIII.*

3. Thebarum in Aegypto civitas a centum portis *Hecatomphylos* dicta eſt .

4. In hoc verſu xv. fracto marmore legebatur TA . . RO , lacunam docta manus impleverat additis PO , ut legeretur TA-

PORO tyranni nomine, ſive TAPOTO, quo nomine dictus Maxentius, quia apud Helenum caſtrum Tapotorum, qui Cantabriae populi ſunt, Conſtantem interfecit *Aguil. Fleetwod. Syllog. pag.* 88. Sed Fulvius Urſinus demtis PO induxit ET, nempe TAETRO. Nam perduellium tyrannorumque nomina nunquam monumentis incidebantur, inciſa etiam abradebantur impreſſa tantum Tyranni voce, addito vocabulo ad ad tyrannidem deteſtandam idoneo, ut hoc loco, TAETRO. TYRANNO. Auctor panegyrici Conſtantino dicti Maxentium appellat ILLVM proprio relicto nomine.

I V.

Conſtantinopoli in Hippodromo in uno latere baſis, cui ex ſolido ſaxo inſidet obeliſcus. *Grut. CLXXXV.* 6.

ΚΙΟΝΑ. ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ. ΑΕΙ. ΧΘΟΝΙ. ΚΕΙΜΕΝΟΝ. ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΟΣ. ΑΝΑΣΤΗΣΑΙ. ΘΕΥΔΟΣΙΟΣ. ΒΑΣΙΛΕΥΣ
ΤΟΛΜΗΣΑΣ. ΚΑΙ. ΠΡΟΚΛΟΣ. ΕΠΕΚΛΕΤΟ. ΚΑΙ. ΤΟΣΟΣ. ΕΣΤΗ
ΚΙΩΝ. ΗΕΛΙΟΙΣ. ΕΝ. ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ. ΔΥΟ

Sponius teſtis oculatus T. I. *Itin.* tab. poſt pag. 232. legit ΤΟΛΜΗΣΑΣ ΠΡΟΚΛΟΣ ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ ΚΑΙ ΤΟΣΟΣ ΕΣΤΗ

Κίονα τετράπλευρον ἀεὶ χθονὶ κείμενον ἄχθος
Μοῦνος ἀναστῆσαι Θευδόσιος Βασιλεὺς
Τολμήσας Πρόκλος ἐπεκέκλετο καὶ τόσος ἔστη
Κίων ἠελίοις ἐν τριάκοντα δύο

Latinus Latinius Conſiderat. VII. in Obeliſc. Michaelis Mercati ſic Latine vertit, notatque obeliſcum a Graecis eſſe perperam columnae nomine nuncupatum.

Pondus humi aeternum, quadrata mole columnam
Theudoſius Princeps munus ut erigere eſt
Auſus, mandavit Procla, tantamque columnam
Ter decima erectam luxque ſecunda dedit.

V.

Ab Orientali plaga ejuſdem baſis *Grut. loc. cit.* 7.

DIFFICILIS. QVONDAM. DOMINIS. PARERE. SERENIS
IVSSVS. ET. EXTINCTIS. PALMAM. PORTARE. TYRANNIS
OMNIA. THEVDOSIO. CEDVNT. SVBOLIQVE. PERENNI
TER.

TER . DENIS . SIC . VICTVS . EGO . DOMITVSQVE . DIEBVS
IVDICE . SVB . PROCLO . RVRSVS . SVM . ELATVS . AD . AVRAS

V I.

Ibidem Grut. CLXXXVI. 1.

ΤΟ . ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ . ΘΑΥΜΑ . ΤΩΝ . ΜΕΤΑΡΣΙΩΝ
ΧΡΟΝΩ . ΦΘΑΡΕΝ . ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ . ΝΥΝ . ΔΕΣΠΟΤΗΣ
ΟΥ . ΡΩΜΑΝΟΣ . ΠΑΙΣ . ΔΟΞΑ . ΤΗΣ . ΣΚΗΠΤΟΥΧΙΑΣ
ΚΡΕΙΤΤΩΝ . ΝΕΟΥΡΓΕΙ . ΤΗΣ . ΠΑΛΑΙ . ΘΕΩΡΓΙΑΣ
Ο . ΓΑΡ . ΚΟΛΟΣΣΟΣ . ΘΑΜΒΟΣ . ΗΝ . ΕΝ . ΤΗ . ΡΟΔΩ
ΚΑΙ . ΧΑΛΚΟΣ . ΟΥΤΟΣ . ΘΑΜΒΟΣ . ΕΣΤΙΝ . ΕΝΘΑΔΕ

Latine ad verbum. *Quadrilaterum hoc rerum ſublimium miraculum, tempore corruptum, Conſtantinus nunc Dominus, cujus filius eſt Romanus, gloria imperii, excellentius renovat, quam olim viſebatur. Coloſſus enim miraculo erat Rhodi: & aes hoc ſtupori eſt hoc loco. Grut. ibid.*

V I I.

Conſtantinopoli. *Spon. ibid. in Tab. poſt pag.* 224.

PRINCIPIS HANC STATVAM MARCIANI
1. CERNE TORVMQVE
2. TER EIVS VOVIT QVOD TATIANVS
OPVS

1. Supra columnam extat urna quadrata, ad cujus angulos quatuor aquilae, in baſi haec eſt inſcriptio, quae lectorem jubet *ſtatuam*, quae deeſt, & *Torum* cernere Marciani imperatoris. Ethnico de Principe ſi ſermo eſſet, non ſine cauſâ ſuſpicaremur ea in urna columnae ſuperimpoſita reconditos eſſe cineres, ſicut Trajani conditi ſunt ejus in foro in urna aurea, ſupra, vel infra columnam, ut Caſſiodorus in Chronico, & Eutropius *lib.* VIII., ſed de Chriſtiano principe id ſuſpicari nefas, praeſertim jam antiquato more comburendi cadavera: tantum cum Sponio opinor, Marciani cor ea in urna, reliquum corpus ſub columna fuiſſe conditum.

2. Primum elementum ſecundi verſus videtur T, ſed qui exſcripſit, marmor eſſe ait foediſſime deturpatum invidia temporis, aut negligentia barbarorum.

VIII.

VIII.

In ſcala palatii Capitolini ad dexteram collocati.

CAESARIS . AVGVSTI . FRIDERICI . ROMA . SECVNDI
DONA . TENE . CVRRVM . PERPES . IN . VRBE . DECVS
HIC . MEDIOLANI . CAPTVS . DE . STRAGE . TRIVMPHOS
CAESARIS . VT . REFERAT . INCLYTA . PREDA *ſic* . VENIT
HOSTIS . IN . OPPROBRIVM . PENDEBIT . IN . VRBIS . HONOREM
MICTITVR *ſic* . HANC . VRBIS . MICTERE . IVSSIT . AMOR

Alius huic ſimilis extat titulus in *Murator. Tom. IX. Rerum Italic. p.* 658. B. Anno D. MCCXXV. Fridericus Mediolanenſium victor apud Curtem-Novam eorum ducem ſuſpendio perdidit, multos in Apuliam relegavit, currum hoſtium victoriae indicem Romam miſit.

Vrbs decus orbis ave: victus tibi deſtinor ave
Currus ab Auguſto Friderico Caeſare juſto.
Fle Mediolanum: nam ſentis ſpernere vanum,
Imperii vires proprias tibi tollere vires.
Ergo triumphorum urbs memor eſſe priorum,
Quos tibi mittebant reges, qui bella gerebant.

IX.

Ex Herodoto in vita Homeri.

ΚΑΛΚΗ ΠΑΡΘΕΝΟΣ ΕΙΜΙ ΜΗΔΟΥ Δ' ΕΠΙ ΣΗΜΑΤΙ ΚΕΙΜΑΙ
ΕΣΤ ΑΝ ΥΔΩΡ ΤΕ ΡΕΗΙ ΚΑΙ ΔΕΝΔΡΕΑ ΜΑΚΡΑ ΤΕΘΗΛΗΙ
ΗΕΛΙΟΣ Τ' ΑΝΙΩΝ ΛΑΜΠΟΙ ΛΑΜΠΡΑ ΤΕ ΣΕΛΗΝΗ
ΚΑΙ ΠΟΤΑΜΟΙ ΡΕΩΣΙΝ ΑΝΑΚΛΥΖΗΙ ΔΕ ΘΑΛΑΣΣΑ
ΑΥΤΟΥ ΤΗΔΕ ΜΕΝΟΥΣΑ ΠΟΛΥΚΛΑΥΤΩΙ ΕΠΙ ΤΥΜΒΩΙ
ΑΓΓΕΛΕΩ ΠΑΡΙΟΥΣΙ ΜΙΔΗΣ ΟΤΙ ΤΗΔΕ ΤΕΘΑΠΤΑΙ

Καλκῆ παρθένος εἰμὶ, Μίδου δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι.
Ἔστ' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ,
Ἠέλιός τ' ἀνιὼν λάμποι, λαμπρά τε σελήνη,
Καὶ ποταμοὶ ῥέωσιν, ἀνακλύζῃ δὲ θάλασσα,
Αὐτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύτῳ ἐπὶ τύμβῳ,
Ἀγγελέω παριοῦσι, Μίδης ὅτι τῇδε τέθαπται.

Sic

Sic vertit P. Alexander Politus Cl. Reg. Schol. Piar.

Aenea virgo ſum, moerenſque Midae adſto ſepulcro.
Dum laticeſque fluent, arborque excelſa virebit,
Dumque oriens Phoebus ſplendebit, & aurea Phoebe,
Dumque fluent amnes, & erunt ſua litora ponto;
Hic ego ad hoc buſtum lacrimabile moeſta manebo,
Atque Midam hic regem cunctis narrabo ſepultum.

Herodotus in libello de vita Homeri narrat, hunc poetarum principem Midae Gordii filio, regi Phrygiae, ſocero ac ſocru ejus rogantibus, epigramma hoc compoſuiſſe, quod etiam aetate ſua inſcriptum legebatur in columna ad Gordii monumentum. Fides penes Cumanos eſto Aeoliae incolas, quibus Herodotus hanc hiſtoriam acceptam refert. A quibuſdam hoc elogium tribuitur Cleobulo. *Laert. in vit. lib. I.* Interprete ſum uſus P. Alexandro Polito in Praefatione ad Euſtathium, non tam quia Graece ac Latine permultis egregie ſcriptis lumen eſt mei Ordinis praeclariſſimum, quam quod ejus interpretatio longe eſt iis felicior elegantiorque, quas Peregrinus Allius, & Conradus Heresbechius viri ſane erudititiſſimi exornarunt.

X.

Φυτάλου τάφῳ.

Pauſan. pag. 35. lib. I.

ΕΝΘΑ Δ᾽ ΑΝΑΞ ΗΡΩΣ ΦΥΤΑΛΟΣ ΠΟΤΕ ΔΕΞΑΤΟ ΣΕΜΝΗΝ
ΔΗΜΗΤΡΑΝ ΟΤΕ ΠΡΩΤΟΝ ΟΠΩΡΑΣ ΚΑΡΠΟΝ ΕΦΗΝΕΝ
ΗΝ ΙΕΡΑΝ ΣΥΚΗΝ ΘΝΗΤΩΝ ΓΕΝΟΣ ΕΞΟΝΟΜΑΖΕΙ
ΕΞ ΟΥ ΔΗ ΤΙΜΑΣ ΦΥΓΑΛΟΥ ΓΕΝΟΣ ΕΣΧΕΝ ΑΓΗΡΩΣ

Ἔνθα δ᾽ ἄναξ ἥρως Φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν
Δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
Ἣν ἱερὰν συκῆν θνητῶν γένος ἐξονομάζει·
Ἐξ οὗ δὴ τιμὰς Φυτάλου γένος ἔσχεν ἀγήρως.

Romulus Amaſaeus *p.* 31.

Hic Cererem tectis Phytalus ſuſceperat heros.
Cui primum ſacri largita eſt ſemina pomi,
Quod mortale genus ficum vocat. Illius ergo

Mu-

Muneris, aeterno hic Phytali gens floret honore.

Extabat hoc regis Phytali ſepulcrum in Attica in vicinia Cephyſi amnis, non longe a Lacii herois luco, & Nicoclis citharoedi clariſſimi monumento, templiſque Cereris, ac Proſerpinae, quibus cum Minerva, & Neptuno habebatur communis honor.

X I.

Meſſenae in Lycaei fano.

Tumulus Ariſtocratis tyranni a Meſſenis trucidati.

Ex Pauſaniae lib. IV. p. 133.

ΠΑΝΤΩΣ Ο ΧΡΟΝΟΣ ΕΥΡΕ ΔΙΚΗΝ ΑΔΙΚΩΙ ΒΑΣΙΛΗΙ
ΕΥΡΕ ΔΕ ΜΕΣΣΗΝΗΣ ΣΥΝ ΔΙΙ ΤΟΝ ΠΡΟΔΟΤΗΝ
ΡΗΙΔΙΩΣ ΧΑΛΕΠΟΝ ΔΕ ΛΑΘΕΙΝ ΘΕΟΝ ΑΝΔΡ' ΕΠΙΟΡΚΟΝ
ΧΑΙΡΕ ΖΕΥ ΒΑΣΙΛΕΥ ΚΑΙ ΣΑΟΥ ΑΡΚΑΔΙΑΝ

Πάντως ὁ χρόνος εὗρε δίκην ἀδίκῳ βασιλῆϊ,
Εὗρε δὲ Μεσσήνης σὺν Διῒ τὸν προδότην
Ῥηϊδίως· χαλεπὸν δὲ λαθεῖν θεὸν ἄνδρ' ἐπίορκον.
Χαῖρε Ζεῦ βασιλεῦ, καὶ σάου Ἀρκαδίαν.

Romulus Amaſaeus *p.* 115.

Ulta dies facile eſt dextro Jove longa tyrannum,
Meſſenen qui olim prodiderat miſeram.
Difficile eſt, hominem perjurum fallere Divos.
Tu ſalve, & ſerva Jupiter Arcadiam.

Ariſtocratem non ſemel Meſſeniorum proditorem, ſed praeſertim offenſione ad Iran accepta, quod Ariſtomenis conſilium de Sparta noctu invadenda Lacedaemoniis aperuiſſet, Arcades lapidibus obrutum extra fines inſepultum abjecere, in columella his verſibus inciſis. *Pauſan. loc. cit.*

X I I.

Plutarch. de fort. vel virt. Alex. Orat. I. p. 335.

ΑΥΔΑΣΟΥΝΤΙ Δ' ΕΙΟΚΕΝ Ο ΧΑΛΚΕΟΣ ΕΙΣ ΔΙΑ ΛΕΥΣΣΩΝ
ΓΑΝ ΥΠ' ΕΜΟΙ ΤΙΘΕΜΑΙ ΖΕΥ ΣΥ Δ' ΟΛΥΜΠΟΝ ΕΧΕ

Αὐδασεῦντι δ' ἔοικεν ὁ χάλκεος εἰς Δία λεύσσων·
Γᾶν ὑπ' ἐμοὶ τίθεμαι Ζεῦ, σὺ δ' ὄλυμπον ἔχε.

Xy-

Xylander.

Aereus inſpiciens divoſque hominesque regentem
Velle mihi eſt viſus talia verba loqui:
Magne tene, Jupiter, neque enim prohibemus, olympum,
Dum tellus toto pareat orbe mihi.

Statua haec Alexandri, Lyſippi opus, facie ſurſum converſa erat in caelum intuens leniter inflexo collo, *Plutarch. ibid.* Quemadmodum a Lyſippo ſeſe fingi duntaxat voluit Alexander, ita & pingi ab uno Apelle, cujus arti laus illa tributa eſt, ut diceretur, Alexandros eſſe duos, alterum Philippi F. inſuperabilem, Apellis alterum haud imitabilem. *Cic. II. Acad. in Bruto. Plin. XXXV.* 10. *Plutarch. loc. cit.*

XIII.

Ex Franciſco Aliger. Dantis Nepote in Ant. Valentin. p. 60.
Ad Effigiem Regis Mithridatis.

V	V		P	N
R	I		R	V
A	V		A	D
N	E		E	A
I	I		T	H
O	N	M	E	A
S	Q	A	R	E
M	V	N	I	C
A	A	E	T	E
N	M	T	I	F
I	N	I	S	F
L	A	N	H	I
I	M	T	O	G
	H	E	R	I
	A		I	E
	E		S	S
	C			

HAEC EST EFFIGIES REGIS
MAGNI MITHRADATIS DIVI

TIS ET SVMMI PAVPERIS ET
ſic TENVI HIC POSITVM HORARVM
RATIONES REDDERE COGIT
POST OBITVM NVLLVM
TEMPVS HABERE DOCES

1. *Vranios es Manili; vive inquam: nam haec manet in te*
2. *Praeteritis horis nuda haec effigies.*
3. *Haec eſt effigies regis magni Mithradatis.*
4. *Divitis & ſummi, pauperis & tenui.*
5. *Hic poſitum horarum rationes reddere cogit;*
Poſt obitum nullum tempus habere doces.

Franciſcus Aligerius V. C. e ſaxo & quidem integro hoc epigramma exſcripſit, ſed vel poetae, vel marmorarii imperitiam pro epitaphio *monſtrum* feciſſe dolet: quod praeter conſuetudinem tranſverſae ſunt priores litterae, & verſus haud mendis vacant enormibus. At litterarum ordo, bona cum venia dixerim, non monſtrum ſapit: nam poeta de Ponti rege clariſſimo agens, Ponticam ſcribendi rationem eſt imitatus; multa quippe regum Ponti, & Syriae numiſmata ſic ſunt inſcripta, quod apparet etiam in antiquis urbis Baſilicis.

1. Senſus ut habeatur, Aligerius prudenter interpretatur, hunc eſſe dialogum Mithridatis cum marmorario, quaſi rex dicat: tu es Uranius Manilii ſervus aut libertus, qui me ſpirantem e marmore duxiſti: cui reſpondet marmorarius, *vive*, *inquam*, i. e. volo te ſuperſtitem eſſe; nam praeterito vitae tempore haec ſola in te manet vita, nempe haec effigies ſine regia auctoritate, ac patrocinio nuda. Tum ad ſpectatores converſus dicit quae ſequuntur. Primum hunc verſum ſic numera cum Aligerio: *Vrani, esmani, liviv, inquam, nam haec manet, in te*. Veteres enim Latini poetae ſequente vocali collidebant *s*, ficut *h*: nam Ennius in Annalibus

Campos, atrae qua ſe ſubducunt moenia Avellae.

Item Catullus in fine ſui operis:

At fixus noſtris tu dabis ſupplicium.

Vra-

Digitized by Google

Uranios pro Uranius, ut *Divos* pro Divus ſaepe in nummis, & *volt*, *voltis*, *Davos*, pro vult, vultis, Davus apud Plautum & Terentium.

2. Claudicat verſus in *nuda haec*, niſi poeta diphtongum *ae* dividat: diphtongum *ai* Virgilius dividit:

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Sed diphtongus *ae* apud Latinos idoneos nuſquam diviſa occurrit.

3. *Mithradatis* pro Mithridatis ita apud Vaillant. in hiſtoria regum Ponti duo nummi perhibent, in quorum altero caput eſt regis diademate cinctum: ex averſa parte equus alatus paſcens ante aſtrum in luna creſcente cum epigr. ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, & in area ΒΙΣ. id eſt annus aerae Ponti regum 212. regni Eupatoris 29. V. C. 631. In altero nummo eadem ſunt omnia praeter cervum pro equo, & in area ΓΚΣ. i. e. annns 223. in corona hederacea, intercurrentibus uvae botris. Equus, & cervus alati, velocitatis indices, ſunt urbis Amiſi ſymbola, ubi percuſſi nummi. Aelianus VII. refert, Mithridatem ad ſui cuſtodiam ſatellitibus addidiſſe taurum, equum, & cervum manſuefactos, qui eum dormientem, ſiquis accederet, mugitu, hinnituque, & ſuo quiſque modulo excitarent. Aſtrum in luna creſcente denotat ſolem, & lunam praecipua gentium numina, Vaillantio interprete in lib. de Coloniis. Mithridates inſtar Antiochi dictus Eupator, quaſi felix eſſet, ob patris Evergeti ſeu Benefici virtutem. Corona hederacea Liberi patris propria, in nummo adpoſita, quia Mithridates non modo Eupator, ſed & dictus Pater, Conſervator Aſiae, Bromius, Evius, Nyſius, Bacchus. *Cic. pro Flacco*, & *Plutarch I. Symp.* Ceterum Mithradates quoque legitur in Muſeo Capitolino, in vaſe aeneo, Graeci operis elegantiſſimi, effoſſo haud multis abhinc annis in portu Antii: ſed dolendum vehementer, non tam anſas in effodiendo effractas eſſe, quam in manus Cajetanae mulierculae deveniſſe, atque e veſtigio cum cacabo commutatas. Theſaurus ille diu neglectus Antii latuerat in

navali, donec cum Emo Cardinali Alexandro Albano eo profectus Abbas Rodulphinus Venutus, pro antiquitatis peritia, qua nemini ſecundus eſt, rem ſemel vidit ac comprobavit, & auctor fuit monumenti ſane pulcherrimi in Capitolium deferendi, ubi nunc extat non ſine cauſa eruditis memoriam renovans Pompejani triumphi de Mithridate.

4. *Tenui* pro tenuis, ut in ultimo verſu *doces* pro docens.

5. Simulacrum hic poſitum docens nos poſt obitum nullum tempus habere reliquum, cogit rationem reddere horarum, quibus hanc vitam traduximus. Aligerius duas ibi ſententias latere ait, M. Catonis Cenſorii, & Sardanapali, quorum alter docebat, totius vitæ temporis reddendam nobis eſſe rationem; alter animam putans more pecudum interire, dicebat poſt obitum nullam homini eſſe reliquam voluptatem, aut ejus ſenſum. At poeta ex repugnantibus his ſententiis alterutram habuit propoſitam: aut enim cum Catone dixit: poſt mortem nihil reſtat temporis ad comparandam gloriam; tecum igitur tempus computa, eoque, dum tibi eſt integrum, bene utere: aut cum Sardanapalo inſaniens hac concluſione eſt uſus: nullum demortuis eſt tempus reliquum; ergo tecum ipſe nunc horas cogita, ac voluptati, dum licet, & genio indulge, ſecundum illud, quod in ſacris litteris deploratur: *coronemus nos roſis, antequam marceſcant*.

X I V.

Ad Sardanapalis ſepulcrum.

Diodor. Sicul. II. pag. 110.

Ταῦτ' ἔχω ὅσ' ἔφαγον καὶ ἐξύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος
Τέρπν' ἔπαθον· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.

Sic vertit Cicero.

Vid Donian. Inſcr. in Prooem. pag. 79.

Haec habeo, quae edi, quaeque exſaturata libido
Hauſit; at illa jacent pulcra & praeclara relicta.

Laurent. Rhodomanus.

Quae mihi grata fuit gula, amor, petulantia, vivo,
Mortuus haec habeo, bona cetera cuncta reliqui.

Cui

Cui non nota Sardanapali ingluvies & luxuria ? quae eo proceſſit, ut hoc funebre carmen ſibi componeret, & ſepulcro ſuo inſcribendum mandaret: id autem e lingua barbarica in Graecam aliquis vertit. Cum hoc titulo congruit monumenti ornatus: Clearchus enim apud Athenaeum *lib. XII.* Sardanapali ſepulcro inſculptos refert fuiſſe digitos, quorum comploſio, graece ἀποκρότημα, pro laetitiae, aut contemtus indicio habebatur, Strabo *lib. XIV.*, quaſi & quae molliter vivendo geſſerat, laetitiae, & quae moriendo reliquerat, contemtui eſſent regi omnium foediſſimo, qui a Juſtino *lib. I.* dicitur hoc ſolo imitatus virum, quod ab Arbacto victus, extructa incenſaque pyra ſe ſe & divitias ſuas ultro in incendium miſit. De digitorum crepitu vid. *Gutber. de Jur. Man. II.* 16. Sardanapali hic titulus mire congruit cum inſcriptione cujuſdam Epicurei Romae effoſſa. *Don. l. c.*

D M
T. FLAVIVS
MARTIALIS . HIC
SITVS . EST . QVOD . EDI
BIBI . MECVM . HABEO
QVOD . RELIQVI
PERDIDI

XV.

Bononiae. *Montfaucon. Diar. Ital. XX. pag.* 398.

FELSINA SARDINIAE REGEM SIBI VINCLA MINANTEM
VICTRIX CAPTIVVM CONSVLE OVANTE TRAHIT
NEC PATRIS IMPERIO CEDIT NEC CAPITVR AVRO
SIC CANE NON MAGNO SAEPE TENETVR APER

Hentius Sardiniae rex Bononiae, quae clariſſimorum civium ſemper fuit auguſta mater, infeliciter indicto bello, argumentum picturae dedit, quam Montfauconius laudat in palatio Vicelegati Bononienſis.

Addo titulos ſoluta oratione duos a Cl. Abb. Rodulphino Venuto mecum humaniter communicatos, Alexandriae in Aegypto inventos A. D. 1746.

XVI.

XVI.

DEFENSORI . QVIETIS . PVBLICAE
D N HVMANISSIMO
INVICTISSIMOQVE
CONSTANTINO
AETERNO . AVGVSTO
ARRIVS . DIOTIMVS . V. P
NAT. AEG N. M. Q. EIVS
DICATISSIMVS

XVII.

PIISSIMO . ET . FELICISSIMO
D. N. FL. VAL. CONSTANTINO
P. F. INVICTO . AVGVSTO
VAL. EPIFANIVS . V. P. MAG
PRIVAT. AEG. ET . LIB
D. N. M. Q. PIVS

Dicatus numini majeſtatiq. Conſtantini Valerius Epif. vir patricius, magiſter privatarum rationum Aegypti, & Lybiae.

XVIII.

Ex Muſeo March. Locatellii.

HERENNIAE
CVPRISSENIAE
ETRVSCILLAE . AVG.
CONIVGI . D. N. DECI
AVG MATRI . AVGG.
NN. ET . CASTROR.

Emendanda in Murat. *inſcr. tom.* 2. *p.* 1036. *in* 2. *lin.* CVPRESSINIAE, *in* 3. ITRVSCILLAE, *in* 6. CASTRORVM. *In tom.* 2. *Ant. Num. Bibl Vat. p.* 40. *initio*.. ERENNIAE 2. *lin.* CVPRESSENIAE, *in* 3. DECI.

S. P. Q. C. *arſeolanus* ſic Murator. *loc. cit.*

Herennia Decii uxor ſolis antea in nummis nota, mater Auguſtorum noſtrorum Herennii Etruſci, & Hoſtiliani ex hiſt. Zoſimi *lib. I.* contra Spanhemium, Triſtanum, Vaillantium, & Harduinum. Cupriſſenia explicat notas CVP. pro *Cupiennia* falſo intellectas, ubi forte uſurpata v pro Y, ut ſaepe alibi, & in nummo Trajani Decii apud Marchionem Locatellium, cujus eximia laus perhonorificum dat exordium diſſertationi, & finem huic ſecundae claſſi.

SY-

SYNOPSIS.

F*Unus Publicum, quod in collativum, & cenſorium diſtinguitur, magiſtratibus, viriſque ampliſſimis ſtante repub. duntaxat datum, ſecus ſub Caeſarum dominatu.* **Si** *alter conſulum interiret, collegæ in pompam ejus funebrem incumbebat. Quam magnifice egregii viri, tam indecore improbi elati ſunt.* II. *Deſignatoris habitus, tibicinum cornicinumque ſtrepitus, mimorum, libertorum, captivorumque comitatus deſcribitur.* III. *Odorum reliquorumque munerum quanta vis?* IV. *Imagines majorum cereae, quandoque cedrinae in pompa vectae, raro Divorum, nunquam Damnatorum. Qualiter ornatae imagines? cur fumoſae? ubi demortui imago?* V. *De lectulorum copia, illiuſque ſplendore, in quo jacebat mortuus. Quibus geſtandi feretrum, & muſcas abigendi commiſſa cura?* VI. *Cognatorum, clientum, magiſtratuum, ſenatorum, equitum, totiuſque populi comitatus. Aliquando feretrum ſacerdotum collegia anteceſſere.* VII. *Laudationis funebris varia genera commendantur.* VIII. *In urbe haec laudatio ubi habita? a quibus? bonine an mali plus hominibus attulerit?* IX. *Pyrae deſcriptio veteris & recentioris: de cadavere ſupra rogum: variae de amianto opiniones.* X. *Poſtrema cognatorum oſcula, murrata potio, libertorum officia, praeficae carmen, rogi luſtratio & combuſtio, variae victimae, ac oſſilegium.* XI. *Quorundam modeſtia in funere commendatur.* XII. *Multa de ſepulturae loco apud exteros, & Romanos: quis locus omnium hono-*

honoratiſſimus? & quibus datus? XIII. *Sepulcri rationem non cujuſque voluntas, ſed legum ſanctitas moderabatur. Hujus legis violatoribus quae paena indicta? quae citra paenam violatio inventa?* XIV. *Sepulcrorum varia genera recenſentur.* XV. *Hypogaei forma, cellarum diſtinctio, veſtibulum, portae, feneſtrae, lacunaria.* XVI. *Loculorum, urnarumque materia, elegantia, ordo.* XVII. *Inferiae in cryptis ſepulcralibus celebratae.* XVIII. *Diverſa vaſa coquinaria e mortuorum cellis prodita referuntur explicanturque.* XIX. *Aegyptus, Etruria, Latium, praeſertim Roma quam anxie ſuorum imagines in tumulis conſervaret.* XX. *Aeedem imagines in nobilium atriis conſiderantur.* XXI. *Quando nobilis cujuſque imago inter majorum vultus collocaretur?* XXII. *Quandiu cerea nobilitatis inſignia in uſu fuerint?* XXIII. *Veterum ſuperbia in ſtemmate confingendo. Cur Plinius dixerit, ſtatuarum capita permutata?* XXIV. *Virorum illuſtrium imagines in pinacothecis, in annulis, in templis, in locis urbis clariſſimis dedicatae.* XXV. *Imagines cubiculares qua magnitudine, qua materia eſſent, & ubi adſervarentur?* XXVI. *De Clypeis aureis argenteiſque in capitolio & alibi collocatis.*

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Gloria Nobilium Poſtuma.

MARCHIONI

POMPEIO FRANGEPANIO

QUUM primum apud te, Marchio ampliſſime, ab Reineſio didici eruditae antiquitatis interprete conſultiſſimo, Graecam Anthologiam, muſarum opus pretioſum ſatis ac nobile, non aliunde, quam ex litteratis lapidibus doctorum hominum diligentia exſculptam eſſe, tum denique ſperare coepi, non ubique per ora hominum traductum iri opellam hanc, ornatam ſcilicet monumentis ex Graecis pariter ac Latinis anthologiam. In hanc vero ſpem ſi haud fruſtra me adductum ſenſero, plane vides, quantum humanitati debeam atque facilitati tuae. Non modo enim multa mihi volumina benigniſſime commodaſti, verum etiam ad te nullo unquam tempore intercluſum eſſe aditum voluiſti. Beneficentiam hanc porro tuam aſſidue ut colam, & quanti faciam, teſtis eſt in collegio Urbano collega meus, philoſophiae Profeſſor P. Philippus Liperius de Carboneano, doctus in primis vir & ampliſſimis Romae ordinibus probatiſſimus, per quem mihi primum licuit bibliothecam adire tuam, quin iſtuc etiam ventitare. Cur autem non potius dixerim domum tuam, cauſam ii probe intelli-

gunt, qui te intime norunt. Nam domi tuae pars tibi jucundiſſima ceterarum bibliotheca eſt, tuarum eſt illa ocellus aedium, illam quotidie tenes, illa maxime delectaris, quaſi tecum tacite uſurpes, quod ruri Horatius, hic vivo & regno. Pontificiae videlicet militiae dux & Aemilios, & Lucullos, & alia antiquitatis, aetatiſque noſtrae praeclara nomina aemularis, quorum ſcientiam militarem ejuſmodi fuiſſe accepimus, quae ab optimarum laude diſciplinarum non abhorreret, imo ad immortalitatem gloriae comparandam admirabiliter conſpiraret. Quanquam vero ſi aliena tecum exempla conferam, nae ego generi injuriam facio majoribuſque tuis, ex quorum faſtis rerum omnium egregiarum exempla deſumi poſſunt. Sit hoc nobilitatis tuae, laus vero tota eſt illa ingenii ac ſtudii tui, quod avita immortalitatis inſignia tam pulcre renovas tradenda poſteris tuarum acceſſione virtutum illuſtriora. Etenim quae res in gente Frangepania duae plurimum valuerunt, eas in te ambas ſuſpicimus aureo quodam vinculo copulatas, armorum gloriam, & litterarum. Nec, dum hanc vitae inſtitutionem laudo, non multas praeterea ſocias comiteſque virtutes, unde vir probus & juſtus dicitur, in te admiror, in quem gaudeo perbelle cadere elogium illud per ſe magnificum, longe autem magnificentius, ſi Pontificis vere Maximi, ejus qui auctor fuit, nempe Clementis XI. gravitas & ſapientia conſideretur, qui Marium fratrem tuum quum hujus urbis Senatorem deſignaviſſet, dixiſſe fertur, dignitatem abs ſe ampliſſimam delatam eſſe *& ad morum ejus probitatem, & ad gentis nobilitatem*. Iccirco minus interdum mirari ſoleo, iſtius ex virtutis ſplendore, utpote excellenti ac pereximio, eam te fructus magnitudinem aſſequutum eſſe, qua jucun-

jucundiorem amplioremque vix poſſe cupere videare. Nam ſi parentibus nihil uſuvenire jucundius poteſt, quam expreſſam ut in liberis videant imaginem pulcritudinemque virtutis ſuae, hanc tu in Antigono nactus es, praeſertim in Petro Praeſule ornatiſſimo, qui prudentia, integritate, doctrina, fide ceteriſque dotibus, quae potiſſimum in flore aetatis admirabilitatem faciunt, quantum valeat, ſatis judicia probant & graviſſima & maxima, quae de ſe habita ſtrenue ſuſtinet nulli impar oneri, ſibi ubique par. Cardinalis Eccleſiae ampliſſimus, ſacri Collegii princeps, virtute rebuſque geſtis cum omni memoria adaequandus, Thomas Rufus, poſtquam Franciſcus Felix Amadeus, qui vir! qui Praeſul! ſacrae Romanae Rotae Duodecemviris adſcriptus eſt, Auditorem quum quaereret, & gregi ſuo quum optime conſultum vellet, collato in filium tuum tam gravi munere non dubitavit, quin & gloriae ſuae, quae ſemper intaminata effulſit, & illius famae, qui antea id oneris ſuſtinuerat, opportuniſſime provideret. Jam ſi probari a ſummo Principe ſumma laus eſt, non video, quid tibi ad gloriam ſpectabilius optare liceat. Benedictus XIV. P. M. ut graviſſimae juſtitiae partes integerrime exercerentur, anxie laborabat; quumque in ſplendidiſſimis quibuſque Ordinibus circumſpiceret ipſa lumina, Praeſules elegit duos, alterum inſtitutionis gloriam ac diſciplinae tuae, alterum (abſit a verbo invidia) collegii Nazareni decus & ornamentum, Petrum ſcilicet Frangepanium, & Joſephum Locatellium Mediolanenſem, virorum par & probitate optimum & prudentia ſpectatiſſimum. Haec preſſe & obiter commemorando, quod tuae ipſius, quod filii tui detractum laudi ſit a me plurimum, multorum mihi vituperationem vereor, nonnul-

lorum etiam iracundiam; de tua vero ne ſuſpicari quidem in mentem venit. Novi enim humanitatis hoc eſſe proprium atque modeſtiae tuae, ut rationem altera non verborum habeat, ſed animorum, altera laudationem, quo magis incomta eſt, eo minus moleſte ferat. Verum non haec ideo commemoravi, tuis ut laudibus inſervirem, ſed ut obſervantiam in te meam quoquo modo ſignificarem. Haec cauſa fuit, cur tuo nomini inſcribendam exiſtimaverim diſſertationem hanc, ſin minus doctrinae tuae, at nobilitati maxime conſentaneam, quoniam de honoribus res eſt futura, quibus apud veteres poſt interitum viri nobiles & privatim & publice ornabantur.

I. Exequiarum ordo & pompa funebris, cujus ad explicationem accedimus, non qualiſcunque eſt, ſed ampliſſima planeque regia, qualem Spartianus vocat in Opilio Macrino, & Servius interpretatur eam, quam rex Latinus [a] *Felicem* nuncupat. Non ſermo eſt tantum de Funere indictivo, cui opponebatur *Tacitum*, quod laudat Seneca [b], commemoratque Ovidius [c], ſed de Funere indictivo Publico. Etſi omne funus publicum eſſet indictivum, utpote indici ſolitum ſolemni ac trita formula *Ollus letho datus eſt*; tamen non omne indictivum funus erat publicum, quia hoc non ſine SCto ſummis dabatur viris, illud privata etiam auctoritate decernebatur. Hoc porro, de quo nunc agimus, aliud erat Collativum, aliud Cenſorium. Collativum populi Romani pecunia in unum collata viris ampliſſimis indicebatur, ut datum legimus Menenio [d] Agrippae, Valerio [e] Publicolae, Suario [f] Scipioni, Q. [g] Fabio, & nonnunquam captivis regibus, qua-

a *Aen. VII.*
b *De Tranquill. I.*
c *Ovid. I. Faſt. 3.*
d *Liv. II. Plin. H N. XXXIII. 10.*
e *Liv. ibid.* f *Plin. H. N. XXI. 3.*
g *Val. Max. V. 2.*

qualis honor teſte Valerio Max. Syphaci, & Perſeo datus eſt. Quod autem Romae, idem in municipiis quoque obtinuiſſe antiquis lapidibus edocemur. Celebrior pompa fuit legatis, aut magiſtratibus conceſſa, qui ſanguinem pro patria profudiſſent: hac de cauſa Cicero SCta recitat in Philippicis IX. & XIV., quae conſuetudo deinceps fuit propter legatorum multitudinem [a] antiquata. Si alter conſulum interiret, ſuperſtitem in id ſtudium incubuiſſe, ut demortuus honorificentiſſime ſepeliretur, Valerius & Fabius declarant, collegis [b] Bruto, & Decio [c] funeratis quanto licuit apparatu. Quod de conſulibus legimus, idem haud dubius reor, ſi conſilia temporum ſinerent, & de aliis magiſtratibus intelligendum. Funus cenſorium, primum a Tacito uſurpatum [d], omnium fuit ampliſſimum, & interdum SCto a conſulibus, vel praetoribus [e] locabatur pro viris optimis & ſanctiſſimis magiſtratibus, quanquam deinceps ſub Caeſarum dominatu novis etiam hominibus decretum ſit, qualis fuit ille Lucilius Longus, cui in Tiberii favorem hanc pompam ſenatus cenſuit, & effigiem apud [f] forum Auguſti publica pecunia decrevit. At quam magnifice egregii viri, tam indecore ac turpiter, dum reſpub. floruit, improbi & aliquo vitio infames efferebantur, quibus aliquando privati etiam, nedum publici pompa funeris negata eſt, quod prae ceteris illi, qui Atticum heredem dixit, Caecilio contigit: ejus enim cadaver [g] per ſummum dedecus a populo raptum tractumque fuit per vias & compita, quia & ſordidus foenerator extiterat, & Lucullum, cujus ope ad ma-

a *Plutarch. in Cauſſ.*
b *Liv. II. 3.*
c *Idem X. 20.*
d *Hiſt. III.*
e *Guther. II. 2. de Jur. Man.*
f *Tacit IV. Ann.*
g *Val. Max. VII. 8.*

maximas divitias aſcenderat, promiſſa hereditate privaverat.

II. Jam pompae ordo breviter eſt explicandus. Octavo a morte [a] die ſolemnis formula ter diverſis [b] temporibus repetita funus indicebat, [c] convocabatque populum; tum poſt ultimam conclamationem cornibus ac [d] tubis moeſtum clangentibus pompa funebris procedebat, quam vel ex teſtamento, vel ſponte ducebat funeris [e] praeſes ac deſignator, qui non modo [f] praetexta pulla, & ſigno ficus arboris funereae, quam propterea Horatius [g] pullam nuncupat, ſed atris etiam lictoribus [h] utebatur. Funus antecedebant tibicines & cornicines in varios ordines diſtributi, qui per fora & compita intervallis [i] paribus perſonantes excipiebantur a mimis, praeficis, comicis, ſaltatoribus, & libertis Orcinis. Archimimus mortui perſonam fingebat [k] dum mimorum grex *Sicinnam*, i. e. ſaltationem militarem cum aliqua obſcoenitate ſaltabat, ut populum delectaret [l]

Clauſis faucibus, & loquente geſtu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu.

Qui naeniam funebrem laudeſque mortui & egregia decora recenſebat, non ſaltabundus quidem, ut olim, ſed ſtans canebat Phrygio modulo, utpote [m] magis ad moerorem accommodato. Siqui ſervorum a domino vita functo libertate donati fuerant, illi ejus interitum miſerantes pleni lacrymarum mortui lectulum anteibant velatis alba

a *Serv. Aen. VI.*
b *Guther. de Jur. Man. I. 18.*
c *Terent. Phorm. V.*
d *Horat. I. Serm. 6.*
e *Cic. Philipp. II.*
f *Cic. II. de Leg. Quinctil. Decl. VI. Donat. Adelph.*
g *Epod. 16.*
h *Horat. I. 7 Epiſt.*
i *Guther. loc. cit.*
k *Svet. Veſpaſ. 19.*
l *Sidon. XXII.*
m *Alex. Neap. Gen. Dier. III. 7.*

alba lana [a] capitibus, aut pileati a Perſio dicti *induto capite* [b] *heſterni equites*. Quanto hi plures erant, tanto magis in ore omnium [c] verſabatur demortui laus, qui decedens familiam libertatis pretio, quo nihil dulcius, affeciſſet. Obeuntis domini liberalitas nonnunquam aliquod libertati munuſculum adjungebat. Certus deinde modus in ſervis manumittendis eſt conſtitutus lege Fuſia Caninia, quam Juſtinianus ſuſtulit [d] imperavitque, ut ſervi, qui domini funus pileati anteceſſiſſent, ſi id teſtatoris, aut heredis voluntate feciſſent, illico cives Romani eſſent, dicti propterea liberti *Orcini*, ſeu [e] *Charoniani*. Cum [f] libertis nonnunquam ii pariter, qui raſis capitibus triumphantis currum fuerant proſequuti, ejus feretrum praeceſſerunt: ſic Q. Terentius Culleo, qui Scipionem Africanum triumphantem ſequutus fuerat, ejuſdem praeivit feretrum pileatus.

III. Sequebantur hanc turbam ii, qui munera praeferebant, veſtes fulcris, ſilicernii [g] epulas ferculis, unguenta vaſculis, odores [h] lancibus, quorum copiam tantam interdum fuiſſe legimus, ut Arabiam beatam [i] fecerit haec in morte luxuria largiſſime extinctis tribuens, *quae Diis per ſingulas micas dabat*. Huic odorum copiae explicandae ſe imparem profitetur Statius [k] dicens,

quis carmine digno
Exequias & dona malae feralia pompae
Perlegat? omne illic ſtipatum agmine longo
Ver Arabum Cilicumque fluit, floreſque Sabaei
Indo-

a *Idem ibid.*
b *Sat. III.*
c *Alex. Neap. loc. cit.*
d *De Teſt. Manum.*
e *Ibid.*
f *Alex. ab Alex. loc. cit.*
g *Plin. H. N. X. 10.*
h *Propert. II. 13.*
i *Plin. loc. cit. XII. 18.*
k *I. Silv.*

Indorumque arſura ſeges, praereptaque templis
Thura Paleſtinis, ſimul Hebraeique liquores,
Coryciaeque comae, Cynerejaque germina.

Ceteros ut praetermittam, Syllam accepimus [a] vi tanta aromatum fuiſſe a feminis cumulatum, ut praeter illata centum & ducenta fercula, ſtatua ipſius & quidem grandis effiđa fuerit, fiđa etiam lictoris ex pretioſo thure & cinnamomo. Mirari propterea deſino, ſi non deeſſent minuta e plebe homines, qui ſemicremata de rogis thura & cinnama furarentur, quod Martialis garrulitatem acuit in Zoilum: [b]

Unguenta & caſias & olentem funera myrrham
Thuraque de medio ſemicremata rogo,
Et quae de ſtygio rapuiſti cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde ſinu.

IV. Poſt haec munera majorum imagines digeſtis frondibus coronatae, aut haſtis [c] longis, aut vectae curribus procedebant, ſecundum illud: [d]

celſis de more feretris
Procedens priſca exequias decorabat imago.

Hae quidem imagines licet paſſim apud auctores [e] dicantur cereae, tamen Aligerium Cl. Dantis nepotem [f] non ſine veterum teſtimonio ſenſiſſe arbitror, aliquando & cedrinas extitiſſe, ne facile temporum invidiae cederent, quam opinionem ſuſtinere videtur cedri uſus tam Romae antiquus, ut Vitruvius [g] teſtetur cedri oleo fuiſſe illitos Numae libros, ideo ad annos 535. integros duraviſſe: hinc frequens apud poetas eſt illa phraſis *cedro digna loqui*,

ac

a *Plutarch. in vit.*
b *Epigr. XI. 55.*
c *Gutber. loc. cit. 23.*
d *Sil. Italic. X.*
e *Polyb. VI.*
f *Franciſc. Aliger. in Antiquit. Valentin*
g *Vitruv. II. 9. vid. Plin. XII. 13.*

ac prae ceteris Horatius [a] ad deſignandam immortalitatem ait, *ſperamus carmina fingi poſſe linenda cedro*. At ollus letho datus eſt: exequias proſequamur. Semper aliquo vita functo totius [b] aderant cum gentili ſtemmate familiae imagines, neque familiae modo, ſed domorum etiam affinitatis vinculo conjunctarum; ideoque Juniae Caſſii uxori viginti familiarum imagines [c] veluti ſplendoris ac vetuſtatis indicium longo ordine praeceſſerunt. Huc pertinet illud etiam Ciceronis: *Brute quid* [d] *ſedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis?* Ex quo apparet, imagines [e] in nobilium funere, quanquam non publico, ſed ordinario, proceſſiſſe, quale hoc fuit, quod gentilis Brutus non ſequebatur. Eorum imaginibus, qui inter Divos relati eſſent, nullum in hac pompa fuiſſe locum admonere videtur triumvirorum edictum, quo cautum [f] fuit in Julii honorem, poſtquam Diis adſcriptus eſt, ne illius imago in funeribus geſtaretur, ſicut tum pro vetere conſuetudine ſervabatur. At Tiberius in Druſi funere [g] praeter omnes Albanorum reges, & Appium Claudium ceteraſque Appiorum effigies, originem etiam Juliae gentis Aeneam, & Romulum produxit quanto potuit apparatu. Sicut legum ratione habita non intererant huic pompae Divorum vultus, ita nec damnatorum, illi ob reverentiam, hi propter indignitatem: iccirco in funere Juniae Caſſii uxoris imagines Bruti, & Caſſii [h] praeluxiſſe dicuntur eo ipſo, quod minime viderentur. Nam damnatorum vultibus lucem aſpicere non licebat, donec pro-

a *Art. Poet. v. 331. Perſ. Sat. I. v. 42.*
b *Plin. H. N. XXXV. 2.*
c *Tacit. Ann. III.*
d *II. de Orat.*
e *Gutber. loc. cit. 19.*
f *Dio XLVII.*
g *Tacit. ibid.*
h *Tacit. loc. cit.*

cella deſaeviſſet. Hinc Marii imaginem in Juliae uxoris funere Plutarchus delatam ſcribit, poſtquam [a] eandem videbatur ad ſupremi illius diei ſplendorem victoria Syllae abditam tenuiſſe. Ea nobilitatis decora, ſive majorum facies, quaſi reliquo conjunctae corpori, ſuis veſtibus ornabantur, quae magiſtratus, quem quiſque vivus geſſerat, indices eſſent: quare ſi conſularis vir aut praetorius efferretur [b], praetexta, ſi cenſorius, purpurea, ſi triumphalis, auro contexta veſtis adhibebatur. Cum imaginibus faſces, ſecures & reliqua magiſtratuum inſignia, quibus demortuus excelluerat, tum ſpolia hoſtium, vexilla, urbium coronae, ornamenta triumphalia & cetera hujuſmodi, quae pompam funebrem commendarent, publice [c] ferebantur. Quum ergo virorum funera feminarumque illuſtrium totius familiae populus honoraret, hinc cauſa elucet, cur fumoſi eſſent majorum vultus, nimirum ob fumum [d] funeris, non atrii, ubi haec nobilitatis inſignia erant, & pro ſervis ignis accendebatur: licet enim illic imagines adſervarentur, ſolebant tamen in armariis clauſae [e] diligentiſſime ab atrienſibus cuſtodiri. Neque atrium arbitror ideo dictum, quod atrum eſſet, ſed quia primum in uſu fuerit apud antiquiſſimos Etruriae populos Atrienſes. Inter ceteras vero imagines praepoſita thoro effigies eminebat, quae vultum ejus exprimeret [f], qui lugebatur.

V. Ad ampliorem porro magnificentiam multi lectuli pretioſis inſtrati ſtragulis ſplendentibuſque linteis anteibant, quorum numerus Auguſti juſſu in Marcelli [g] funere ad ſexcentos, in Syllae ad ſex millia devenit, quibus Appia-

a *In Vit Syll.*
b *Polyb loc. cit.*
c *Lucan VIII.*
d *Vid Gutber. loc. cit. 21.*
e *Plin. loc. cit.*
f *Tacit III. Ann.*
g *Serv. Aen. VI.*

Digitized by Google

Appianus [a] addit coronas plures, quam bis mille, & alia dona fere innumerabilia a civitatibus, ab amicis, a legionibus collata. Complures lectulos vetabat lex: *pluſa fonera* [b] *unei nei facito, neive plures lectos endoferto*: ſed uti nonnullis aliis, huic quoque legi abrogatum eſſe voluerunt in magno luctu, ut clariſſimis civibus honore, quanto licebat maximo, parentarent, quo reſpexit Virgilius ubi cecinit:

quae Tiberine videbis
Funera, quum tumulum praeterlabere recentem.

Interea mimorum grege, libertis, muneribus, imaginibus ceteriſque hactenus commemoratis longo ordine antecedentibus, tandem demortui lectulus apparebat, alias eburneus [c], alias aureus XII. tabulis [d] vetitus, cui velamen aureum [e] obtendebatur: jacebat autem, inquit Satiricus [f]:

beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis

in praetexta purpurea, togaque ſenatoria, vel conſulari, aut in tunica Jovis, ut ante dixi, quibus inſignibus non ſolum utebantur vivi, ſed cum iis etiam [g] cremabantur mortui. Geſtandi feretrum tametſi ſervis [h] manumiſſis; plerunque tamen propinquioribus virilis ſexus dabatur munus, quare filii tres conſulares, duo triumphales, unus cenſorius, & alter praetor Metelli [i] funus ſubjere: aliquando alienigenae viri ampliſſimi id muneris ſuſceperunt: nam Pauli Aemilii cadaver legati Macedonum [k] extulerunt, vel, ut aliis placet, quotquot [l] forte aderant in

 urbe

a *De Bell. Civil.*
b *Cic. II. de leg.*
c *Propert. II. 15.*
d *Cic. ibid.*
e *S. Hieronym. Epiſt. 28. ad Paul.*
f *Perſ. Sat. III.*
g *Liv. XXXIV.*
h *Perſ. loc. cit.*
i *Paterc. II*
k *Val. Max. II. 10.*
l *Plutarch. in vit.*

urbe Hiſpani, Ligures, Macedones juniores feretro ſubiere, cujus frons triumphis erat Macedonicis exornata. Nec minor fuit gloria Trebii, qui populi [a] Romani humeris in rogum impoſitus eſt. Julium Caeſarem magiſtratus [b]; Germanicum [c] tribuni centurioneſque; Numam, Syllam, Auguſtum [d] ſenatores: Severum imp. [e] conſules extulerunt. Interim vero dum pompa funebris procedebat, puer egregia forma muſcas a cadavere abigebat non thure quidem & funibus huc illuc tractis, ut Accurſius perperam exiſtimavit, ſed pennarum ventilatione, quare in Hetruſcae lacrimis poeta [f] cecinit; *nec modus eſt pennis*. Hoc ventilationis officium fuiſſe antiquiſſimum apud Graecos Homerus docet, a quo ipſa Thetis repraeſentatur a Patrocli [g] cadavere muſcas abigens:

At conabor ego importuna examina muſcas
Arcere: hae comedunt, bello quos eripit hoſtis.

VI. Poſt feretrum non cognati, non neceſſarii, non clientes modo capillo paſſo ac veſte pulla, quorum aliqui, more apud Hebraeos peruſitato, prae doloris impatientia [h] ſcindebant veſtes, ſed ſcribae etiam ac viatores magiſtratibus aderant ac ſenatoribus, qui vultu habituque [i] ad moeſtitiam compoſito, & immutatis [k] annulis, inverſiſque faſcibus incedebant, quare apud Albinovanum dicitur:

Quos primum vidi faſces in funere vidi,
Et vidi everſos.

Nonnullorum autem hanc eſſe opinionem miror, ſenatores

a *Plin. H N. XVIII. 3.*
b *Suet. Jul. 84.*
c *Tacit loc cit.*
d *Plutarch. in vit. Appian. loc. cit. Suet. Aug. 100.*
e *Herodian. IV.*
f *Stat Silv. III Xiphilin. in Pertin.*
g *Iliad. II.*
h *Virgil Aen. V.*
i *Tacit. Annal. III.*
k *Suet. in Aug. & Iſidor. XIX. 32.*

tores & magiſtratus poſitis inſignibus cadaver anteceſſiſſe, quum apud veteres ea lex fuerit, ut praecedente feretro vivi ſequerentur, tanquam haud [a] multo poſt morituri: *funus*, inquit [b] Comicus, *procedit*, *ſequimur*: ubi Donatus, *bene*, ait, *funus procedit*, *nos ſequimur*, *quaſi poſtea morituri*, *unde exequiae dicuntur*. Imperatores quidem, magiſtratus virique illuſtres quotquot ad exequias convenerant, non omnes pompam uſque ad pyram comitabantur, ſed alii ad laudationem tantum, alii ad rogum profecti, conjectis in ignem muneribus diſcedebant, inibi relictis iis, quorum proprium oſſa cinereſque colligere munus erat, ut in Auguſti [c] funere factum eſt. Aliquos etiam prae dolore extra portam exiviſſe, ſed ire lectum juſſiſſe lentius eum animo atque oculis proſequutos poeta cecinit: [d]

Si piguit portas ultra procedere, at illud
Juſſiſſes, lectum lentius ire meum.

Fuerit hoc privati luctus, certe fuere publici, quae ſupra dixi. Senatum interea magiſtratuſque obſoleto veſtitu equites comitabantur, promiſcua in poſtremo agmine populi multitudine confluente; atque hac ratione pompa funebris claudebatur ardentibus paſſim facibus [e] taediſque undique collucentibus, quae ex ſcirpis erant fragilibus paluſtribuſque [f], ac detracto cortice luminibus & funeribus inſerviebant. Aliquando ſacerdotum collegia [g] in veſte pulla feretrum praeceſſerunt, quod in Syllae [h] funere tanquam quid inuſitatum ac ſingulare commemoratur.

VII. Interea vero quacunque pompa tranſiret, lectulo pleri-

a *Toloſan. Syntagm. Jur. univerſ. II.* 14.
b *Terent. in Andr.*
c *Dio LVI.*
d *Propert. IV.*
e *Iſidor. XX Etym.* 10.
f *Plin. H. N. XVI.* 37.
g *Cuper. in Harpocr.*
h *Appian. Alex. loc. cit.*

plerique flores [a] & corollas, nonnulli [b] odores, alii [c] taenias, alii alia dona congerebant, donec ad roſtra ventum eſſet, ubi oratio funebris habebatur. Illuſtrium in virorum funeribus laudationis ritus fuit antiquiſſimus apud gentes, licet varia eſſet ratio commendationis. Nam Aegyptiorum mortuo rege ſacerdos in ſuggeſtu ejus dicta & facta omnia recenſebat, quae ſi laude digna inveniebantur, ſummus erat demortui honor, ſecus vero, ſi vitia [d] praevalebant. Apud Indos extincti vita pro foribus deſcripta [e] exponebatur. Libyci hymnos, & paeana laeta voce cantabant in eorum exequiis, qui aut in venationibus contra elephantos, aut in praeliis [f] occubuerant. Apud Graecos quis primus hoc laudationis genere uti coeperit, incertum eſt, aliis [g] Periclem, Solonem aliis [h] hujus inſtituti auctorem depraedicantibus. Apud Etruſcos in mortuorum laudem non tam fortaſſe orationes, quam academiae haberi publice conſueverunt, ſicut indicat in muſeo Etruſco [i] ſpectatu digniſſimum quoddam marmor, ubi tunicati togatique ſex ſedent viri, quorum aliqui vel clauſum, vel explicatum volumen habent, atque ab his quidem laudes naeniaſque concini, eum vero, qui ſedens in medio geſtus edit, cantorum moderatorem ac principem eſſe dixeris cum Gorio interprete, qui inde [k] arguit Tuſcos ſedentes ſuprema haec officia perſolviſſe. Romae primus omnium Valerius [l] Publicola, mortuo Bruto, poſtremas ejus laudes accurata pro iis temporibus oratione dicitur proſequutus. Hoc inſtitutum in urbe religio-

a *Liv. VII Dionyſ. II. Virgil. V. & Tertull. de Coron. Milit.*
b *Plin. H. N. XXI. 3.*
c *Paſſer. in Acheront*
d *Kircher. Tom. I. Oedip. Aegypt.*
e *Alex. Neap. loc. cit.*
f *Aelian. VIII var. hiſt.*
g *Nicol de Luct. Chriſt XVII. 7.*
h *Alex. Neap. loc. cit.*
i *Volum III. Cl. III. tab. XII. num. 2.*
k *Ibid. pag. 176.*
l *Liv. II. 3.*

gioſiſſime obſervatum eſt, niſi quid aliud conditio temporum orationis loco proponeret, quod raro contigit, imo nunquam, ſi bene memini, praeterquam in funere Julii Caeſaris, in quo M. Antonius pro laudatione per praeconem [a] pronunciavit SCtum, quo omnia ei divina & humana decernebantur, itemque jusjurandum, quo ſe cuncti pro ſalute ejus adſtrinxerant, quibus ipſe verba perpauca dicitur addidiſſe.

VIII. Solebat in urbe oratio funebris haberi a [b] filio, vel a propinquo aliquo, niſi haec cura ex SCto magiſtratibus mandaretur, & Romae id fieri aliquando conſueviſſe Quinctilianus ſcribit, & id factum in municipiis nonnulli lapides palam faciunt. In hujuſmodi laudationibus in primis mortui, tum aliorum etiam, quorum adeſſent [c] imagines, ratio habebatur. Crevit, ut cetera, haec oſtentatio, & duplex in funere haberi oratio coepit Auguſti aetate, qui Octaviam ſororem jam publice ab ſe laudatam juſſit a Druſo [d] iterum commendari: Druſus ipſe bifariam laudatus eſt a Tiberio in foro, ab Auguſto pro roſtris: Auguſtus [e] pro aede D. Julii a Tiberio, pro roſtris veteribus a Druſo Tiberii filio: Antoninus Pius [f] a M. & Lucio Vero, utroque pro roſtris laudatus fuit. Notanda hoc loco pietas Romanorum, apud quos poſtrema hac oratione ii quoque celebrabantur, qui inter reos fuiſſent mortui, necdum, incerta adhuc lite, ab judicibus abſoluti, ut Appio Claudio contigit, cujus extincti [g] laudes tam aequis auribus accepit populus, quam vivi audiverat accuſationem. Ac quod frequenter in praeſens, id olim

a *Suet. Jul.* 84.
b *Polyb. VI.*
c *Polyb. loc. cit.*
d *Dio LIV.*
e *Suet. Aug.* 100.
f *Capitol. in vit.*
g *Liv. II.*

olim etiam non ſemel in more fuit, ut nonnulli orationes recitarent alieno ſtudio elaboratas. Nam P. Tubero Africanum avunculum laudans ſcripto [a] uſus eſt C. Laelii; Serranus [b] Ciceronis, qui aliis recitandas dedit funebres aliorum quoque orationes, uti Porciae, M. Varronis, & Ollii, quas quum emendaſſet relegiſſetque, vix ſibi eas legiſſe credidit. Aliena quoque recitaviſſe haud dubito & Tiberium, & Caligulam, quorum alter [c] novem annos natus patrem, alter [d] adhuc praetextatus proaviam Liviam laudibus extulerunt. Oratio haec funebris quaeri fortaſſe poteſt, bonine an mali plus attuliſſe reipublice videatur? Polybius quidem eſt auctor, juventutem his orationibus provocatam ita ad gloriam fuiſſe, ut [e] nihil non pro reipublicae commodo ferendum ſubiret: ſed, ut ait Livius [f], non parum inde mendacior hiſtoria effecta eſt, ad rem acute dicente Plinio, ſe hiſtoriis delectari, *quaſi funebribus* [g] *laudationibus, ſeris quidem, ſed tanto magis veris*. Haec dum oratio haberetur, opinio eſt a Polybii & Appiani [h] auctoritate minime abhorrens, imagines mortuorum cereas, ejuſque potiſſimum, qui id temporis lugebatur, quibuſdam fuiſſe machinamentis ita in conſpectu ſtatutas omnium, [i] ut hinc inde verſari facile poſſent, quemadmodum ex Appiano diſcimus, Antonium oſtendiſſe populo ſtatuam Caeſaris lecto impoſitam, eo artificio factam, ut verſatilis eſſet, & ſingula Julio inflicta vulnera omnium oculis aperiret.

IX. Oratione habita eodem, quo antea, ordine ad pyram

a *Cic. II. de Orat.*
b *Idem epiſt. ad Attic.*
c *Svet. Tib 6.*
d *Idem Calig. 10.*
e *Polyb. VI.*
f *Liv. VIII in fine.*
g *Epiſt. VIII. 12.*
h *Uterq. loc. cit*
i *Kirchmann. de Fun. II. 18.*

ram procedebatur, quae licet juſſu XII. tab. [a] eſſe deberet ex lignis rudibus & impolitis, fieri tamen poſt heroica Romanorum tempora non ſolum coepit ex dolatis, ſed etiam [b] pictis, & alternatim poſitis, ut facile accenderentur. De ejus altitudine nihil certi conſtitui poteſt: Patrocli rogus ad centum pedes protenſus fuit; Hectori extructus ex immenſa materia; omnium maximum fuiſſe Archemori docet [c] Statius. Conſtruebatur in arae modum nunc quadrangulari, nunc triangulari [d] forma, lateribus aequis, & alta plane inſtar turris, qualis haud raro cernitur in numiſmatibus. Quatuor conſtabat tabulatis, in quorum primo erant ſtramina, quae facile flammam conciperent; in proximo flores; in tertio thura & aromata; in quarto veſtes ex byſſo, purpura, auro argentoque. Placeat audire Statium rem graphice deſcribentem: [e]

ima virent agreſti ſtramina cultu,
Proxima gramineis operoſior area ſertis,
Et picturatus morituris floribus agger:
Tertius aſſurgens Arabum ſtrue tollitur ordo,
Eoas complexus opes incanaque glebis
Thura, & ab antiquo durantia cinnama Belo;
Summa crepant auro, Tyrioque attollitur oſtro
Molle ſupercilium, tereteſque hinc indeque gemmae
Irradiant.

Haec tabulata inſtar phari decreſcentia intus aridis fomitibus [f] oppleri, extra vero intextis auro ſtragulis, atque eburneis ſignis, & variis quoque picturis nonnunquam exornabantur. Certis demum gradibus atque januis pyra diſtinguebatur: *Virgil. Aen. IV.*

a *Cic. de leg. II 23.*
b *Plin. H. N. XXXV. 7.*
c *Thebaid. VI.*
d *Herodian. IV.*
e *Silv. VI*
f *Herodian. ibid.*

gradus evaſerat altos
Semianimemque ſinu germanam amplexa fovebat:

Supra pyram velum expandebatur circumſtantibus fortaſſe trabibus ſuſtentatum, ut cadaveris integritati conſuleretur: ita Patrocli cadaver Deorum beneficio defenſum fingitur immiſſa nube, quae pro umbraculo deſerviret:

Huic nigram nubem induxit divinus Apollo,
Quantum occupabat cadaver, ne prius vis ſolis
Siccaret circumcirca corpus & nervos & membra.

Ad rogum uſtores [a] cadaver Aligerio interprete palmata tunica nudabant (ſecus ait Livius num. V.) & ejus loco tunicam induebant aſſueſtino confectam lino, cui ea erat vis, ut combuſto cadavere integra [b] remaneret, reliquaſque corporis favillas ſervaret a rogi cineribus inviolatas. Hanc opinionem etſi refellit cura veterum in legendis oſſibus ac cineribus, uti animadvertit Riccius [c]: tamen Mahudelo [d] quicquid de amianto ſcribitur eſſe fabulam opinanti aſſentire me prohibet urna ſepulcralis in bibliotheca Vaticana, ubi linteum ſervatur integrum ex eo lapide nunc in Italia obvio, quem neſcio quis nullo veterum teſtimonio ait pluris olim, quam gemmas, habitum: non id facile affirmaverim. Texendae illius telae ars refloruit in Academia phyſicomathematica apud Cl. Praeſulem Ciampinium.

X. Mortuo in rogum illato officium a [e] conſanguineis praeſtabatur ungendi oſculandique, tum murrata potio XII. tab. vetita, tanquam [f] coena noviſſima indebatur, quaſi mortuo in caelum aditus aperiretur: nam Diis ad pulvinaria murrata potio diebus [g] ſolemnibus apponebatur. In-

a *Aliger. Antiq. Valent.*
b *Plin. H. N. XXXVI. 19.*
c *Diſſert. Homeric. XLIII.*
d *Diſſ. Gall. monum. Inſcr. T. VII.*
e *Val. Max. IV. 6.*
f *Guther. I 25.*
g *Feſt. ad verb. Murrata.*

Indita hac potione oculi mortuo aperiebantur, ac deſcendebant e rogo conſanguinei: liberti interea dona veſteſque Attalicas [a] diſponebant, tum populi [b] multitudo, & aliquando ipſi quoque pontifices [c] rogum ambiendo luſtrabant ſulphure taediſque accenſis, quibus manes maxime placari [d] arbitrabantur:

Umbra venit, cuperent luſtrari ſiqua darentur
Sulphura cum thaedis.

Poſt luſtrationem praefica lamentabili [e] carmine populum ad lacrimas provocante, pyra averſo vultu a conſanguineis, vel amicis, aut SCto a magiſtratibus, & aliquanda a [f] conſulibus accendebatur: poſtea in rogum munera conjiciebantur, quibus deferendis interdum [g] ſatis eſſe vix dies potuit. In rogum munera quum funderentur, boves variaeque [h] victimae mactabantur, nec aliquando humano ſanguini parcebatur, captivorum praeſertim ac ſervorum [i] malo pravoque ingenio: his peractis uſtores coenam in rogum Diis manibus ingerebant, tum qui buſtum per noctem ſervarent, praeficiebantur, ac demum redeundi domum cuique libera facultas erat. Poſtridie ejus diei gallinicio [k] collectas reliquias in urnam conjiciebant plerunque marmoream, quandoque argenteam, nonnunquam auream, quod Arippina in Germanici, & alii in aliorum funere factitarunt. Ad ea, quae funus virorum principum commendabant, nunc addere convivium lautiſſimum, & populo data munera, ludoſque funebres oporteret: ſed de his dicendi occaſio erit alibi opportunior.

a *Propert. III. 18.*
b *Guther. loc. cit.*
c *Dio ibid.*
d *Juvenal. Sat. II. 157.*
e *Alex. Neap. ibid.*
f *Dio loc. cit.*
g *Suet. Jul 84.*
h *Virg. Aen. XI.*
i *Serv. ibid.*
k *Aliger. loc. cit.*

Digitized by Google

XI. Laus hic danda viris ampliſſimis, qui ſingulari modeſtia praediti omnem ſibi funebrem pompam interdictam eſſe voluerunt, indictivo nimirum funeri tacitum anteponentes quammaxime ab eorum inſania abhorruerunt, qui ſupra modum ſoliciti de pompa funebri ſplendidiſſima non praeſentes modo, ſed & amicos, aut clientes, aut liberos, qui peregre forte aberant, aut extra Romam domicilium habebant, ad poſtrema haec ſibi ſolvenda officia legato aliquo [a] invitabant. Fuit ab hac ſuperbia, vel potius dementia vacuus ille M. Aemilius Lepidus, princeps ſenatus, qui ſine linteis, ſine purpura, ſine tibicine ac praeficis fieri ſibi funus decedens juſſit: item Pomponius Atticus elatus eſt in lecticula, ut ipſe praeſcripſerat, ſine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis & maxima vulgi frequentia, ut tradit in ejus vita Cornelius Nepos. Annaeus Seneca ita, ut codicillis juſſerat, ſine ullo funeris [b] apparatu crematus eſt: Otho quoque imperator celeriter & parvo cultu [c] ſeſe voluit funerari: Julius Frontinus non exequias tantum ſplendidas, ſed & monumentum ſibi omnino fieri vetuit, additis etiam his verbis Romanae gravitatis pleniſſimis: *impenſa monumenti* [d] *ſupervacanea eſt: memoria noſtra durabit, ſi vitam meruimus*. M. Varro more Pythagorico in myrti & oleae foliis, in [e] urna fictili poſitus eſt, ſicut in amphoris quoque reconditos olim heroum cineres Homerus [f] ſcribit, defixa ad eorum tumulos columella. Exinde apparet, Romanos ſaepenumero conſueviſſe, quum decederent, aut teſtamentum facerent, modum praeſcribere ſui funeris & apparatum; quod liquido Auguſti Caeſaris exem-

plo

a *Valens in l. ſi tibi de Legat. 3.*
b *Tacit. Ann. IV.*
c *Svet. in vit.*
d *Dio V.*
e *Vitruv. VIII.*
f *Iliad. XVII.*

plo conſtat, qui *mandata* [a] *de funere ſuo*, *uno volumine complexus eſt*. Ceterum veteres Romani heroes, ut de Tuſcis ait praeclare [b] Gorius, ſicut in vita, ſic poſt mortem contenti fuere urnis [c] olliſque fictilibus, quum Deos viderent nec fictiles effigies ſuas, nec ornamenta in templorum faſtigiis fictilia aſpernari, ſed & in ſacrificiis pateras ac ſympuvia capedineſque & cetera ſacra vaſcula, fictilia omnia acceptiſſima habere & jucundiſſima. Romanis, qui ſepulcralem pompam neglexerunt, niſi Xenophontis Cyropoedia inter romanenſes fabulas recenſeretur addendus eſſet Cyrus, qui corpus ſuum noluiſſe dicitur [d] neque in auro condi, neque in argento, ſed terrae reddi, nihil beatius eſſe exiſtimans, quam terrae miſceri, quippe quae bona omnia gignat enutriatque.

XII. Ad ſepulcri locum venio, qui bonis & fortibus civibus ac de repub. bene meritis tanquam quid ſingulare a ſenatu decernebatur. Olim quidem heroum cineres in montibus [e] condebantur, atque inde ſacri cultus in montibus origo fuit, quoniam illic data heroibus ſepultura. Neque ab eo ritu abhorruerunt Iſraelitae: nam & Aaron in monte Hur, & Joſue in Ephraim ſepulti ſunt, de quo inſtituto plura ſcire cupientibus praeſto adeſt Zornii [f] bibliotheca. Romani, quos Caſcas appellat Ennius, tam in urbe, quam extra ſepeliebantur: ſed Cn. Duillio, & C. Lutatio Coſſ. id fieri deſitum eſt, ac, ne quis intra pomoerium ſepeliretur, ſenatus cenſuit, a quo viris ampliſſimis ſepulcri locus decerni coepit. Quanquam vero ſtatuae multis decretae fuerint, ſepultura tamen [g] eſt data

a *Svet. Aug. cap. ult.*
b *Muſ. Etr. Tom. III. Diſſ. III. p. 117.*
c *Plin. H. N. XXXV. 12.*
d *Xenoph. de Cyr. VIII.*
e *Virgil. Aen. XI. 849.*
f *pag. 603.*
g *Cic. Philipp. X.*

Digitized by Google

data paucis; ideoque quum Dio multos commemoret ab Auguſto ſepultura publica honoratos, nonnulli prudenter putant, Dionem non de ſepulturae loco, ſed de funere publico intelligendum. Is vero locus, ut Romae SCto, ita in municipiis Decurionum decreto dari ſolebat: frequenter enim in lapidibus adſunt hae notae L. D. D. D. i. e. locus decurionum decreto datus: nec locus tantum, ſed illius etiam menſura ac modus definiebatur. Cicero enim [a] ſcribit, ubi actum eſt in ſenatu de Sulpicii funere, decretum eſſe, ut XXX. pedes quoquoverſus darentur. In provinciis aliquando & impenſa funeris, & ſepulturae & ſtatuae locus decernebatur, ut idem teſtatur Cicero [b] de Caſtritii funere verba faciens, cujus cadaver inquit & corona aurea honoratum, & ab ephebis intra oppidum praeter conſuetudinem delatum eſſe, quae P. Scipioni, quum eſſet Pergami mortuus, facta non ſunt. Romae quidem ſepulcri locus omnium honoratiſſimus erat in campo Martio, nemini ſine SCto concedi ſolitus, raro primis ſeculis, ſaepius poſterioribus, ut argui ex Silio Italico non obſcure licet: [c]

Quantos funeribus veſtris gens Itala paſſim
Dat gemitus! tumulus vobis cenſente Senatu
Mavortis geminus ſurgit per gramina campo

Interdum etiam in campo Eſquilino hic honor datus eſt, ut Serv. Sulpicio [d] in legatione mortuo ejuſque liberis, totique poſteritati. In ipſa quoque urbe egregii virtute homines vel ante XII. tabulas, ut Publicola, ut Tudertus, vel ſoluti legibus, ut C. Fabricius [e] ſepulturae locum habuerunt, itemque auctore Feſto gens [f] Cincia, & Clau-

a *Idem Philipp. IX.*
b *Idem pro Flacco.*
c *Lib. XIII. v. 658.*
d *Cic. Phil IX.*
e *Idem de Leg. II. 23.*
f *Svet. Tib. I.*

Claudia: tum ſacrae [a] virgines, virique [b] triumphales, atque imperatores, quorum primus id aſſequutus eſt Trajanus, cujus cineres in urna aurea [c] in ejus foro collocati ſunt, columna ibi poſita ad altitudinem ped. CXLIV. Fabricii ſtirpem Plutarchus ſcribit contentam fuiſſe honore, & cadaveri in forum delato ſubjeciſſe facem, qua mox retracta inde auferre mortuum conſueviſſe, quod & in vita Val. Publicolae memoratur.

XIII. Sepulcri rationem non uniuſcujuſque arbitrium, ſed legum ſanctitas moderabatur, ideo Tullius [d] ubi de ſumtu in ollos minuendo agit, in primis ait ſepulcrorum magnificentiam eſſe legibus definitam. Servius [e] hoc ita ſervatum putat, ut pro cujuſque conditione & amplitudine ſepulcra vel majora fierent, vel minora. Jure Fabrettus [f] arguit Kirchmannum, tametſi eruditiſſimum, perperam opinatum, certis quidem legibus ſepulcrorum amplitudinem [g] Athenis fuiſſe inhibitam, Romae vero cujuſque in arbitrio fuiſſe poſitam. Nam cetera ut miſſa faciam, quae ibidem Fabrettus in medium profert, contrarium aperte colligitur ex Cicerone legum Romanarum peritiſſimo, qui [h] etſi legis verba ab Attico exquirit, ejus tamen legis ſententiam ſummatim attingens inquit: *quo plus inſumtum in monumentum eſſet, quam neſcio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum eſſe.* Quam ſane legem ut ipſe eluderet, ab epiſtola 19. & praeſertim 35. lib. XII. uſque ad finem Atticum conſulit de ſepulcro Tulliolae ad fani ſimilitudinem aedificando. Atque haec legis ludificatio, de qua Tullius cogitabat, quam fre-

a *Dionyſ. XI.*
b *Plutarch. in Cauſſ.*
c *Eutrop. VIII.*
d *Cic. loc. cit.*
e *Ad Aen. VI. 226.*
f *Ant. Inſcr. III p. 205.*
g *De Fun. Rom. III. 16.*
h *Ep. ad Att. XII. 34.*

frequenter uſuvenerit, permulta in agro Romano & ſplendidiſſima quidem monumenta oſtendunt ſuperne fani ſpeciem praeſeferentia, quorum in hypogaeo, ſpecu ſcilicet ſubterranea, tumuli & loculi abſconditi reperiuntur. Ac certe fani ſpeciem [a] oſtentant ſepulcra Caeciliae Metellae in via Appia, C. Ceſtii Epulonis in Oſtienſi, C. Publicii Bibuli ſub Capitolio, Plautiorum in via Tiburtina, gentis Ruſticelliae ſub Doliolo monte. Magnifica haec monumenta, quae templa referebant, ΗΡΩΙΑ [b] a Graecis, id eſt *Heroa* appellabantur. Supra hypogaeum non modo armaria, coenacula, aras, verum etiam Deorum ſigna ac ſimulacra & familiae Genios extitiſſe, alia ſi marmora negligantur, unus apud Reineſium [c] lapis apertum facit. Atque in hac re, quanta veterum dementia fuerit, ex muſeo Veronenſi accipe, ubi in funereo monumento pag. LXXXVII. aedicula conſtructa legitur derididiculo illi nefandoque Priapi monſtro. Illae igitur inſaniſſimae ſubſtructiones non tam ſepulcra erant, quam delubra Deorum, quibus erant quandoque addicta & ſacra propria, & proprii [d] ſacerdotes, atque ut nihil magnificentiae deeſſet, praeter columnas ac cetera ornamenta, inibi fuiſſe legimus lucos, viridaria, bibliothecas, quae ſi omnia ſupereſſent, nihil certe ſpectabilius aut magnificentius optaremus.

XIV. Sepulcrorum, quae viris illuſtribus parabantur, extitit forma multiplex & varium genus, nec de Romanis minus, quam de Graecis hoc dictum volo. Licet enim in ſuis legibus caviſſet Plato, ne ſepulcrum altius extrueretur, quam quod quinque homines [e] quinque diebus

a *Fabrett. Ant. Inſcr. III. p. 20?.*
b *Dio lib. LVII. ſub fin. vid. Muſ. Veron. pag. XVI. & in Not p. XIX.*
c *Cl. I. 240.*
d *Aliger. loc. cit.*
e *Cic. II. de leg.*

bus abſolverent, nec plus e lapide imponeretur, quam quod mortui laudem caperet quatuor heroicis verſibus, quos longos appellat Ennius, comprehenſam; tamen ſepulcra nunc *Heroa*, nunc *Muſea* [a] Graecis in lapidibus nuncupata dubitari omnino prohibent, quin Lycurgi, ac Platonis moderationi, ſicut in ceteris, ita in hoc aedificiorum genere derogatum exiſtimemus. Romae quidem, ſi ſuperſtites majeſtatis latinae reliquias ſpectes, tria potiſſimum ſepulcrorum, quae omnium judicio excellerent, genera fuiſſe apparet, *Metam* videlicet, *Molem*, *Cippum*. Metam quadrato ex lapide Tiburtino ad portam trigeminam ſplendidiſſime extructam cernimus. Molem Hadriani principis, de qua dictum eſt obiter in antecedenti diſſertatione, qualis & quanta fuerit, ejus ex reliquiis demonſtratur. Metellorum cippus ad ſecundum ab urbe lapidem omnium in ſe oculos admirationemque convertit, forma rotunda magnifice extructus, & Caeciliae Metellae Q. Metelli Cretici filiae, uxoris Craſſi inſcriptione clarus, cui nunc *Capiti Bubulo* nomen eſt ob inſculptum caput bubulum & inſignia Cajetanorum, qui forſan infeliciſſimis iis temporibus, quum familiae nobilium Romanorum in factiones diviſae ſolebant loca urbi proxima in tutelam partium communire, ſepulcrum [b] illud in arcem commutaverunt. Quae ab Herodiano [c] βασιλέων ἱερὰ μνήματα, proprie mauſolea a Mauſolo [d] rege Cariae nuncupata ſunt, tametſi ſupra dixerim exterorum regum fuiſſe propria, teſtante id praeſertim Floro [e], qui Cleopatram narrat in mauſoleum ſe recepiſſe, & maximo, ut ſolebat, indutam cultu in diffuſo odoribus ſolio juxta ſuum ſe Antonium

 col-

a *Dio & Muſ. Veronenſ. loc. cit.*
b *Vid. Nardin. Rom. vet. III. 3.*
c *Lib. IV.*
d *Cic. III. Tuſcul. Val. Max. IV. 6. A. Gell. X. 13.*
e *Lib. IV.*

collocaviſſe: tamen non Auguſti modo, ſed privati etiam regiam magnificentiam aemulati ſunt ampliſſimis ſibi conditis mauſoleis, quorum claves penes aliquem libertorum & curatorem erant, quaeque nunc *maeſolea* [a], nunc *meſoleos* [b] poſteriora ſecula nuncuparunt. Hoc ſane nomen, ſi, quorum adhuc reliqua veſtigia ſunt, ſepulcra ſpectes, tum ſupradictis convenit, tum monumento familiae Aruntiae in via [c] Praeneſtina, ac L. Canuleji [d] magiſtratibus & ſacerdotiis celeberrimi, cujus ſepulcrum in via Caſſia prope Vulſinium Cl. Abbas Adamus tradit ſe vidiſſe [e] illi omnino par, quod in coemeterio Praetextati deſcribit eruditiſſimus Canonicus [f] Boldettus, ſimillimum ſcilicet templo Pantheon, ſi columnas Corinthias & coronam interiorem demas, poſterioris aevi additamentum. Aedificia id genus erant plerunque marmoribus incruſtata, multo intus, quam foris, & pretioſioribus & elegantius elaboratis: quandoque tantum ex terra coctili facies conſtabat extima, quam undique coronae ornabant magnis ex imbricibus invicem ſuperimpoſitis, & poſtea [g], quaſi unum & integrum eſſent corpus, accurata non caelatura quidem, ſed ſculptura diſtinctis; ita pro diſcrimine loquor, quod artem inter utranque Manutius [h] ſtatuit, ut caelato in opere eminentes, depreſſae in ſculpto imagines videantur. De ſepulcrali hoc ſplendore notare juvat, quod in Etruria non ſolum gentes quaeque clariſſimae ſepulcra habebant nobilitati & amplitudini conſentanea, quorum bene multorum ichnographia in muſeo Etruſco perbelle ni-

tet,

a *Grut. pag. CCCCXCVI. 7.*

b *Ibid. pag DLVI. 2.*

c *P. Eſchinard. de Agro Rom. cap. VIII. edit. Romae hoc anno.*

d *Fabrett. Inſcr. pag. 755. Abb. Adam. Hiſt. Vulſin. lib. IV. pag. 138. & ſeqq.*

e *Vid. loc. cit.*

f *Lib. I. 4.*

g *P. Eſchinard. loc. cit.*

h *Vid. Quaeſit. per epiſt. lib. II. ep. 9.*

tet, verum etiam magiſtratibus & collegiis ſplendidioribus praecipua fuiſſe monumenta Paſſerius [a] putat, neque dubitat, quin Lucumones illi ac Suffetes, quorum imperio res Etruſca gubernabatur, magnificentioribus recondi tumulis ac dignitati paribus conſueverint. Cuiquam porro mirum non eſt, ſi veteres tam ſolicite tum ſepulcra conderent, tum picturis ac ſtatuis, de quibus multa Bonarrotius, Demſterus, Gorius, exornarent. Nam Aegyptii, qui auctores ſuperſtitionum principes extiterunt, domicilia viventium pro *Diverſoriis* [b] habebant, mortuorum vero ſepulcra *Domos aeternas*, ut ſaepe in Romanis lapidibus, nominabant; exemplo eſt paedagogus ille, qui in *II. vol. Cl. VII.* lepidiſſimis hendecaſyllabis ſic puerum alloquitur:

HAEC SVNT PARVE TVAE MEAEQVE SEDES
HAEC CERTA EST DOMVS HAEC COLENDA NOBIS
HAEC EST QVAM MIHI SVSCITAVI VIVVS

Iccirco veteres minus erant anxii de domibus, quam de tumulis exornandis, quam profecto curam, ſiquae alia, tacite inſcriptio docet L. Canuleji modo commemorati,

ET TIBI
L. CANVLEIVS
FVNVS . FECIT
SIBI
SE VIVO
ET TV

Cl. Fabrettus [c] rei novitatem miratus haeſit ad haec verba FVNVS FECIT SIBI, laudavitque Carolum V. facto

Ff 2 ſibi

a *De Priv. Sepulcr. in Muſ. Etr. Tom. III.*

b *Diodor. Sicul. I. Biblioth.*

c *Loc. cit.*

ſibi funere ſingularem. Sed Abbas Adamus omnem faceſſere dubitationem jubet, quippe qui funeris nomine quicquid ad noviſſimos honores ſpectat, prudentiſſime interpretatur: in iis autem verbis ET -- TIBI, ET -- TV dialogum ineſſe mortui cum viatore putat, ita ut hic illi de more dicat *& tibi ſit terra levis*, ille huic reſpondeat *& tu valeas*. Perbelle quidem: mihi vero magis ea interpretatio arridet, mortui nempe ad unumquenque viatorum admonitionem inibi contineri, quaſi Canulejus hoc ſpectatori inculcet *& tibi & tu ſepulcrum pares* neque habeas heredi fidem. Quanquam enim lapides, quorum nonnullos Kirchmannus [a] laudat, heredes non defuiſſe probant, qui teſtatorum voluntati aut paruerint, aut eam etiam largitate vicerint, permultos tamen ingratiſſimos extitiſſe Plinius in epiſtolis non tam depraedicat, quam deplorat.

XV. Ethnicorum cura fuit plane maxima in hypogaeo, cujus formam ac partes libet paululum obſervare. Sepulcrales cryptae non paucis etiam ante Chriſtum ſeculis aedificatae, uti conjicit ex ſtructura [b] Gorius, haud raro Crucis formam imitabantur, more ab Aegyptiis derivato, qui inter ſacros characteres habebant Tauticum ad Crucis [c] ſpeciem efformatum, quem veluti ſignum ſalutiferum in Deorum manibus apponebant, teſtantibus obeliſcis [d] & aliis hujuſmodi monumentis. Etenim in muſeo capitolino idolum Aegyptium litteram Tauticam dextra praefert, & Olaus Borrichius [e] in Iſidis templo inventum ſcribit Serapidis ſimulacrum ſiniſtra geſtans eandem

a *De Fun. Rom. lib. IV.*
b *Muſ. Etr. Tom. III Diſſ. II. p. 85.*
c *Sozomen. Eccleſ. Hiſt. VII. 15. & Socrat. Hiſt. IX. & Pignor. in Menſ. Iſiac.*
d *Kircher. II. 29. Gor. ibid.*
e *De Antiq. urb. Rom. Facie XIV.*

dem litteram, quae Socratis, & Sozomeni teſtimonio apud Aegyptios ſignificabat vitam venturam. Hypogei oſtium tum Romae, tum in Etruria [a] plerunque meridiem ſpectabat, aliquando [b] occidentem. Feneſtrae exiguum habebant hiatum, & extrorſum anguſtae erant, introrſum vero [c] latiores. Cellarum lacunaria purpureo, viridi, flavo, caeruleo aliiſque coloribus illita non mediocrem afferebant intuentibus voluptatem, &, quod caput eſt, eae picturae pulcritudinem & elegantiam uſque ad aetatem noſtram ſervavere integram illaeſamque, quanquam poſtea detecto apertoque ſepulcro colores quidem aliquandiu vividi permanſerunt, ſed in dies magis magiſque evanuere. Inter haſce delicias loculi ſepulcrales in lapideis parietibus, & triplici plerunque ordine, more ab Aegyptiis accepto, ac Romae quoque in Sanctorum [d] Martyrum coemeteriis uſitato, exciſi erant ad integra recondenda cadavera conſuetudine omnium vetuſtiſſima. Poſtquam vero, ne hoſtibus ludibrio eſſent, atque ut malus odor ex puticulis evitaretur, mos obtinuit cadavera comburendi circa finem reipublicae, tum urnis primo aevo lapideis, deinde marmoreis vel ipſi cineres, vel cadavera commiſſa ſunt: ſemper enim viguit (fruſtra nonnullis ſecus exiſtimantibus) utraque conſuetudo, fidem facientibus Bonarrotio [e], & Fabretto, & aliis, qui in potentiorum ſepulcris & urnulas cum cineribus, & ſarcophagos integris cum cadaveribus repererunt etiam poſt Syllam, quem aliqui perperam primum in urbe combuſtum ferunt, ut talionem fugeret ob Marii cadaver erutum: nam is primus combuſtus

a *Gor. ad Columbar. Lib. & Serv. Liv. Aug.*

b *Muſ. Etr. Tom. III. Diſſ. II. p 85.*

c *Part. I. Inſcr. Ant. Etrur. & Muſ. Etr. loc. cit.*

d *Bonarrot in Append. ad op. Demſter.*

e *Bonarrot. loc. cit. Fabrett. Ant. Inſcr.*

ſtus dicitur [a] in Cornelia familia, non primus Romae. Si in aediculis, aut tribunis, vel ſoliis, quo facile pateret aditus, hae urnae collocarentur, tum laminulis aereis, illato [b] cadavere claudebantur, quod nuſquam in Etruria ſe Gorius vidiſſe meminit. Primoribus ſeculis virorum etiam clariſſimorum cineres, aut cadavera in urnis nunc fictilibus, nunc ex lapide Tiburtino, addito tantum demortui nomine, [c] condebantur; ſed veterum ſimplex ille & parſimoniae plenus ſepeliendi ritus in puerilem deinceps abiit magnificentiae luxum, & in eam levitatis pleniſſimam ambitionem, ut urnae tum pretioſiſſimae, tum multis inſcriptae laudibus ac variis parergis circumornatae adhiberentur. Etruſci ſumma quidem brevitate ſepulcralibus in inſcriptionibus utebantur, ac ſolum praenomen, nomen, cognomen, aetatiſque annos, ac poſteriore aetate etiam Tribum adnotabant, praeterea nihil; ſed notas litterarum majores aereas & inauratas marmoribus adfigebant [d].

XVI. Sepulcra nobilium ſplendidiora pluribus conſtabant cellis, ſive cryptis, & ex iis una interior erat, quae omnium ornatiſſima gradus aut ſcamna habebat e naturali topho, aut ſtructili opera, nunc duplici, nunc triplici circum ordine collocata. Doctorum [e] opinio eſt, in ſuperiore ſcamno ſepulcrales urnas habuiſſe locum, in imo mortuorum affines in celebrandis ſacris anniverſariis, habendiſque precationibus conſediſſe. Veriſſimum hoc quidem, ſi ſepulcrum in diverſas cryptas minime diſtinctum eſſet. Secus enim, ubi multae adeſſent cryptae, cella

a *Plin. H. N. VII. 54.*
b *Muſ Etr. Tom III. p. 116.*
c *Gor. ibid. pag. 141 vid. Paſſer. de Tegul & Scip. Maff. in Epiſt. Litt.*
d *Leo Bapt. Albert. de re Aedific. VIII. 3.*
e *Bonarrot. ad Demſter. § XXVI. & Gor. loc. cit. p. 93. & p. 125.*

cella interior erat pura, ſedilia vero erant poſita ut propinqui illic conſidentes vel bona mortuis precarentur, vel ſilicernia celebrarent, idque in via Appia ſeſe Paſſerius vidiſſe [a] inquit in Columbario elegantiſſimo, ubi cella erat pura undique ſedilibus circumſepta. Non enim ſtantes, ſed ſedentes antiqui mortuos venerabantur, quaſi eorum quietem cum piorum conſortio placidiſſimam repraeſentarent. Neque obſtat, quod iis in ſedilibus urnae inventae ſint: nam malae mentis homines auri divitiarumque conquiſitores eas loco fortaſſe cedere juſſiſſe docto cum Paſſerio opinor. Ornatiſſimam praeterea cellam non ollis cinerariis, ſed ſacris fuiſſe annuis deſtinatam hinc [b] viri ad inveſtigandum diligentiſſimi ſuſpicantur, quod inter picturas haberet cardines & clavos, quibus encarpi, corollae, candelabra, lumina, faces & alia donaria fere innumera, praeſertim lampades nunc aureae, nunc argenteae Diis Manibus dedicatae ſuſpenderentur a mortuorum affinibus & conſanguineis, qui illuc ſtatis temporibus convenirent ad inferias celebrandas. Praeter hanc cellam interiorem in ſepulcris magnificentioribus erat aliquando exterior quoque cella veſtibuli locum tenens, ubi, veluti apparet in ſepulcrali crypta prope antiquum [c] Cornetum inventa, parietes egregio opere picti exhibebant mortuorum imagines, quaſi Deorum conſortio perfruentes, adſtantibus hinc inde Geniis, pendentibuſque ſuperne vittis, tanquam immortalitatis inſignibus. Ad caput imaginum litterae Etruſcae cujuſque nomina deſignabant. Viri nudo corpore, velo aerii coloris ex humeris pendente, aviculas aut citharam gerebant, aut vaſculo arbuſculum irri-

a *In Muſ. Etr. Tom. III. pag. 104. de priv. aedif. p. 102. Muſ. Etr. Tom III.*

b *Gor. loc. cit. p. 85. & Paſſer. ſaepe in Epiſt. Roncalienſ. & Diſſ. II.*

c *Gor. ibid.*

irrigabant, ita inter myrteta & viridaria colludentes, ut ſaltationem agere & Elyſiorum repraeſentare ſolatia viderentur. Elegantiſſima haec veteris picturae decora tam alibi, ſi in lucem veniant, mutationi obnoxia, imo ad interitum prona, ſandarachae cujuſdam ope Neapoli diuturnitatem induunt, ita ut quicquid lautitiarum id genus inter pretioſa Herculani rudera invenitur, pulcherrimum ſui ſpectaculum faciat in regia pinacotheca, quaſi artibus ſatagentibus de referenda gratia magno utriuſque Siciliae Regi, cujus ſumtus plane maximos & vere regios admiramur in antiquitatis deliciis perveſtigandis adſervandiſque.

XVII. Inferiae & ſacra annua, quorum, ut dixi, interior cella ceterarum ornatiſſima ſpectatrix erat, non ſolum mortuorum praeconia & acroamata continebant, ſed preces etiam, ſupplicationes, hymnos, adorationes, munera, libationeſque multiplices myſterii, ſeu mavis ſycophantiae plenas. Flores omnigeni fundebantur ac rerum omnium primitiae, vinum, lac, mel, balſama, praeſertim roſae, quarum eſt frequens mentio in lapidibus, & aliquando legitur [a] SOLEMNIA. CIBVS. ET. ROSARVM. De epulis vero quanquam altum ubique ſilentium eſſet, ſepulcra tamen ipſa teſtimonium facerent cum quibuſvis & ſcriptorum & marmorum auctoritatibus comparandum. Volaterris, quae propter vetuſtatis delicias & ornamenta, jure muſeum Etruriae locupletiſſimum ac ſplendidiſſimum [b] appellantur, An. D. 1738. effoſſa eſt crypta, [c] & inter arculas aevo corruptas inventae ollulae fictiles, catini, lances, pollubra, cyathi, patellae, quarum una ex aere; & in patinis oſſa ovium, haedorumve, itemque

a *Grut. CCCCXLIX. 6.*
b *Gor. loc. cit. p. 92.*
c *Idem ibid. Diſſ. III.*

que gallinacea reperta ſunt. Paſſerius quoque in Acherontico e ſepulcris erutas profert phialas, quarum duas exhibet, alteram [a] palmo majorem e cryſtallo elegantiſſime elaboratam, Etruſcis litteris in fundo inſignem; alteram [b] pariter & cryſtallinam & elegantem bulliſque ornatam. Idem catinos in lucem edidit, lances, pateras, urceoloſque [c], inter quos lagenulam [d] decuſſi ſignatam (fortaſſe, ut [e] ipſe arbitratur, Etruſcam liquidorum menſuram adhuc ignotam) continentemque aquae pluvialis libram & uncias quinque. Ad epulas quoque pertinet illa tabernae, culinae, adparatorii mentio, quae in Romanorum ſepulcralibus [f] monumentis perſaepe occurrit. Eundem hunc demum ritum tacite deſignant ipſae mortuorum imagines in urnarum operculis aut lateribus ſic expreſſae, ut in conviviis indulgere genio videantur, ſpecie illa accubituque corporis quo ſolebant in vivis ſumma cum hilaritate diſcumbere & epulari. Vectigalia vero pro ſacris mortuorum anniverſariis a Romanorum imperatoribus decreta fuiſſe vix ſane crederem, niſi haec apud Dionem in Nerone oratio occurreret Bonducciae cujuſdam Britannicae: *quot & quanta penſitemus mortuorum nomine, omnes profecto ſciunt: quumque ii, qui ſerviunt ſervitutem, apud alias gentes morte liberentur, ſoli populi Romani mortui vivunt quaeſtus & impendii ca ſa*. Hoc denique Romae, in municipiis, in coloniis moris fuit, ut viri principes heredes, aut collegii alicujus [g] decurias legato aliquo ad ſuas, vel ſuorum

a *Acheront. Tab. X. num. 1.*
b *Ibid. num VI*
c *Loc cit Tab IX.*
d *Ibid num. IV.*
e *In Acheront. cap. VIII.*
f *Fabrett. Ant. Inſcr. III. num. 609. vid Gud. CCCVI. 13. & CCVII. 3. & alib.*
g *Grut. CCXXXVII.*

inferias celebrandas allicerent obligarentque. De hoc ritu apud Graecos digniſſima lectu eſt Epictetae Spartanae teſtamentaria inſtitutio in muſeo Veronenſi. Diis inferis quum ſacra fierent, nigras veſtes in uſu fuiſſe, exemplo edocemur tum Medeae [a] apud Apollonium Rhodium, tum Canidiae [b] apud Horatium.

XVIII. Funebres inter epulas ipſa quoque pocula amphoraeque oſtendunt veterum ſive magnificentiam, ſive ſuperſtitionem. In cyathis enim ipſis bellicae expeditiones, triumphi, venationes, Deorumque ſacra depingebantur, ut ornamenta dignitati procerum reſponderent, quibus & grandiora & nobiliora pocula offerebantur: quare inquit ille [c]

Adpono militi magnum poculum: ille ebibit.

Paterae tum aereae, tum fictiles ſeu penicillo, caelove, aut graphio elaboratae, ſicut in ſacris Deorum ſuperum, eorum plerunque fabulas referebant, ſic in inferiis Deorum manium, ferales hiſtorias [d] repraeſentabant, ſaepiſſime typum mortis [e], larvam ſcilicet cucullo amictam aliſque inſtructam. Hic porro typus non modo analogiam habebat cum loco & epulis, ſed convivas etiam ad magis indulgendum genio excitabat: mortis enim commemoratio aut imago familiaris apud ethnicos fuit in comeſſationibus, teſte Venuſino poeta, & quotquot de convivio Romano erudite ſcripſerunt. Hujuſmodi autem pateras vere funebres extitiſſe non tam locus declarat, ubi repertae ſunt, quam quod cetera in aliis ſacris adhibita inſtrumenta ſi vetuſtate ac ſenio abſumerentur, in faviſſas conjicie-

a *III 5.*
b *I. Sat. 8. vid. Tertull. de Pall.*
c *Plaut in Curcul. vid. Paſſer. Diſſ. de Genio Dom.*
d *Demſter. Tab. XXXVIII. Muſ. Etr. Tom. I. Tab. LXVII.*
e *Paſſer. de Funer. Etr. Tab. XIX.*

ciebantur, nec ſolebant facile publicari. Ex poculis in hypogaeo inventis nonnulla Paſſerius profert in Acherontico, quae ſacra quaedam in [a] animalia deſinunt; unum ſcilicet in muſtellae ſpeciem affabre concinnatum, Herculi fortaſſe ſacrum, quia [b] in muſtellam Galantis converſa eſt, quae in poetarum ſomniis Alcmaenae parienti adfuit: alterum ingens ac patulum & ſuperne cornutum deſinit in leunculum, femore tenus prominentem, cujus pectori ineſt veluti fiſtula perforata, unde liquor debebat aliquo cum ſtrepitu proſilire. Hujus uſum in funeribus extitiſſe lucerna apud Bartolium [c] comprobat. Id generis alia pocula, ſi te curioſitas moveat, in toties jam laudato Acherontico videre potes, ubi & habitu ſuccincto Genii inſiſtunt hinc inde baſibus ceu ſepulcri cuſtodes, & altera manu vas luſtrale ſuſtinent, altera adtollunt pocula ſupradictis ſimillima, ex quorum ima parte, veluti e fiſtula proſiliens in arcum liquor in aram decidit, ut dubitare minime debeas, quin haec pocula pars eſſent funebris ſupellectilis, quippe quae inter manus mortuorum inſculpta, aut picta in urnis tum lapideis, tum fictilibus offendamus. Cur aliorum animalium, praeſertim leunculorum capita, aut imagines ſepulcralibus in lucernis, in poculis, in marmoribus [d] inveniantur, hanc eſſe cauſam vel pueruli norunt, quod Leo, in Divorum etiam numiſmatibus effingi ſolitus, erat Herculi conſecratus, qui unus habebatur ex animarum ductoribus ad Elyſios, de qua ſuperſtitione fuſius alibi dicendum eſt.

XIX. Sed ſatis flendo jam horas duximus; tempus ac ratio poſtulat, ut in ſolem ac lucem e ſepulcralibus

Gg 2 hiſce

a *Tab. VIII.*
b *Ibid. cap. IX. & in Epiſt. Roncalienſ.*
c *Tab. XIV. in lucern. collect.*
d *Vid. Dionyſ. in Fauſtoli monum. & Acron. ad Horat. epod. XVI.*

hiſce tenebris redeamus. Et ego id quidem jamdudum cogito, benigne Lector. Antequam vero hypogaeum relinquas, rem quaeſo ut unam animadvertas cum his, quae finem debent diſſertationi imponere, conjunctiſſimam. Sepulcrorum valvae, parietes, lacunaria, coronides, lineali interdum, ſaepius colorata pictura inſignes; cellarum varietas, ſedilium ordines, urnae multiplices, pretioſiſque coloribus, aut anaglyphis, aurique bracteolis circumfulgentes; ſacri demum ritus & inſtitutae inferiae, quaeque poſt tot ſecula ſuperſtes adhuc cernitur coquinaria ſupellex, argumento haec omnia profecto ſunt, quam ſolicite vetus illa nobilitas exoptaret ſui memoriam relinquere apud poſteros ſempiternam. At enimvero nihil aliud tam anxie, tam ſtudioſe curavit, quam ut ſui imaginem aut caelo, aut graphio, coloribuſve diligenter expreſſam poſteris commendaret. Aegyptiorum hoc inventum fuit, qui [a] exemplaria cadaverum lignea accurate vultum mortui referentia in ſepulcris condebant, quorum duo e ligno ſicomoro inter ſua cimelia ſe poſſidere Gorius [b] non immerito gloriatur. Etruſci in cinerarii corpore, vel in operculo, interdum in una, aut in utraque tecti facie, ac nonnunquam in labro operculi, demortui nomine inſcripto, ejus quoque imaginem accuratiſſime exprimendam curabant. Atque hanc in ſepulcris aeternandi vultus cupiditatem Romanorum etiam fuiſſe propriam innumera in hac urbe ſepulcra docent, quorum in operculis aut in lateribus imagines intuemur, quas tametſi ultro fatear perſaepe aut ſtatuariae aut plaſtices fuiſſe ludos, tamen in potentiorum tumulis de quibus hic ſermo

eſt,

a *Herodot. Euterp. I 86.*
b *Muſ. Etr. Tom. III. Diſſ. II.*
c *Paſſer. Diſſ. de Tegul.*

eſt, non dubito, quin inſculptis imaginibus verae mortuorum effigies referantur. Neque enim, quum tradit Cicero, in ſepulcro [a] Scipionum fuiſſe Ennium e marmore conſtitutum, non de ejus archetypo loquutus eſt. Si poetae, ſolius amicitiae nomine, & illa aetate, qua non adhuc vetus parſimonia obſoleverat, vera eſt imago alieno in monumento poſita, jam nemo, opinor, niſi ſiquis nodum in ſcirpo quaeritet, hac de conſuetudine dubitabit. Negantem vero refellet eruditiſſimus Franciſcus Aligerius, a quo [b] accepimus, quemadmodum pauperes egenteſque trientem cum cineribus recondebant Charonti pro portorio ſeu naulo dandum, ita nobiles pretioſa cum favilla numiſma aureum, vel argenteum, aut aeneum, faciem demortui referens condidiſſe, ac fortaſſe ſigilla etiam, ut in [c] Etruria, Larium Deorum, ac Genii domeſtici, ne vita functi, a quibus bona ſe accepiſſe omnia exiſtimabant, eorum ſocietatem deſiderarent.

XX. Quanquam hujuſce ritus alia etiam ratio ſubit & argumentum, quod mihi & e ſepulcris exitum, & aditum aperiet ad alios honores clariſſimis quibuſque viris conſtitui ſolitos non tam a ſuis, quam a Republica univerſa. Hanc urbem nobilium effigies in tumulis condidiſſe illud maxime evincit, quod nulla fere natio, quam Romana, majorem habuit curam imaginum ſervandarum. Polybius & ſummus hiſtoricus, & orator maximus, & optimus philoſophus [d] judicatus, commemoratis Cretenſium, Spartanorum, Carthaginenſium legibus, Romanorum ut inſtituta omnibus anteponeret, hoc prae ceteris unum [e] in tanto ſplendore & gloria commendavit, hanc apud

a *Cic. pro Arch.*
b *In Antiq. Valent.*
c *Muſ. Etr. Tom. III. p.* 185.
d *Vid. Perott. ad Polyb. in Prooem.*
e *Lib. VI.*

apud eos conſuetudinem extitiſſe, ut majorum imagines in illuſtriſſimo domus loco ponerent adſervarentque ligneis in ſacellis quamſtudioſiſſime. Et jure quidem eximia eſt hujus moris apud Polybium laus. Nam in Salluſtio [a] generoſa Romanorum ingenia praedicant, quum majorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animos ad virtutem accendi, & memoria rerum geſtarum flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari conſueviſſe, quam ubi virtus eorum famam atque gloriam adaequaviſſet. Imaginum inventionem adſcribunt aliqui Attilio Glabrioni, qui Coſſ. Publ. Corn. Lentulo, & M. Baebio Pamphilo in templo Pietatis ſtatuam patris equeſtrem auream dedicavit; ſed primum ſui imaginem dedicaviſſe Romulum jam ſupradiximus in I. Claſſe ad inſcr. Fortunae Praeneſtinae: Attilio autem non hoc quidem inventum, ſed fortaſſe imagines inauratae, vel aureae tribuendae ſunt. Nobilium imagines, quas Polybius, Salluſtius, & Plinius [b] laudant, ſolitae in atrio cuſtodiri, non erant ex metallo, ſed cera, forſan etiam interdum ex cedro, & tantum collo tenus effictae, de quibus praeter veteres auctores egregie ſcripſerunt Sigonius, Lipſius, Tiraquellus. Si tantum igitur collo tenus effingebantur imagines, certa nobilitatis decora, non injuria exiſtimaverim, aut deinceps ſub Caeſarum dominatu vetus hoc inſtitutum immutatum fuiſſe, quod inferius oſtendam, aut erraviſſe Laevinum [c] Ulzium, qui ad Getae numiſma referens in averſa parte ſtantem ſtolatam figuram, quae dextra haſtam, ſiniſtra imaginem tenet cum epigr. NOBILITAS, interpretatur eam imaginem eſſe inſigne nobilitatis.

a *Init bell. Jugurth.*
b *H. N. XXXV. 2.*
c *Numm. XXV.*

Digitized by Google

litatis. Sed illa quum ſit integra imaguncula, non effigies collo tenus, indicat fortaſſe Getam principem juventutis, quem probitatis commendatione tota nobilitas in ore, in oculis ferebat. Jus imaginum iis tantum concedi ſolitum, qui magiſtratum [a] curulem geſſiſſent, quum cives optimi conſequebantur, publice gratias [b] habebant populo, id honoris cum ſuorum laudibus conjungentes. Servis atrienſibus, quos Cicero [c] inter *lautiores* numerat, dabatur cuſtodia [d] imaginum, quae juxta [e] Tablinum, ubi erant rerum geſtarum monumenta & codices, ſervabantur inſcriptis & nominibus & dignitatibus, additoque familiae ſtemmate lineis ad imagines diſcurrente. Aperiebantur armaria, ſi in domum rediret curulis dignitas, aut triumphalis gloria ingrederetur, aut ſolemnis aliqua [f] celebritas ſeu publica, ſeu domeſtica ageretur, ac potiſſimum poſteriore aetate, quum imperatores [g] creabantur.

XXI. Quaeri hic fortaſſe poteſt, num hae imagines cereae ſtatim poſt magiſtratum curulem ab aliquo impetratum, an poſt mortem duntaxat in atrio collocarentur, itemque quandiu illae apud Romanos in uſu fuerint? Quoad primum ego quidem ſic exiſtimo, jus imaginum, quod ſibi Cicero gratulatur, ab uſu eſſe penitus diſtinguendum. Illo enim vivi, hoc tantummodo mortui fruebantur. Nec quicquam Livius hiſtoriae Romanae princeps huic ſententiae obeſt. Nam tametſi referat Patriciis [h] primo, deinde plebi etiam, poſtquam curules magiſtra-

a *Aſcon. in Comment. Orat. in tog. candid. Sigon. de Jur. Civ. Rom. & Tiraquell. de Nobilit.*
b *Cic. V. in Verr. & in Agrar. II.*
c *Paradox. 45. vid. & Plaut. in Aſin.*
d *Pignor. de Serv. p.* 221.
e *Plin. loc. cit.*
f *Polyb. loc. cit.*
g *Vopiſc. in Florian. vit. in fin.*
h *Plin. lib. VI.*

giſtratus eſt nacta, imagines *ponere* & *relinquere* cum nobilitate poſteris licuiſſe: eo tamen loco de jure tantum, non de uſu interpretandus eſt. Siquidem fere ſemper hae imagines vel *fumoſae* [a] vel *veteres* a ſcriptoribus nuncupantur, quo iterum citare juvat illud Ciceronis ad Brutum: *quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides?* Praeterea Plinius, quum de earum in funeribus delatione loquitur, [b] nulla de viventibus mentione habita, *totus*, inquit, *aderat familiae ejus, qui unquam fuerat, populus*. Perbelle huc quadrat jocus ille Soſiae apud Plautum: [c]

> *Nam hic quidem omnem imaginem meam, quae antehac fuerat, poſſidet;*
> *Vivo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi.*

In partes quoque vocandus eſt Ciceronis collega in conſulatu C. Antonius, qui poſtea, quum in Cephalenia exul eſſet, ubi vitam finivit, hac una [d] re miſeriam eſt conſolatus ſuam, quod patris, fratriſque imagines a Vatinio in carcere collocatas audire maluerit, quam videre. De paterna nimirum queritur ac fraterna imagine, de ſua tacet. At enim tute initio dixiſti damnatorum imagines lucem aſpicere non auſas eſſe. Negavi ſcilicet ac rurſum pernego eas in luce conſiſtere, non in ſqualore carceris potuiſſe, ideoque ſi C. Antonii imago cum ceteris adfuiſſet, ea quoque in carcerem truſa eſſet. Vivis ergo exprimendi cera vultus jus quidem fuit, non uſus, quam conſuetudinem & Lacedaemoniis placuiſſe innuere videtur apud Plutarchum [e], & Xenophontem [f] Ageſilaus, qui mo-

a *Cic. in Piſon. Juvenal. Sat. VIII.*
b *H. N. ibid.*
c *In Amphitr.*
d *Cic. in Vatin.*
e *In Apopht.*
f *Orat. de Ageſil.*

moriens vetuit, ne ſibi imagines ponerentur: *ſiquod*, inquit, *praeclarum opus feci, hoc mihi monumentum erit*. Ex hoc fonte Mecoenas [a], opinor, hauſit, quod Auguſtum monuit, ne ſtatuas aureas, aut argenteas ſibi fieri pateretur, ſed potius recte factis ſui memoriam propagaret. Quando igitur in urbe licuit ea nobilitatis decora in atrio collocare? quum nobilis non ſepultus modo, ſed ei juſta [b] jam facta fuerant: tum enim ejus imago, hoc eſt facies ad ſimilitudinem excellenter & accurate tam ſecundum formam, quam ſecundum ſubſcriptionem expreſſa in clariſſimo domus loco proponebatur. Hanc nimirum eam arbitror fuiſſe imaginem, quae cadaveris thoro praepoſita inter ceteras in pompa funebri eminebat. Vix enim quiſpiam e vivis ceſſerat, aut fortaſſe dum adhuc viveret & valeret, quod non ſemel aetate noſtra viros ampliſſimos feciſſe conſtat, ſuper ejus vultum ex cera effigies ratione plaſtica fingebatur, quam vulgo *Maſchera* nuncupamus. Ea vero non ſimplex erat, uti his temporibus ex ſola cera vel gypſo ſolet, ſed praeterea oris ſimilitudinem referebat pigmentis & coloribus [c] adumbratam.

XXII. Perveſtigandum reſtat, quandiu apud veteres cerea haec nobilitatis ornamenta in uſu fuerint? Mihi quidem opinio inſedit, tandiu id moris fuiſſe, quandiu reſpublica floruit, & tenuit antiqua lex. Vix enim per Caeſarum impotentiam civitas pariter ac nobilitas late patere coepit, & communicari cum quibuſque militibus, cum barbaris, cum libertis; vix veteris parſimoniae legibus conculcatis luxuria omnium invaſit animos facile condocefactos honorem non niſi pretio ducere, tum ve-

Hh tera

a *Dio lib. II. ſub fin. vid Jacob. Facciolat. Monit. Iſocrat. p.* 100.

b *Polyb. loc. cit.*

c *Vid. Polyb. & Plin. ibid.*

tera honoris decora exolevere, & ceras luxuria perdidit. Itaque priſcis caruere atria ornamentis, excellenteſque imagines, ſicuti animorum, ſic etiam corporum neglectae ſunt. At quid reſpondendum Tibullo contra ſentienti [a]?

Non tua majorum contenta eſt gloria fama,
Nec quaeris, quid quaque index ſub imagine dicat.

Quid Senecae dicenti? *vides* [b] *has imagines, quae implevere Caeſarum atrium*? quid Ovidio? [c]

Non te decipiant veteri cincta atria cera.

Quid denique Juvenali? [d]

Tota licet veteres exornent undique cerae
Atria.

Equidem non contendo, ſtatim ac Auguſtus rerum potitus eſt, antiqua inſtituta omnia occidiſſe. Sed quum eo imperante, & deinceps ſub ceteris imperatoribus luxus in immenſum excreverit, tum pro cereis opinor aeneas argenteaſque, nedum cedrinas & marmoreas coepiſſe imagines celebrari. Ceras veteres, ubi adeſſent, & magni habitas, & diligenter ab atrienſibus cuſtoditas, diebus etiam ſolemnibus apertas eſſe non nego, quum id in Floriano Vopiſcus memoret; iis vero immixtae erant facies argenteae *ſurdo* [e] *figurarum diſcrimine*, ut inquit ille: adeo materiam omnes malebant conſpici, quam ſe noſci. Etenim Plinius rei teſtis, qua de nunc agimus, oculatus cereos ut vultus jampridem antiquatos doceat, non patres laudat, ſed majores, apud quos ſimplices e cera imagines ſpectabantur, non ſigna externorum artificum aerea, aut marmorea; neque ſignorum nomine haud tute vides, non tam effictas collo tenus effigies, quam ſtatuas.

a *Lib. IV. ad Meſſal.*
b *De Conſol. ad Polyb.*
c *Lib. I. Amor. 8.*
d *Sat. VIII.*
e *Plin. loc. cit.*

tuas integras deſignari, quales ex Herodiano in antecedenti diſſertatione [a] delatas diximus in Pertinacis apotheoſi. Quum ergo ſtatui veteris fuiſſe moris exprimi cera vultus tantummodo mortuorum, non id intelligas velim de ſignis aeneis; haec enim luxuria dominante aeque vivis ac mortuis in atrio dedicabantur. Notum eſt enim in divites illud ſcomma: *imagines pecuniae, non ſuas, relinquunt*. De ſigno fortaſſe hujuſmodi Juvenalis loquitur, ubi [b] de Sejani capite & facie ſcribit:

Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus, deinde e facie toto orbe ſecunda
Fiunt urceoli, pelves, ſartago, patellae.

Quod ſi mavis Satiricum de ſtatua ejus [c] aenea in theatro propoſita loquutum eſſe, certe ad privati alicujus atrium reſpexit, ubi dixit: [d]

Frangenda miſeram funeſtat imagine gentem.

Itaque ubi auctores laudant imagines poſt rempublicam, ſi cereas nominant, de veteribus, ſi imagines tantum, aeque de vetere ac de novitio invento interpretandi ſunt. Nec tacendum, jam vergente ad occaſum republica potentiores non habuiſſe, ut olim, in magno pretio veterem parſimoniam. Nam Pompeji M. imago ex pretioſis margaritis, rarum [e] luxuriae exemplum, conſpecta fuit. Quanto glorioſior Africanus! cujus imaginem legimus non in atrio, ſed in cella Jovis poſitam, illinc peti conſueviſſe, quum funus [f] aliquod Corneliae gentis celebraretur.

XXIII. Hae imagines ſive ex cera, ſive ex metallo in parte prima aedium cum toto familiae ſtemmate collocabantur, quod quiſque pro ſuperbia, quam commune nobi-

a *Num. XII.*
b *Sat. X v. 61.*
c *Sat. VIII. v. 17.*
d *Dio LVII.*
e *Plin. H. N. XXXVII. 2.*
f *Val. Max. VIII. 15.*

nobilitatis malum Salluſtius nominat, alte petere conabatur, quare Perſius: [a]

Stemmate quod Tuſco ramum milleſime ducis.

Imo nonnulli, ſicut urbium [b] ſolebant, ſic gentis originem conſecrabant; nam praeter Julium, qui [c] ad Venerem, Fabios, qui [d] ad Herculem, Galba non ad Metellos cum Alexandro [e] Severo, ſed paternam [f] originem ad Jovem, maternam ad Paſiphaen Minois conjugem in ſuo ſtemmate referebat. Vaniſſima id genus ſtemmata Lucianus, credo, non tanquam ſuperbiae deliramenta, ſed inventa aſtrologiae pulcherrima commendaverit. Sicut enim contendit cum ineptiſſimae illius artis legibus omnes priſcorum fabulas maxime conſentire, ita derivandi de caelo generis atque nobilitatis morem iiſdem fontibus tribuendum exiſtimet neceſſe eſt. Etenim poſtquam doctrinae hujuſmodi vetuſtatem laudavit, dixitque inventum eſſe priſcorum regum, quos Dii amabant, hoc demum [g] pacto ratiocinatur, ut ipſe autumat, ut ego arbitror, ſolemnia inſanit. Solos ſi excipias Arcades, qui ob hujus artis imperitiam dictitabant [h] ſe luna eſſe antiquiores, fuit priſca gens aſtrorum contemplationi apprime dedita, & ad perpetuos illos caelorum ignes, diverſoſque eorum ortus converſioneſque omnia referendo, quo dominante ſidere quiſpiam natus erat, tanquam ab illo genitum, illiuſque veluti filium exiſtimabat. Neque enim, exempli cauſa, ubi Aeneas dicitur Veneris fuiſſe filius, Minos Jovis, Aſcalaphus Martis, Mercurii Autolycus, aliud in mentem venit,

a *Sat. III.*
b *Liv. I. 1.*
c *Feſt. & Virg. I. Aen.*
d *Plutarch. in Fab. Max. & Sil. Italic. IV.*
e *Lamprid. in vit.*
f *Svet. Galb. 2.*
g *Diſſert. de Aſtrolog.*
h *Serv. in II. Georg.*

nit, quam quod eos naſcentes, hunc Venus, illum Jupiter, alium Mars, Mercurius alium reſpexiſſet, ſibique ſimilem produxiſſet colore, forma, factis, animo. Itaque dum aliquam vel civitatem a Diis conditam, vel domum a Diis ortam aut legimus, aut audimus, id quidem ex aſtrologiae legibus metiendum eſt, illa nimirum domus, itemque civitas dicenda eſt non Deorum, ut vulgo creditur, ſed ſiderum auſpicio condita & propagata. Haec ad Luciani mentem, hoc eſt ſycophantiam, dicta ſunto. At circulatorum haec monſtra meraſque gerras ſibi Lucianus habeat. Tantum abeſt, poetarum figmenta e puriſſimis aſtrorum ignibus dimanaſſe, ut potius aſtrologiam conſtet a poetarum fabulis derivatam, quàm merito & Prophetarum oracula deteſtantur, & S. Hieroymus eſſe diſputat idololatriae genus, & Eccleſiae Patres unanimi conſenſu cenſent infra mortuos amandandam, & ſuperiore ætate Joannes ille Picus Mirandulanus tam feliciter refutavit & copia tanta, ut vix ullum perierit argumentum. Veterum igitur illa ſtemmata, quæ Deorum nomina oſtentabant, ſive a Diis eſſent, ſive a ſideribus derivata, levitatis erant & ſuperbiae monumenta. Ita autem in nobilium atriis collocabantur, ut lineis ad imagines diſcurrentibus varii cognationum gradus deſignarentur. De atrio ſermonem faciens ſuſpicabar aliquando, ibi quoque perhonorificum habuiſſe locum aut familiae patronos, aut qui apud principes eſſent omnium gratioſiſſimi, eo ferme pacto, quo his temporibus clientes ſolent patronorum imagines in loco domus clariſſimo dedicare. Suſpicioni huic meae dat anſam Plinius, qui ſi dormitare in aliquibus videtur, non certe in patriis inſtitutis, iiſque potiſſimum, quorum ſpectator fuit. Is ergo inquit, *ſtatuarum capi-*

capita permutantur, *vulgatis* [a] *jampridem ſalibus etiam carminum*. Hunc ego morem, niſi ſomnio vigilans, noſtro parem interpretor. Hoc enim aevo ſi patronorum mutatio fiat, non imagines a pleriſque, ſed capita permutantur. Sub Caeſaribus autem, quum frequentes eſſent hujuſmodi gratioſorum hominum mutationes, frequens & in ſtatuis erat mutatio capitum, unde ſales vulgabantur, quorum in numero illum colloco, quo Satiricus ait e facie toto orbe ſecunda fieri urceolos, pelves, ſartagines, patellas. Numerum quippe ſtatuarum, quas ſenatores, equites, tribus, primarii viri Sejano, utriuſque fortunae exemplo, poſuerunt, inire facile nemo poſſit, ut inquit Dio [b], ad quas pariter, tanquam ad Tiberii, ſacrificabant, imagines etiam aureas [c] paſſim colebant, quas omnes populus dejecit, confregit, raptavit.

XXIV. Servabantur praeterea in Pinacotheca, ſeu Parthenone [d] virorum illuſtrium imagines, quarum multas habebat [e] Atticus, quibus ipſe addiderat quatuor aut quinque verſus praeclare ab iis geſta breviter exprimentes. Inter ceteras collocarat Ahalae, & Bruti effigies, quarum in conſpectu videtur Cicero [f] cum Attico de modo egiſſe, quo Brutus ad caedem Caeſaris excitaretur. Haec Attici inventio, acutiſſimi judicio [g] viri occaſionem numiſmati argenteo praebuiſſe videtur, in quo [h] Ahalae, & Bruti capita conſpiciuntur. In annulis [i] etiam majorum imagines inſculptae ſunt, ac Scipioni ſuperioris Africani filio praeturam petenti, quod candidam togam turpiter

a *H. N. loc. cit.*
b *Dio LVIII.*
c *Svet. Tib. 65.*
d *Plin. loc. cit.*
e *Corn. Nep. in vit. 18.*
f *Epiſt. Attic. XIII. 38.*
g *Conſerſ. Midlet. in vit. Cic. Tom. IV. pag. 10.*
h *Theſaur. Morell. in Fam. Junia Tab. I. 1.*
i *Cic. III. Catil.*

piter maculis obſolefactam in campum detuliſſet, inter cetera probra annulus, in quo gerebat caput [a] Africani inſculptum, detractus eſt. Argenteas inſuper aureaſque imagines in templis dedicabant, legabantque uſque ad centum pondo, ut inferorum ſupplicia evitarent: [b]

Da Capitolinis aeternum ſedibus aurum,
Quo niteant ſacri centeno pondere vultus
Caeſaris, & propriae ſignent cultricis amorem.
Sic ego nec furias, nec deteriora videbo
Tartara, & Elyſias felix admittar ad oras.

Quemadmodum ſupra dixi damnatorum imagines in pompis non adfuiſſe, ſic nunc addo reorum effigies graphice expreſſas in crucem tolli aliquando conſueviſſe, quod Celſo contigit teſtimonio [c] Pollionis. Nobiliſſimis autem viris ac de republica benemeritis honor maximus habebatur, ſi eorum ſtatuae decreto publico in locis urbis clariſſimis [d] collocarentur, de quo honore dicam aliqua in ſequenti diſſertatione. Hic tantum noto, ſtatuas hujuſmodi non tam Romae, quam in Graecia perhonorifice fuiſſe habitas. Nam quum Harmodii, & [e] Ariſtogitonis effigies aeneas Xerſes Athenis victis, quas ii a tyrannide liberare conati fuerant, in Perſidem tranſtuliſſet, & poſtea Seleucus in ſedem priſtinam reportandas curaſſet, eaſdem Rhodii urbi ſuae appulſas & hoſpitio publico exceperunt, & in ſacris pulvinaribus collocarunt.

XXV. Ab omnibus imaginum generibus hactenus enumeratis omnino diſtinguebantur imagines Cubiculares in Larario domeſtico religioſe adſervatae. Erant illae fortaſſe aeneae, & apud lautiores aureae, vel argenteae, parum

a *Kirchmann. de Annul.* 12.
b *Stat. Silv. V.* 1 189.
c *In Triginta Tyrann.* 29.
d *Frigell. de Stat. Rom. Donat. Dilucid in Vopiſc.*
e *Val. Max. II.* 10.

rum forma diſſimiles antiquis numiſmatibus. Marmor capitolinum, quod ad publicam utilitatem typis tradendum curavit antiquitatis amantiſſimus Rodulphinus Venutus, tacite innuere videtur, veteribus fuiſſe in more poſitum, ut illius, qui vel deliciae familiae cujuſpiam fuerat, vel ejus maximum ornamentum, imago non in lararii cubiculo, ſed ad caput lectuli ſervaretur. Nam in laudato marmore jacet in lecto ſenex morti proximus, qui praeſente ſcriba teſtamentum facit, ſupra ejus caput pendente imagine, certe illius, cujus erat ei memoria jucundiſſima. Libet ſuſpicari ex iis imaginibus illam fuiſſe unam, quam Svetonium Hadriano imperatori, cujus a ſecretis erat, dono dediſſe legimus. Numiſma erat aeneum, litterae vero ferreae, quibus nomen inſcribebatur TVRINVS, ac eruditorum opinio eſt, ita nuncupatum Auguſtum adhuc puerum, vel in memoriam majorum, qui [a] Turini oppidum incoluerant, vel in honorem facinoris prope illud oppidum contra fugitivos aliquos a Patre Octavio fortiter geſti. Illud porro muneris fuit acceptiſſimum Hadriano, qui ei locum eſſe voluit inter heroum imagines in larario ſuo. De larario, ejuſque cuſtodibus jam dixi obiter in I. Diſſ. num. XVIII. Illic inter Lares ſacro Deorum ritu Caeſarum imagines aureae vel argenteae colebantur. Verum quid dixi Caeſarum? Eorum quoque libertis impuriſſimis aliquando ibidem eſt habitus divinus honor. Nam L. Vitellius [b] Vitellii imperatoris pater inſignis adulator, Narciſſi, & Pallantis, quibus nihil turpius id temporis hoc imperium vidit, Claudii libertorum imagines coluit aureas inter Lares.

XXVI. Denique virorum fortium ac nobilium, quorum

a *Svet. Octav.* 2. b *Idem in Vitell.* 2.

rum virtus patriae ſalutaris fuerat, imagines in clypeis, quos Poeni aureos [a] factitabant, in templis fuiſſe affixas docent omnia ferme Romanae [b] hiſtoriae monumenta. Heroicis quidem temporibus arma duntaxat hoſtium Diis offerebantur, quod ſane memorat tum Graeca [c], tum ſacra [d] hiſtoria, & regum ſapientiſſimus ubi cecinit: *ſicut turris David collum tuum, quae aedificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura* [e] *fortium*. Quum porro duces in clypeis aut ſuas, aut majorum imagines haberent, ideo perſaepe heroum effigies olim in templis poſitae referuntur, & hac de cauſa ſive apud Argivos in Junonis, ſive apud Mileſios in Apollinis templo Pythagoras in Laertio inquit ſuam ipſius imaginem ſe cognoviſſe in Euphorbi clypeo, cujus perſonam geſſerat in bello Trojano, ſicut deinceps dicitur a poetis in Homerum, in pavonem, poſtremo in Ennium revixiſſe: [f]

Cor jubet hoc Ennj, poſtquam deſtertuit eſſe
Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo.

Quod Graecos, & Philiſtaeos, alioſque populos feciſſe accepimus, id & Romanis placuit, hoſtilia nempe arma, in primis clypeos, certa bellicae fortitudinis argumenta publice exponere. L. Martius Carthaginienſium victor clypeum argenteum pondo librarum CXXXVIII. cum imagine Barchini Aſdrubalis ſuſpenſam poſteritati [g] tradidit in templo capitolino. Summus interea virtutis ſplendor, quum praeſertim acceſſerit antiquitati debita veneratio,

a *Plin. XXXVIII.*
b *Liv. XXV. Tacit. Ann. II. Valer. Max. VIII. 15. Plin. loc. cit.*
c *Pauſan. in Corinth. Porphir. & Laert. in vit. Pythag.*
d *Reg. I. 21. Joſeph. Antiq. VI. 15. & XIV. 17.*
e *Cantic. IV.*
f *Perſ. Sat VI. v. 11.*
g *Liv. XXV 39.*

id boni effecit interprete Bonarrotio, ut ea ſpolia, quae ad hoſtium dedecus poſita primum fuerant, rerum cognitione, ut fit, paulatim evaneſcente in gloriam mutata ſint. Hinc Romae clypei praeclaris civibus dedicati: quid dico civibus? etiam Diis: nam Virgilianus interpres refert clypeum in capitolio dedicatum, ita inſcriptum: GENIO VRBIS ROMAE SIVE MAS SIVE FEMINA. Primus omnium Appius Claudius Conſul A. V. 259. in templo [a] Bellonae, vel in foro majorum ſuorum imagines in clypeis dedicavit. Eidem conſuli ſenatus auctoritatem facultatemque dedit decernendi, quibus deceret tribui hunc honorem, non dari ſolitum, niſi ſtrenuis & nobilibus. Svetonius [b] narrat, hanc facultatem interdum Decurionibus datam eſſe, quod etiam Lipſius [c] arguit ex vetere inſcriptione. In clypeis dedicandis datum de more fuiſſe epulum docet vetus lapis Nepete [d] inventus. In templo Fortunae Reducis ſuſpendi clypeus non poterat, niſi certus ſeſtertiorum numerus ſolveretur, teſtimonio antiqui marmoris apud [e] Gruterum. Clypeorum materia aes vel argentum fuit, aliquando inauratum, qualia fuere clypea in faſtigio Jovis aedis a Livio [f] commendata. Rem appoſite facetam admodum refert Plinius loco citato: veterum Romanorum in hac re ſcribit tantam ſecuritatem extitiſſe, ut A. V. 575. M. Aufidius tutelae capitolii redemtor patres docuerit, argenteos eſſe clypeos, qui pro aereis per aliquot jam luſtra aſſignabantur. Fiebant etiam, ſed raro, ex auro clypei, qualis totius ſenatus [g] judicio Claudio Gothico decretus fuit, & in Romana curia collocatus

a *Plin XXXV. 3.*
b *In Calig. 16.*
c *Ad Tacit. II. Annal.*
d *Thomaſin. de Vet. Donar. XXII.*
e *CVI. 2.*
f *Lib. XXXV. 10.*
g *Trebell. in vit. ejuſd. 3.*

locatus. Honor enim clypei ſummus erat, quum auctoritate ſenatus, vel alicujus publici ordinis dabatur viris de republica benemeritis. Hujuſmodi laudis memoria ſervatur in Auguſti, Tiberii, Neronis, aliorumque imperatorum [a] numiſmatibus; in his vero ſignati clypei carent imagine, deſcripta duntaxat cauſa dedicationis, & ordine dedicante, ad quam rem Agrippa narrat apud Philonem [b], poſitos Tiberii clypeos a Pilato in regia Herodis, quanquam imaginem non haberent, Caeſaream tamen, ut ſeditio tolleretur, transferendos fuiſſe. Clypei imaginibus inſigniti perperam a Capro quodam [c] aliiſque Grammaticis [d], quos arguunt [e] Chariſius, & Iſidorus, dicti ſunt *clupea* ſive *clypea*. Imagines porro non ſemper inſculpebantur caelo, ſed quandoque etiam acu, vel penicillo iis in thoracibus pingebantur, uti ediſcitur ex Bernardini Baldi Lexico Vitruviano: arte demum plumaria fingebantur a mulieribus, cujus rei teſtimonium praebet Aldelmus [f] Anglus. Clypei nobilium, de quibus ſermo, vocabantur etiam orbiculi, qui fuerunt in uſu antiquae Eccleſiae ad ſacras imagines [g] exprimendas: item thoraces, thoracides, thoracletae [h], & thoraciculi vocati [i] ſunt: nam & Martialis [k] protoma Minervae thoracem nuncupat: & Ruffinus [l] ſcribit, thoraces Serapidis Alexandriae in domorum parietibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in poſtibus extitiſſe. Ita aliquando ſuſpendebantur e templorum parietibus, ut evelli facile poſſent, aliquando [m] in

a *Vid. Patin. & Bonarrot.*
b *De Legatione ad Cajum.*
c *Salmaſ. ad Trebell. loc. cit.*
d *Ibid.*
e *Vid Lipſ. in Ann. Tacit. II & Caſaubon. in Sveton. Neron. 16.*
f *Serm. de Virginit. cap. 15.*
g *Alemann Diſſ. de Pariet. Later. 5.*
h *Trebell. & Salmaſ. loc. cit.*
i *Aldelm. Angl. ibid.*
k *Lib. VIII.*
l *Hiſtor Eccl XI. 29.*
m *Salmaſ. ad Vopiſc. in vit. Probi 23.*

iiſdem immobiles figebantur. De his clypeis, in quibus imagines humeris tenus erant vel pictae, ut diximus, vel caelatae, ſatis erudite ſcripſerunt praeter Jacobum Sponium ſenator Bonarrotius [a], & Cl. Praeſul Fontaninus [b]. Quod ſupra de ſtatuis dixi, idem improborum clypeis accidiſſe Svetonius refert in Domitiano, cujus clypeos & & imagines ſenatus detrahi evertique juſſit: decreto etiam curavit eradendos ubique titulos, omnemque ejus memoriam abolendam. Quod de Domitiani imaginibus ab ſenatu decretum fuit, hoc idem urbes ſociorum, ſi hoſtilis impetus immineret, de Romanorum ſtatuis apud ſe poſitis decreviſſe argumentum Epheſii praebent, quos Appianus ſcribit adventu Mithridatis omnes Romanorum effigies ſuſtuliſſe. Honores hactenus enumeratos in coloniis ac municipiis ſolemnes quoque fuiſſe ad bonorum memoriam celebrandam Gruteriana haec Hiſtonii hodie *il Guaſto* reperta inſcriptio, futura Diſſertationis epilogus & concluſio, citra omnem dubitationem affirmari jubet. [c]

M. BAEBIO . M. F. Q. N. ARN. SVETRIO
MARCELLO . EQVO . PVBLICO
AED. Q. IIII. VIR . I. D. IIII. Q. V. I N. II
PATRONO . MVNIC. FLAMINI . DIVI
VESPASIANI
M. BAEBIVS . SVETRIVS . MARCELLVS . ET . SVETRIA
RVFA . PATRI . OPTIMO
HVIC . DECVRIONES . FVNVS . PVBLICVM . STATVAM
EQVESTREM . CLIPEVM . ARGENTEVM . LOCVM . SEPVLT
DECREVERVNT . ET . VRBANI . STATVAM . PEDESTREM

CLAS-

a *In Vitr. Ant.*
b *In Diſc. Chriſtian.* 17.
c *Grut.* CCCLXXIV. 1.

CLASSIS III.

Virorum Nobilium Monumenta.

I.

Plutarch. in M. Marcello. p. 317.

ΟΥΤΟΣ ΤΟΙ ΡΩΜΗΣ Ο ΜΕΓΑΣ ΞΕΝΕ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΑΣΤΗΡ
ΜΑΡΚΕΛΛΟΣ ΚΛΕΙΝΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΕΚ ΠΑΤΕΡΩΝ
ΕΠΤΑΚΙ ΤΑΝ ΥΠΑΤΑΝ ΑΡΧΑΝ ΕΝ ΑΡΗΙ ΦΥΛΑΞΑΣ
ΚΑΙ ΠΟΛΥΝ ΑΝΤΙΠΑΛΩΝ ΕΓΚΑ ΤΕΧΕΥΕ ΦΟΝΟΝ

1. Οὗτός τοι Ρώμης ὁ μέγας ξένε πατρίδος ἀστὴρ,
Μάρκελλος κλεινῶν Κλαύδιος ἐκ πατέρων.
2. Επτάκι τὰν ὑπάταν ἀρχὰν ἐν Αρηϊ φυλάξας
Καὶ πολὺν ἀντιπάλων ἔγκα τέχευε φόνον.

Interpres Guillelmus Xylander.

Ingens hic patriae lumen Romae fuit, hoſpes,
Stemmate Marcellus Claudius ex celebri.
Terque quaterque fuit conſul, dum bella geruntur,
Atque hoſtes acie ſuſtulit innumeros.

1. Claruit ejus progenies uſque ad Marcellum, quem ſoror Auguſti Octavia C. Marcello genuit. Is adhuc adoleſcens Caeſaris filia in matrimonium ducta deceſſit, in cujus honorem mater bibliothecam, Auguſtus theatrum dedicavit.

2. Auctor epigr. proconſulatum, quem bis geſſit, quinque conſulatibus annumeravit. Inſcriptio haec ejus ſtatuae poſita eſt in aede Minervae Lindi, quo fortaſſe & aliquod donarium miſerat, ſicut in Samothraciam poſt Syracuſarum direptionem ad Deos Cabiros. Tanti viri morte obſtupefactus potius, quam laetatus Annibal, annulo ejus ablato, corpus eximie ornatum honorifice cremavit; reliquias in urna argentea cum corona aurea remiſit ad filium. Hactenus conſentiunt ſcriptores. Magna de exitu diſſenſio eſt. Nam Cornelius Nepos, & Valerius Max. memoriae prodiderunt,

urna

urna in itinere erepta diſperſos fuiſſe cineres, nec eorum ultra colligendorum curam fuiſſe Annibali, qui raptores Numidas ſupplicio affecit, ſed de Marcello ad adſtantes converſus dixit, *quam nihil poteſt fieri invito Deo*! Contra Livius; & Caeſar Auguſtus & delatam ad filium urnam, & cineres magnifico funere ſepultos fuiſſe tradunt.

II.

Ex Ferrett pag. 317.

1. LIVIVS . ECCE . FVI . ROMANVS . CONDITOR . VRBIS

2. HVIVS . ET . HANC . VOLVI . TERRAM . COLVISSE . QVIRITES MAGNANIMOS . POPVLISQ. DEDI . COGNOMINA . VICTOR

1. Gens Livia Romae Plebeja, ex qua Salinatores, Aemiliani, Druſi, Libones. Hic eſt M. Livius Salinator, qui in praetura Fori Livii conditor fuit. Conſul cum Cl. Nerone, ſi quae narrat Livius credibilia ſunt omnia, Aſdrubalem adortus, caecidit ad 56. millia hoſtium, ac poſtea quadrigis triumphans invectus eſt, quem Nero equo eſt ſequutus, quod in aliena provincia rem geſſerat. Idem Livius cenſura clarus, omnes tribus, una excepta, aerarias reliquit, quod & ſe innocentem damnaſſent, & poſtea conſulem cenſoremque feciſſent *Liv. Epit.* 27. 28. 29. *Plutarch. in Annib.*

2. Fateor hanc phraſim Salinatoris aetatem non ſapere: ſed ſi, ut tradit Ferrettius, ex vetere marmore hi verſus exſcripti ſunt, nihil impedimenti video, quo minus Livii ſtatuae aliquot poſt ſecula inſcripti fuerint. Fides penes auctorem eſto.

Cur hoc marmor non in Claſſe poſitum, ubi de ducibus ac militibus? quia ea Claſſis non omnium, qui in re militari claruerunt, ſed eorum tantum lapides complectetur, qui armorum gloria in marmore commendantur.

III.

Patavii.

Ex Diar. Ital. P. Montfauc. VI p. 79.

INCLYTVS ANTENOR PATRIAM VOX NISA QVIETEM
TRANSVLIT HVC ENETVM DARDANIDVMQVE FVGAS

EX-

EXPVLIT EVGANEOS PATAVINAM CONDIDIT VRBEM
QVEM TENET HIC HVMILI MARMORE CAESA DOMVS

Hanc inſcriptionem ex Antenoris ſepulcro in vico S. Laurentii PP. Servorum exſcripſit Montfauconius, qui jure monet fruſtra inquiri ſententiam primi verſus. In Codice 300. circiter annorum D. Cornari Biſcopiae idem Auctor Cl. legit, juſſum fuiſſe inſcriptionem apponi ſequentibus verſibus,

Inclytus Antenor patriam vix viſa quietam
Tranſtulit huc Enetum Dardanidumque fugas
Expulit &c.

ubi ſi pro *vix viſa* intelligas *vix viſam*, ſententia utcunque quadrat.

IV.

Plin. VI. ep. 10., & *IX. ep.* 19.

I. HIC . SITVS . EST . RVFVS . PVLSO . QVI . VINDICE . QVONDAM
IMPERIVM . ASSERVIT . NON . SIBI . SED . PATRIAE

1. Virginius Rufus ter conſul, quum omnes a Nerone ad Galbam deficerent, in Gallia Germanico exercitui praefuit: Vindicem ferro de ſe ſtatuere coegit: oblatum ſibi a militibus imperium recuſavit. *Triginta annis ſuperfuit gloriae ſuae, legit ſcripta de ſe carmina: legit hiſtorias* (Cl. Rufi, Plinii ſenioris, & Taciti) *& poſteritati ſuae interfuit. Plin. II. epiſt.* 1. Acturus erat in IV. conſulatu Trajano gratias; at liber, quem forte acceperat grandiorem, & ſeni & ſtanti elapſus eſt, quem dum ſequitur, per laeve pavimentum fallente veſtigio cadit, coxamque frangit, quae male coiit; itaque annum agens 83. in ſumma tranquillitate exceſſit, funere publico elatus, laudatuſque a conſule Cornelio Tacito, *Tacit. Hiſt. I. Plin. loc. cit. Dio Caſſ. LXIII. Quinctil. III. Inſtit.* Tanti viri reliquias poſt decimum mortis annum neglectas adhuc ſine titulo, ſine nomine jacuiſſe, jure indoluit Plinius, qui in ſocrus ſuae villa Alſienſi, quae Rufi Virginii fuerat, hoc diſticum fortaſſe ejus ſepulcro incidit, ſicut opinatur Cl. Hagenbuchius in *Epiſt. epigr. p.* 487. Inciſam certe poſtea vidit Dio.

V.

V.

Papiae. *Ex Gudio p.* 327. 16.

I. O . PATRIAE . RECTOR . CATO . PECTORE . VIRIBVS . HECTOR
HEV . DECVS . ANTIQVVM . VIR . CYNEA . PALMA . QVIRITVM
ORTVS . ROMA . TVI . LOCVS . EST . PAPIA . SEPVLCHRI

1. Niſi elogium ſit mendax, hunc certe virum, cujus nomen deſideratur, prudentiae, fortitudinis, litterarum gloria floruiſſe praedicat virorum virtus, quibuſcum comparatur. Quis enim Cato ſive Cenſorius, ſive Uticenſis? quibus parem inveniri vix poſſe exiſtimavit, qui cecinit: *tertius e caelo cecidit Cato*. Quis Hector? quo ſoſpite nunquam Troja eſt expugnata. Quis Demoſthenis auditor Cyneas? cujus eloquentia plures urbes, quam ſuis armis, ſubactas eſſe fatetur apud Plutarchum Pyrrhus.

V I.

Ex Grut. CCCLXI. 2.

ILLE . EGO . SVM . PROCVLVS
TOTVS QVI NATVS HONORI
AVT DIC QVIS SIT HONOS
QVEM MIHI INESSE NEGAS
COLLEGIVM PISTORVM
PATRONO PRESTANTISSIMO *ſic*

Capaccius *lib. II. hiſt. Neap.* 24. Puteolis extitiſſe dicit.

V I I.

Ibid. 3.

HIC . BIS . PRAEFECTVS . PATRIAE
PRAEFECTVS . ET . IDEM
HIC . LIBYES . IDEM . LIBYAE
PROCONSVL . ET . ANTE
TER . VICE . QVI . SACRA
DISCINXIT . IVRGIA . IVDEX
CONSVL . ET . AETERNO
DECORAVIT . NOMINE . FASTOS
CETERA . QVID . MEMOREM
TANTO . SVB . IVDICE . GESTA

CVM.

CVM . PROCVLVM . VIDEAS
TOTO . QVI . NATVS . HONORI . EST
COLLEGIVM . SVARIORVM . PATRONO
PRESTANTISSIMO

Fuit conſul cum Acindyno A.D.340. *Pag. in Crit. Rolandi Faſt.*

VIII.

Grut. CCCCL. 4.

Extabat Romae in S. Petri, antequam a P. M. Nicolao V. Baſilica amplificaretur.

SVBLIMIS . QVISQVIS . TVMVLI . MIRABERIS . ARCES
DICIS . QVANTVS . ERAT . QVI . PROBVS . HIC . SITVS . EST
CONSVLIBVS . PROAVIS . SOCERISQVE . ET . CONSVLE . MAIOR
1. QVOD . GEMINAS . CONSVL . REDDIDIT . IPSE . DOMOS
2. PRAEFECTVS . QVARTVM . TOTO . DILECTVS . AB . ORBE
SED . FAMA . EMENSVS . QVICQVID . VBIQVE . HOMINVM . EST
AETERNOS . HEV . ROMA . TIBI . QVI . POSCERET . ANNOS
CVR . NON . VOTA TVI . VIXIT . ADVSQVE . BONI
NAM . CVM . SEXDENOS . MENSIS . SVSPENDERET . ANNOS
3. DILECTAE . E . GREMIO . RAPTVS . *in aethra* . PROBAE
SED . PERIISSE . PROBVM . MERITIS . PRO . TALIBVS . ABSIT
CREDAS . ROMA . TVVM . VIVIT . ET . ASTRA . TENET
VIRTVTIS . FIDEI . PIETATIS . HONORIS . AMICVS
PARCVS . OPVM . NVLLI . LARGVS . AT . IPSE . FVIT
SOLAMEN . TANTI . CONIVX . TAMEN . OPTIMA . LVCTVS
HOC . PROBA . SORTITA . EST . IVNGAT . VT . VRNA . PARES
FELIX . HEV . NIMIVM . FELIX . DVM . VITA . MANERET
DIGNO . IVNCTA . VIRO . DIGNA . SIMVL . TVMVLO

1. Petronius Probus ab Auſonio *epiſt. XVII.* laudatur tanquam conſervator familiae Aniciae, & Anniae. Ab Ammiano Marcellino *lib. XXVII.* multa de Petronio narrantur, vocaturque MAXIMVS OMNIVM.

2. A. Gellius *Noct. Att. X. 1.* Varronis auctoritate *Diſcipl. lib. V.* inquit *Quartum* ſignificare tempus, nempe vices, & *ter ante factum*; *Quarto* ſignificare locum, & *tres ante factos*. Tiro doctus ille Ciceronis libertus tradit Pom-

Digitized by Google

pejum M. inſcripturum in publico monumento tertium ſibi delatum conſulatum dubitaviſſe, tertiumne, an tertio inſcribendum curaret, ac Ciceronem conſuluiſſe, cujus ſententia fuit, ſculpendum eſſe TERT; nam vocis ultima elementa non expreſſa pro libito quiſque poterat pronunciare.

3. Anicia Faltonia Proba ſanctiſſima femina, & Poetria perilluſtris.

I X.

Grut. pag. CCCCL. 5.

E Baronii Annal. in Probum Chriſtianum.

EXIMII . RESOLVTVS . IN . AETHERIS . AEQVORE . TANTVM
CVRRIS . ITER . CVNCTIS . INTEGER . A . VITIIS
NOMINE . QVOD . RESONAS . IMITATVS . MORIBVS . AEQVE
1. IORDANE . ABLVTVS . NVNC . PROBVS . ES . MELIOR
DIVES . OPVM . CLARVSQVE . GENVS . PRAECLARVS . HONORE
2. FASCIBVS . INLVSTRIS . CONSVLE . DIGNVS . AVO
3. BIS . GEMINA . POPVLOS . PRAEFECTVS . SEDE . GVBERNANS
HAS . MVNDI . PHALERAS . HOS . PROCERVM . TITVLOS
4. TRANSCENDIS . SENIOR . DONATVS . MVNERE . CHRISTI
HIC . EST . VERVS . HONOS . HAEC . TVA . NOBILITAS
5. LAETABARE . PRIVS . MENSAE . REGALIS . HONORE
PRINCIPIS . ALLOQVIO . REGIS . AMICITIA
NVNC . PROPIOR . CHRISTO . SANCTORVM . SEDE . POTITVS
LVCE . NOVA . FRVERIS . LVX . TIBI . CHRISTVS . ADEST
O . NVNQVAM . DEFLENDE TVIS . CVM . VITA . MANERET
CORPORIS . ATQVE . ARTVS . SPIRITVS . HOS . REGERET
PRIMVS . ERAS . NVLLIQVE . PATRVM . VIRTVTE . SECVNDVS
NVNC . RENOVATVS . HABES . PERPETVAM . REQVIEM
CANDIDA . FVSCATVS . NVLLA . VELAMINA . CVLPA
ET . NOVVS . INSVETIS . INCOLA . LIMINIBVS
HIS . SOLARE . TVOS . QVANQVAM . SOLATIA . MOESTA
GRATIA . NON . QVAERAT . GRATIA . CHRISTE . TVA
VIVIT . IN . AETERNA . PARADISI . SEDE . BEATVS
QVI . NOVA . DECEDENS . MVNERIS . AETHERII

VE-

VESTIMENTA . TVLIT . QVO . DEMIGRANTE . BELIAL
CESSIT . ET . INGEMVIT . HIC . NIHIL . ESSE . SVVM
HVNC . TV . CHRISTE . CHORIS . IVNGAS . CELESTIBVS . ORO
TE . CANAT . ET . PLACIDVM . IVGITER . ASPICIAT
QVIQVE . TVO . SEMPER . DILECTVS . PENDET . AB . ORE
AVXILIVM . SOBOLI . CONIVGIOQVE . FERAT

1. Primis Eccleſiae temporibus viri principes non pauci in Jordane voluerunt ſacro Baptiſmate initiari, quod etiam in votis fuiſſe legimus Conſtantino Magno.

2. Ejus paternus avus fuit Petronius Probianus Conſ. A. D. 322.

3. BIS . GEMINA . SEDE . dicitur populos gubernaſſe, quia quartum praefectura claruit. *Ter gemini honores* apud Horatium *Od. I.* diverſam admodum habent interpretationem. ſignificant nempe non varios dignitatum gradus, ſed geminos plauſus ore manuque in theatro habitos a triplici ordine ſenatorio, equeſtri, populari.

4. In fine vitae Chriſti fidem amplexus ſanctitate admirabili deceſſit, ad cujus ſepulcrum multa olim carmina extitiſſe teſtantur Baronii Annales.

5. Primum poſt Caeſares locum habuit, & in tanta fuit celebritate nominis, ut ad ejus magnificentiam ſpectandam ſapientes e Perſide Romam veniſſe Baronius referat, a quo & eximie laudatur ejus conjux Faltonia Proba. Ferrettius *Muſ. Lapidar. p.* 213. huic egregiae matronae perperam tribuit Centonum Virgilianorum inventionem: illud enim opus veluti apocriphum damnavit Gelaſius I. P. M. *Diſt.* 15. *Romana Eccleſia*, qualem quoque fuiſſe Centonem Homericum, Eudociae Theodoſiii II. imperatoris conjugi tributum, S. Hieronymus *Epiſt. ad Paulinum* affirmat, qui illud operis legit, antequam Eudocia imperatrix eſſet & Chriſtiana, cujus carmina ſcriptaque omnia quum hiſtoria memoret, de Centone nihil. Ceterum Sanctus Hieronymus de Centone prudenter ait: *puerilia ſunt haec, & circulatorum ludo ſimilia*.

Digitized by Google

In hortis Pinciis Patrum Minorum A. D. 1742. inventa eſt baſis, quae nunc extat in capitolio, cum ſequenti inſcriptione Petronio poſita antequam Chriſtianam fidem profiteretur: cui titulo locum hic eſſe decet; quia mutato ordine per exſcriptoris negligentiam in Galliam miſſus eſt, inſertuſque inter Ephemerides Pariſienſ. Menſ. Aug. An. 1742.. Bovhierii epiſtola ad Hagenbuchium eodem modo foedatum habet. Vid. *Hagenbuch. epiſt. epigr. p.* 113.

X.

Exſcripſi ex lapide capitolino.

NOBILITATISCVLMINI
LITTERARVMETELOQVENTIAELVMINI.
AVCTORITATISEXEMPLO
1. PROVISIONVMACDISPOSITIONVMMAGISTRO
HVMANITATISAVCTORI
MODERATIONISPATRONO.
DEVOTIONISANTISTITI
2. PETRONIO
PROBOVCPROCONSVLIAFRICAE
3. PRAEFECTOPRAETORIO
PERILLYRICVMITALIAMETAFRICAM
4. CONSVLIORDINARIO
OBINSIGNIAERGASEREMEDIORVMGENERA
5. VENETIADQVEHISTRIPECVLIARESEIVS.
PATRONOPRAESTANTISSIMO

Ad latus ſiniſtrum.

DEDICATA
6. VI. IDVS. AVG
D D N N
VALENTE VI ET
VALENTINIANO II
AVGG CONS

1. Cl. Bovhierius *Proviſionum magiſtrum* interpretatur *le General des vivres de l'armee*: contra doctiſſimus Hagenbuchius Epiſt. epigr. *pag.* 223. omnem excludit dignitatem ac magiſtratum, quia vox *proviſio* a magiſtratu ſejuncta ſaepe occur-

occurrit in illorum temporum monumentis: igitur *proviſion.* ac *diſpoſ. magiſtrum* accipit pro peritiſſimo in rebus optime providendis, quo titulo Themiſtocles laudatur. Perperam: nam de *magiſtris* ſeu *comitibus diſpoſitionum*, qui adaequabantur cum *proximis ſcriniorum*, vid. *Gothofred. T. II. Cod. Theod. lib. VI.*

2. De Petronio Probo, cujus nepotes laudantur apud Claudianum, vide *loc. cit. Ammian. Marcellin.* & *Baron.*

3. Praefectus Praetorio fuit imperante Valentiniano, mortuo Volcatio A. D. 369. quo anno S. Ambroſius miſſus a Probo Mediolanum fuit, illis verbis: *vade age non ut Judex, ſed ut Epiſcopus.*

4. Conſulatus cadit in A. V. 1131. Chr. 371. cum Gratiano. In Faſtis dicitur Sex. Anicius Probus.

5. PECVLIARES ſaepe in ant. lapid. dicuntur ſervi, quod alibi notandum erit; hoc loco *peculiaris* idem eſt ac *devotus*. Vid. *Hangebuch. loc. cit.*

6. Poſitus hic lapis A. Chr. 378. pridie illius diei, quam imp. Valens diem obiit extremum: *Hagenbuch. loc. cit. p.* 225.

X I.

Mediolani. *Murator. T. II. Cl. X. p. DCXCII.* 3.

Ex ſched. Farneſiis & Capponiis.

VESTER EGO INSVBRES IACEO HIC SVB MARMORE VESTER
LAEVINVS LYCIAE GLORIA GENTIS ERAM
QVID MIHI HONOS QVID OPES VIRTVS ME SOLA BEAVIT
QVA MORTALIBVS ET CAELITIBVS PLACVI
QVAE FVIT IN TERRIS VESTRI MIHI CAVSA SALVTIS
IN SVPERIS EADEM NVNC QVOQVE CVRA MIHI EST

X I I.

Ibidem.

1. PONTIVS HIC PARITER SVA CONVICARIVS OSSA
HIC CVM LAEVINO IVSSIT HVMANDA SVO
VT QVOS VIVENTES ANIMVS CONIVNXERAT IDEM
DEFVNCTOS EADEM IVNGERET VRNA DVOS
FLETE VIRVM QVICVMQVE ILLO SVPERESTIS ADEMPTO
GAVDETE OB CIVEM DIIQVE DEAEQVE NOVVM

1. Vi-

1. Vicarii appellatio ſaepe ſervilem ſapit conditionem, ſed hoc loco elogii ratio videtur omnino Vicarios deſignare, quorum gradus proconſulibus inferior erat, ſed non vulgaris. Duo haec epitaphia paucis mutatis Maffejus Veggius edidit in laudem Ritii, & Zambeccarii. Vid. *Poet. Illuſtr. Tom. X. p.* 311.

X I I I.

Albingauni. *Murator Tom. I. Cl. X. pag. DCXCII.* 3.

1. CONSTANTI VIRTVS STVDIVM VICTORIA NOMEN
DVM RECIPIT GALLOS CONSTITVIT LIGVRES
MOENIBVS IPSE LOCVM DIXIT DVXITQVE RECENTI
FVNDAMENTA SOLO IVRAQVE PARTA DEDIT
CIVES TECTA FORVM PORTVS COMMERCIA PORTAS
CONDITOR EXTRVCTIS AEDIBVS INSTITVIT
DVMQVE REFERT ORBEM ME PRIMAM PROTVLIT VRBEM
NEC RENVIT TITVLOS LIMINA NOSTRA LOQVI
ET RABIDOS CONTRA FLVCTVS GENTESQVE NEFANDAS
CONSANTI MVRVM NOMINIS OPPOSVIT

1. Conſtatius Comes, qui ex Placidia Honorii imp. ſorore genuit Valentinianum III. Aug. poſtquam Gallias a tyrannis Conſtantino & Jovino, nec non a Gothis uſurpatas recepit, Albingaunum reſtauraſſe & muniiſſe videtur. Extabat inſcr. in aedibus Comitis Coſtae, nunc Marchionis Baleſtrini. In ſchedis Antonii Giganti notatur, charaẛteres eſſe barbaricos, pertinentes ad ſeculum Chr. IV. aut V. Ughellius quoque hunc lap. protulit *T. IV. Ital. ſacr. in Epiſcop. Albing.*

X I V.

E cippo exſcripſi in Muſeo capitolino.

In fronte.

D M

1. VETTIVSAGORIVSPRAETEXTATVS
2. AVGVR . PONTIFEXVESTAE
PONTIFEXSOLIS . QVINDECEMVIR
3. CVRIALISHERCVLIS . SACRATVS
4. LIBEROETELEVSINIIS . HIEROPHANTA
5. NEOCORVS . TAVROBOLIATVS

PA-

Digitized by Google

PATERPATRVM . INREPVBLICAVERO
6. QVAESTORCANDIDATVS
PRETORVRBANVS
7. CORRECTORTVSCIAEETVMBRIAE
CONSVLARISLVSITANIAE
8. PROCONSVL*hc* EACHAIAE
9. PRAEFECTVS VRBI
LEGATVSASENATVMISSVS V
10. PRAEFECTVSPRAETORIOIIITALIAE
ETILLYRICI . CONSVLORDINARIVS
11. DESIGNATVS
12. ETACONIAFABIAPAVLINA C F
SACRATACERERIETELEVSINIIS
13. SACRATAAPVDEGINAMHECATAE
TAVROBOLIATA . HIEROPHANTRIA
HICONIVNCTISIMVLVIXERVNTANNXL.

Ad laevam.

VETTIVSAGORIVS PRAETEXTATVS
PAVLINAECONIVGI
PAVLINANOSTRIPECTORISCONSORTIO
FOMESPVDORISCASTITATISVINCVLVM
AMORQVEPVRVSETFIDESCAELOSATA
14. ARCANAMENTISCVIRECLVSACREDIDI
MVNVSDEORVMQVIMARITALEMTORVM
NECTVNTAMICISETPVDICISNEXIBVS
PIETATEMATRISCONIVGALIGRATIA
NEXVSORORISFILIAEMODESTIA
ETQVANTAAMICISIVNGIMVRFIDVCIA
AETATISVSVCONSECRANDIFOEDERE
IVGIFIDELISIMPLICICONCORDIA
IVVANSMARITVMDILIGENSORNANS
COLENS

Ad dexteram

VETTIVSAGORIVS . PRAETEXTATVS
PAVLINAE . CONIVGI
PAVLINAVERIETCASTITATISCONSCIA
DICATATEMPLISATQ.AMICANVMINVM
15. SIBIMARITVMPRAEFERENSROMAMVIRO

PVDENSFIDELISPVRAMENTEETCORPORE
BENIGNACVNCTISVTILISPENATIBVS

Videntur deeſſe nonnulla effracto marmore.

In parte poſtica.

*ſple*NDORPARENTVMNILMIHIMAIVSDEDIT
QVODMARITODIGNAIAMTVMVISASVM
*ſ*EDLVMENOMNEVELDECVSNOMENVIRI
16. AGORISVPERBOQVICREATVSGERMINE
PATRIAMSENATVMCONIVGEMQ.INLVMINAS
17. PROBITATEMENTISMORIBVSSTVDIISSIMVL
VIRTVTISAPICEMQVISVPREMVMNANCTVS *ſic* ES
TVNAMQVEQVIDQVIDLINGVAVTRAQESTPRODITVM
CVRASOFORVMPORTAQVISCAELIPATET
VELQVAEPERITICONDIDERECARMINA
VELQVAESOLVTISVOCIBVSSVNTEDITA
MELIORAREDDISQVAMLEGENDOSVMPSERAS
IV. SEDISTAPARVATVPIVSMOVESTESSACRIS
TELETISREPERTAMENTISARCANOPREMIS
DIVVMQVENVMENMVLTIPLEXDOCTVSCOLIS
SOCIAMBENIGNECONIVGEMNECTENSSACRIS
HOMINVMDEVMQVECONSCIAMACFIDAMTIBI
QVIDNVNCHONORESAVTPOTESTATESLOQVAR
HOMINVMQVEVOTISADPETITAGAVDIA
QVAETVCADVCAACPARVASEMPERAVTVMANS
19. DIVVMSACERDOSINFVLISCELSVSCLVES
TVMEMARITEDISCIPLINARVMBONO
20. PVRAMACPVDICAMSORTEMORTISEXIMENS
INTEMPLADVCISACFAMVLAMDIVISDICAS
TETESTECVNCTISIMBVORMYSTERIIS
21. TVDIADYMENESATTEOSQVIANTISTITEM
TELETISHONORASTAVREISCONSORSPIVS
HECATESMINISTRAMTRINASECRETAEDOCES
CERERISQVEGRAIAETVSACRISDIGNAMPARAS
TEPROPTEROMNISMEBEATAMMEPIAM
CELERBANTQVODIPSEMEBONAMDISSEMINAS
TOTVMPERORBEMIGNOTANOSCOROMNIBVS
NAMTEMARITOCVRPLACERENONQVEAM
EXEMPLADEMEROMVLEAEMATRESPETVNT

SVBO-

SVBOLEMQVEPVLCHRAMSITVAISIMILISPVTANT
OPTANTPROBANTQVENVNCVIRINVNCFEMINAE
QVAETVMAGISTERINDIDISTIINSIGNIA
HISNVNCADEMPTISMAESTACONIVNXMACEROR
FELIXMARITVMSISVPERSTITEMMIHI
DIVIDEDISSENTSEDTAMENFELIXTVA
QVISVMFVIQVEPOSTQVEMORTEMMOXERO

In fronte.

D M

Vettius Agorius Praetextatus
Augur, pontifex Veſtae,
Pontifex ſolis, quindecemvir,
Curialis Herculis, ſacratus
Libero & Eleuſiniis. Hierophanta,
Neocorus, tauroboliatus,
Pater patrum. In Republica vero
Quaeſtor candidatus,
Praetor urbanus,
Corrector Tuſciae & Umbriae,
Conſularis Luſitaniae,
Proconſul Achajae,
Praefectus urbi,
Legatus a ſenatu miſſus V.
Praefectus praetorio II. Italiae
Et Illyrici, Conſul ordinarius
Deſignatus,
Et Aconia Fabia Paulina C. F.
Sacrata Cereri & Eleuſiniis,
Sacrata apud Aeginam Hecatae,
Tauroboliata, Hierophantria.
Hi conjuncti ſimul vixerunt ann. XL.

Ad laevam.

Vettius Agorius Praetextatus
Paulinae conjugi
Paulina noſtri pectoris conſortio

Fomes pudoris, caſtitatis vinculum,
Amorque purus, & fides caelo ſata,
Arcana mentis cui recluſa credidi
Munus Deorum, qui maritalem torum
Nectunt amicis & pudicis nexibus,
Pietate matris, conjugali gratia,
Nexu ſororis, filiae modeſtia,
Et quanta amicis jungimur fiducia,
Aetatis uſu conſecrandi foedere
Jugi, fideli, ſimplici concordia.
Juvans maritum, diligens, ornans, colens.

Ad dexteram.

Vettius Agorius Praetextatus
Paulinae conjugi.
Paulina veri & caſtitatis conſcia,
Dicata templis atque amica Numinum,
Sibi maritum praeferens, Romam viro,
Pudens, fidelis, pura mente & corpore,
Benigna cunctis, utilis Penatibus.

Deeſſe videntur nonnulla effracto marmore.

In parte poſtica.

Splendor parentum nil mihi majus dedit,
Quam *quod marito digna jam tum viſa ſum*
Sed lumen omne, vel decus, nomen viri
Agorii, ſuperbo qui creatus germine
Patriam, ſenatum, conjugem inluminans
Probitate mentis, moribus, ſtudiis ſimul,
Virtutis apicem qui ſupremum nactus eſt.
Tu nanque quicquid lingua utraque eſt proditum
Cura ſophorum, porta queis caeli patet,
Vel quae periti condidere carmina,
Vel quae ſolutis vocibus ſunt edita,
Meliora reddis, quam legendo ſumſeras.
Sed iſta parva: tu pius mores te ſacris
Teletis; reperta mentis arcano premis,

Di-

Divumque numen multiplex doctus colis,
Sociam benigne conjugem nectens ſacris
Hominum, Deumque conſciam ac fidam tibi.
Quid nunc honores, ac poteſtates loquar,
Hominumque votis adpetita gaudia?
Quae tu caduca, ac parva ſemper autumans,
Divum ſacerdos infulis celſus clues.
Tu me, marite, diſciplinarum bono
Puram, ac pudicam ſorte mortis eximens
In templa ducis, ac famulam Divis dicas:
Te teſte cunctis imbuor myſteriis,
Tu, Dindymenes Atteos qui antiſtitem
Teletis honoras taureis conſors pius,
Hecates miniſtram trina ſecreta edoces,
Cereriſque Grajae tu ſacris dignam paras.
Te propter omnis me beatam, me piam,
Celebrant, quod ipſe me bonam diſſeminas
Totum per orbem: ignota noſcor omnibus.
Nam te marito cur placere non queam?
Exempla de me Romuleae matres petunt,
Sobolemque pulcram, ſi tuai ſimilis, putant,
Optant probantque nunc viri, nunc feminae.
Quae tu magiſter indidiſti inſignia,
His nunc ademtis maeſta conjux maceror:
Felix; maritum ſi ſuperſtitem mihi
Divi dediſſent, ſed tamen felix, tua
Qui ſum, fuique, poſtque mortem mox ero.

1. Hujus Vettii Agorii vide alios lapides apud Grut. *CCCCLXXXVI.* 3. & *MCII.* 2. Gothofredus in *Proſograph. Cod. Theod. ad litt. P.* auctoritatibus Symmachi, Macrobii & aliorum; itemque ex lapidibus Grut. evincit, hunc Praetextatum ethnicorum ſuperſtitioni fuiſſe addictum; ſed in errore vixiſſe pariter ac periiſſe non alibi clarius lucet, quam in hoc marmore diu neglecto, quod Cl. Marchio Locatellius nuper curavit, ut ſpectaretur in muſeo capitolino.

2. Hic nempe ille eſt Agorius, cujus exemplo Gutherius *de Jur. Pont. l.* 5. contra Lipſium evincit, pontificem Veſtae a P M. diſtinguendum: nam Symmachus eum amice arguit Bajanis deliciis deditum, quum multa in collegio deliberanda eſſent, tum ad urbem revocat iis verbis, quibus ſeſe oſtendit pontificem eo majorem: ait enim: *niſi mavis auctoritatem pontificis experiri*.... itemque *ſenties jus ſacerdotis*, *niſi impleveris jus amici*. Agorio a Veſtalibus ſtatuae datus honor, qui antea nemini, fruſtra obſiſtente Symmacho *II. epiſt.* 36. ac favente in primis Caelia Concordia Veſtali Max., cui poſtea Aconia Paulina ſtatuam collocavit. *Guther. loc. cit.*

3. Apud *Grut. loc. cit.* Curialis tantum enunciatur.

4. Pauſanias in Phocicis tradit, tanto ceteris initiis, quanto Dii heroibus praeſtabant, auguſtiora apud Graecos fuiſſe initia Eleuſinia, ſeu Theſmophoria, quae a Romanis, ſicuti & Sabazia, celebrabantur, ubi novi conſules ſacrificabant auſpicandi cauſa, nempe in Junonis Lanuvinae, cujus ſtatua cum calceis lunatis oſtenditur in ſcalis muſei capitolini.

5. De taurobolio vide, ſi vacat, quae dicta ſunt in I. Cl. ad inſcr. 24. 25. 26. 27.

6. Omnibus SCtis plerunque orationem principes praemittebant, recitatam interdum a quaeſtoribus candidatis, ita dictis, quod haec dignitas ad alias aditum aperiret, quaſi gerendorum honorum primordium eſſet. *Dio Caſſ. LIV. Tacit. An. XVI. Svet. Aug.* 65. Ideo in lapidibus principem habere locum hic ſolet honor, tanquam exordium ceterorum.

7. De Correctorum, qui praeſidibus potiores erant, conſularibus inferiores *Gothofred. in notit. dignit. codic. Theodoſ.* antiquitate & munere prolixe ſcribunt *PanciroI. in notit. imp. Orient. c.* 156. *Guther. de offic. Dom. Aug. l.* 7. ac noviſſime *Dominicus Georgius de Antiq. Metrop. lib. IV. a pag.* 55. *uſque ad finem*. Hanc dignitatem non cuivis conceſſam olim fuiſſe, ſed viris rerum peritiſſimis, doctrinaque illuſtribus conſtat tum hujus lapidis auctoritate, tum Dynamii exemplo apud Ammianum *lib. XV.* Et merito quidem: nam hic titulus no-

men

men habuit a provinciis corrigendis, reſtituendiſque in decus priſtinum, ideo apud Rufinum *lib. XVIII.* 4. legimus Germanicum ab ſenatu miſſum *cuncta Syriae negotia correcturum*. Vid. *Barth. Adv. LIX.* 14.

8. A Juliano proconſul factus eſt, & perſtitit ea in dignitate primis Valentiniani annis, teſte Ammiano *XXII.* 3. & Zoſimo *IV.* 3. ubi dicitur *vir omnibus virtutibus excellens*. Hujus proconſulatus eſt quoque mentio in ſupra citatis Gruterianis lapidibus, in quibus vides *Achajae* non *Eachajae*, ut in hoc noſtro per marmorarii vel incuriam, vel ignorantiam.

9. An. 368. Amm. Marcellinus *XXVII.* 9. ſummis laudibus praedicat praefecturam urbanam Praetextati ſub Valente, & Valentiniano: praeſertim eum cum Bruto comparat, de quo Cicero ſcripſit, quod quum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur, quae faciebat. Nolim Agorium Chriſtianis faviſſe putes, quod Urſicinum id temporis excitantem in Eccleſia turbas ab urbe pepulit; ita enim decrevit, ut tumultus ſedaret, non Chriſti fidem ut tueretur, cujus erat deriſor impudentiſſimus, quippe qui teſte S. Hieronymo epiſt. *ad Pammach. ſolebat ludens beato Papae Damaſo dicere: facite me Romanae urbis Epiſcopum, & protinus ero Chriſtianus*. In ſua praefectura, ne trutinae ex libidine componerentur, aequa pondera per regiones inſtituit univerſas, *Ammian. loc. cit.* De ſuorum felicitate tam ſemper anxius, quam belli paciſque artibus ac virtutibus, quae regiae ſunt, omnibus exornatus, rem huic ſimilem in praeſentiarum fieri Taurini juſſit Carolus Emanuel, par optimo cuique Rex, a quo id negotii accepit, perfecitque P. Jo. Baptiſta Beccaria, vir in meo Ordine ſatis clarus, & Phyſices, quam ab experimentis nuncupant, Lector in celeberrima Taurinenſi Academia.

10. P. P. ſeu praefectus praetorio fuit anno 384. ſub Valentiniano juniore: *Symmach. X. epiſt.* 34. & *Proſograph. Codic. Theodoſian p.* 76.

11. Vere *deſignatus* tantum, quia conſulatum non geſſit, adeoque nulla ejus mentio in priſcis faſtis; nam deſignatus

con

conſul eſt mortuus, auctore prae ceteris S. Hieronymo *loc. cit.* Nulla ergo fides eſt Lazio habenda *Comment. Reip. Rom. VIII.* 2. qui ſecus ſentit, non diſtinguens hunc noſtrum ab Aſinio Praetextato, qui conſul cum Attico fuit A. D. 242. Vid. *Pag. ad Baron. an. cit.* & *Gothofred. in Proſograph. Cod. Theod.* ad litt. P.

12. Aconia filia Aconii Catullini, qui in tribus lapidibus *Grut. CCCIX.* dicitur Conſul ordinarius, nempe A. D 349. In citatis lapidibus dicitur Aconis & Aconius, Onuphrius in faſtis vult Aconem fuiſſe dictum, Gothofredus *loc. cit. ad litt.* C. Aconium ſuſtinet, quia variantibus lapidibus codex Theodoſianus habet expreſſe Aconii nomen, non Aconis.

13. Quam colebant Aeginetae, Hecaten Pauſanias in *Corinth.* ſeu *lib II.* refert non Epipyrgidiam, hoc eſt triplicis fuiſſe corporis, ſed unius; illiuſque initia a Thrace Orpheo inſtituta, de quibus conſule *Caelium Rhodig. XX. Ant. Lect.* 6. *Lil. Gyrald. Syntagm.* 12.

14. Huc ſpectant Macrobii verba *Saturn. I.* 7. ubi Praetextatus hic noſter dicitur *ſacrorum unice conſcius*; & *ibid.* 11. *princeps religioſorum*; ac 17. *ſacrorum omnium praeſul.*

15. Stante republica praetoribus dabatur vitio, quod raro legitur, comites in provinciis habere conjuges; cauſam accipe a Juvenale *Sat. VIII. v.* 127.

ſi nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus, & cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celaeno.

16. Macrobius *Saturn. I.* 6. Praetextati nobilitatem deducit a Papyrio puero, qui a patre in curiam ductus, tum a matre coactus, quid audiviſſet, aperire, feſtivo mendacio dixit, actum in ſenatu, utrum magis e republica videretur, *unusne vir duas uxores haberet*, an *ut una apud duos nupta eſſet*. Hinc matronarum tumultus ab ſenatu rogantium, *una potius ut duobus nupta fieret, quam uni duae*. Re comperta ſenatus conſultum fecit, ne poſthac pueri cum patribus curiam adirent praeter Papyrium, qui dictus honoris gratia Praetexta-

textatus, atque hoc cognomentum familiae in nomen haeſit. Polybius, niſi poſt id rei loquatur, mendacii Macrobium arguit, pueris negans omnino in curiam aditum patuiſſe. Et jure quidem: nam unusne puer tentatus? una mater curioſa?

17. De moribus & ſtudiis ejus multa Ammianus in hiſtoria, Symmachus in epiſtolis, Macrobius in Saturnalibus, ubi loquens inducitur, & laudatur, quod apud eum Romanae nobilitatis & eruditionis principes congregarentur.

18. TESSACRIS redundat s. Senſum hunc eſſe opinor, moves te, nempe vacas ſacris teletis, ſive expiationibus; nam *teleta* apud Apulejum *Metam. XI.* expiatio eſt per ſacrificium quaeſita: ait enim *cogor tertiam teletam ſuſcipere*. Revera paucos invenies tot ritibus initiatos, quot Agorium & Aconiam.

19. Variis ſacerdotiis initio numeratis *clues*, ideſt celebraris ſecundum Plautum in *Trinum. II.* 4. *ita ſis, ut nomen cluet*: niſi mavis *cluere* pro *purgare* hic accipi oportere, unde *Cluacina*, vel *Cloacina*, *Plin. H N. XV* 29. quaſi Praetextatus, utpote Veſtae, ac Solis pontifex, neocorus, & hirophanta ſacris purgationibus praeeſſet. Nam ſtatim addit Aconia, ab eo ſeſe imbutam myſteriis omnibus.

20. Vide quae ex Apulejo prolata ſunt *Num. XXII. in Claſſ. I.*

21. *Diadymenes* vox nec graeca, nec latina, ſed utriuſque particeps, quia graeci Διαδιδέμενος, latini *Diadumenus*. Hujus verſus & ſequentis hic ſenſus: *tu es, qui conſors pius me antiſtitem Diadumenes*, nempe Diadumeni, ſeu vittati diadematique *Atteos*, nimirum Attinis, ſeu mithrae ac ſolis, *honoras taureis teletis*, ideſt purgationibus taurobolii, de quibus ſacris in I. Cl.

Poſt Romanos magiſtratibus nobiles locum habere merito debent Graeci, quos palma olympica nobilitavit. Eos enim Cicero *Orat. pro Flac.* non modo vocat nobiles, verum etiam eorum decus in Graecia affirmat prope majus habitum & glorioſius, quam Romae triumphaſſe. Vid *I. Tuſc.* 46. Sicut in urbe conſules, ita in Olympiis victores *iterum*, & *ter-*

& *tertium* dicebantur. Quid? quod oleaſtro, vel olea coronati non per portas urbis, ſed per ruinas murorum ſublimes in curru, plaudentibus undique civibus, in patriam revehebantur? *Cic. de Cl. Orat.* Adde Horatium, qui ſane ab honoribus olympicis illud mutuatus eſt. *Od. I.*

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat; metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evèhit ad Deos.

Sed multi multa de his honoribus, quorum Graeci tam erant cupidi, ut ad corporis robur carnibus abſtinerent, donec Stymphalius Dromeus Pythicis, Iſthmiciſque, ac Nemiacis palmis perilluſtris aſſis carnibus veſci coepit: nam ante ipſum athletae caſeo e fiſcellis alebantur.

X V.

Pauſan. Eliacor. II. p. 181.

ΜΟΥΝΟΣ ΠΑΛΗΙ ΝΙΚΩ ΔΙΣ ΟΛΥΜΠΙΑ ΠΥΘΙΑ Τ' ΑΝΔΡΑΣ
ΤΡΙΣ ΜΕΜΕΑ ΤΕΤΡΑΚΙΣ Δ' ΙΣΘΜΩΙ ΕΝ ΑΓΧΙΑΛΩΙ
ΧΙΛΩΝ ΟΣ ΠΑΤΡΕΥΣ ΗΝ ΑΥΤΑΡ ΛΑΟΣ ΑΧΑΙΩΝ
ΕΝΠΟΛΕΜΩΙ ΦΘΙΜΕΝΟΝ ΘΑΨ' ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ

Μοῦνος πάλῃ νικῶ δὶς Ὀλύμπια Πύθιὰ τ' ἄνδρας,
Τρὶς Νεμέα, τετράκις δ' Ἰσθμῷ ἐν ἀγχιάλῳ,
Χίλων, ὃς Πατρεὺς ἦν· αὐτὰρ λαὸς Ἀχαιῶν
Ἐνπολέμῳ φθίμενον θάψ' ἀρετῆς ἕνεκα.

Amaſaeus *p.* 155.

Solum lucta virum bis Olympia, Pytiaque ornat,
Ter Nemaea, atque Iſthmus me quater undiſonus
Chilonem. Patria eſt Patrae: virtutis Achivi
Caeſum acie memores hoc poſuere loco.

Chilon Achaeus Patrenſis de lucta virorum duas, Delphicam unam, quatuor Iſthmicas, tres Nemiacas coronas eſt conſequutus, cui Achaei ſepulcrum impenſa publica erexere. Ejus ſtatua fuit Lyſippi opus, ex cujus aetate Pauſanias conjicit; Chilonem vel ad Chaeroneam ſtetiſſe in acie cum Achaeis omnibus, vel ad Lamiam in Theſſalia, ubi praelium cum

Digitized by Google

cum Antipatro Macedonum rege commiſſum eſt. *Pauſ. loc. cit.* Chilonis exemplum docet, non ſtatim poſt palmam victoribus ſtatuae honorem decretum eſſe, tanti in Graecia habitum, ut non eum habuerint, quotquot victores e ludis Olympicis diſceſſere, in quibus ipſi reges ſibi laudi duxerunt habere locum.

XVI.

Ex Pauſan. VI. p. 185.

ΥΙΟΣ ΕΙΝΥΤΤΑ ΔΑΜΑΡΧΟΣ ΤΗΝΔ' ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΕΙΚΟΝ ΑΠ' ΑΡΚΑΔΙΑΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΣ ΓΕΝΕΑΝ

Υἱὸς Δινύτλα Δάμαρχος τλώδ' ἀνέθηκεν
Εἰκόν', ἀπ' Ἀρκαδίας Παῤῥάσιος γενεάν.

Amaſaeus *p.* 158.

Dinytta genitus Demarchus, dedicat hancce
Effigiem, Arcadico Parrhaſius genere.

De pugile Parrhaſio ex Arcadia, cui nomen Demarcho, praeter olympicam victoriam haec narratur fabula, quod in Jovis Lycaei ſacris ſe in lupum verteret, ac decimo rurſus anno in priſtinam rediret formam *Pauſan. loc. cit.* Plinius VIII. 22. ex Agrippa, qui Olympionicas ſcripſit, vocat hunc Demaenetum, non Demarchum.

XVII.

Pauſanias ibid. p. 187.

ΠΑΤΡΙΣ ΜΕΝ ΚΟΡΘΚΥΡΑ ΦΙΛΩΝ Δ' ΟΝΟΜ' ΕΙΜΙ ΔΕ ΓΛΑΥΚΟΥ
ΥΙΟΣ ΚΑΙ ΝΙΚΗ ΠΥΞ ΔΥ' ΟΛΥΜΠΙΑΔΑΣ

Πατρὶς μὲν Κορκύρα, Φίλων δ' ὄνομ', εἰμὶ δὲ Γλαύκυ
Υἱὸς, καὶ νίκη πὺξ δύ' ὀλυμπιάδας.

Amaſaeus p. 159.

Glaucus mi genitor, patria eſt Corcyra, Philoni
Nomen, vinco pugil jam bis olxmpiadas.

Simonides Leoprepis filium appoſite hos fecit elogos in Philonis ſtatuam, quae victoriae teſtis in Elide erecta fuit prope Gelonis currum.

XVIII. *Ibidem.*

ΕΥΤΕΛΙΔΑΣ ΚΑΙ ΧΡΥΣΟΘΕΜΙΣ ΤΑΔΕ ΕΡΓΑ ΤΕΛΕΣΣΑΝ
ΑΡΓΕΙΟΙ ΤΕΧΝΑΝ ΕΙΔΟΤΕΣ ΕΚ ΠΡΟΤΕΡΩΝ

Εὐτελίδας καὶ Χρυσόθεμις τάδε ἔργα τέλεσαν
'Αργεῖοι, τέχναν εἰδότες ἐκ προτέρων.

Amaſaeus *p.* 160.

Argivi Eutelidas, & Chryſothemis fabricarunt
Majores artem quos docuere ſui.

Eutelidae, & Chryſothemidis Argivorum opera, ut inſcr. teſtatur, fuerunt ſtatuae Demarati Heraeenſis, ejuſque filii item Demarati, quorum prior quinta ſupra LX. olympiade victoria claruit, quum gravis armatura inſtituta eſt, quae poſtea deſuevit. Ideo ejus ſtatua tenebat clypeum: galea caput, crura ocreis ornata erant. Ejus nepotes quoque de quinquertio palmas adepti ſunt. *Pauſ. loc. cit.*

X I X.

Pauſan. ibid. p. 191.

ΩΚΥΔΡΟΜΑΣ ΛΥΚΟΣ ΙΣΘΜΙ ΑΠΑΞ ΔΥΟ Δ' ΕΝΘΑΔΕ ΝΙΚΑΙΣ
ΦΕΙΔΩΛΑ ΠΑΙΔΩΝ ΕΣΤΦΑΝΩΣΕ ΔΟΜΟΙΣ

'Ωκυδρόμας Λύκος Ἴσθμι' ἅπαξ, δύο δ' ἐνθάδε νίκαις
Φειδώλα παίδων ἐστεφάνωσε δόμοις.

Amaſ. *p.* 163.

Acer equis Lycus hic ſemel Iſthmia vicit: & idem
Phidolae Eleo cinxit honore domum.

Victor equus inſiſtebat pilae cum inſcriptione Lyci deveredis victoria illuſtris, natione Corinthii, illo Phidola geniti, cujus equa apud Pauſaniam *loc. cit.* Aura nomine ſatis eſt celebris. Nam ſeſſore collapſo curſum retinuit, ac circa metam ſe convertit, auditoque tubae ſonitu vehementius concitata ad praefectos antevertit, tum quaſi victoriae compos conſtitit. Elei rem admirati Phidolae palmam dedere, facultatemque ſibi, & equae ſimulacrum publice dedicandi.

X X.

Pauſan. 198. *ibid.*

ΩΣ ΤΗΝ ΙΠΠΑΦΕΣΙΝ ΣΕΥ ΟΛΥΜΠΙΑ ΕΥΡΑΤΟ ΠΡΩΤΟΣ
ΤΕΥΞΕ ΜΕ ΚΛΕΙΟΙΤΑΣ ΥΙΟΣ ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ

Ὃς τὴν ἱππάφεσιν σεῦ Ὀλυμπία εὕρατο πρῶτος.
Τεῦξέ με Κλειοίτας ὑιὸς Ἀριστοκλέους.

Athe-

Athenis. *Amaſ. p.* 169.

Carcere ab Eleo docuit qui mittere currus,
Mi auctor Cleoetas natus Ariſtoclee.

Cleoetas carcerum formam excogitavit in ludis olympicis, & ob id operis adeo ſibi placuit, ut Athenis in ſtatua ſibi poſita hoc inſculpſerit epigramma. Fuit forma carcerum prope talis, qualem cernimus in navis prora, verſo in curriculum roſtro, in cujus extremo delphinus aeneus ſuper regulam eminebat: utrunque latus carcerum protendebatur in pedes quadringentos, & amplius: extructae in iis cellulae, quas ſortiebantur, qui vel equos, vel currus producebant. Ad mediam prorae partem ara erecta erat: ſuper aram aquila aenea, quae machinulae cujuſdam ope in ſpectatorum conſpectum attollebatur quaſi ſubvolatura: at delphinus ad imam ſoli aream alia machina demittebatur: tum ſubmiſſis repagulis aurigarum ſolertia, & equorum pernicitas in ſui ſpectaculum omnium oculos convertebat. *Pauſan. ibid.*

XXI.

Pauſan. in Achaic. ſeu lib. VII. p. 222.

ΟΙΝΙΑ ΟΙΒΩΤΑΣ ΣΤΑΔΙΟΝ ΝΙΚΩΝ ΟΔ᾽ ΑΧΑΙΟΣ
ΠΑΤΡΙΔΑ ΠΑΛΕΙΑΝ ΘΗΚ᾽ ΟΝΟΜΑΣΤΟΤΕΡΑΝ

1. Οἰνία Οἰβώτας στάδιον νικῶν, ὅδ᾽ Ἀχαιὸς
2. Πατρίδα Πάλειαν θῆκ᾽ ὀνομαστοτέραν.

Amaſ. *p.* 189.

Oeniae Oibotas ſtadium ſuperavit Achivus,
Per quem Palea clarius enituit.

1. Oibotas palmam de ſtadio retulit olympiade VII. ſtatuam vero ex Delphico reſponſo habuit olympiade LXXX.
2. Palea Achaeorum civitas, deinde vel a Dyme femina indigena, vel a Dymante Aegimii filio Dyme nuncupata eſt. Philippus Demetrii filius bello Achaeis indicto hanc unam ſibi ex Achaeorum urbibus obedientem habuit, quae ideo ab hoſtibus direpta fuit. Hanc poſtea Auguſtus Patrenſibus dediſſe legitur. *Pauſan. loc. cit.*

Nobilium Romanorum, Graecorumque titulis tanquam corollarium, addo latinos, qui ſequuntur, duos quatulocunque dignitatis decore inſignitos.

XXII.

Veronae. *Ex Muſ. Veron. pag. CLXX.* 3.

TELEPHVS . HAC . SEDE . IVCVNDA . POTIVSQVE . QVIESCENT
1. DEBITA . CVM . FATIS . VENERIT . HORA . TRIBVS
1. HIC . LOCVS . HEREDI . NE . CESSERIT . INVIOLATI
SINT . CINERES . TVM . QVOS . CANA . FAVILLA . TEGET
3. TELEPHVS IIIIII. VIR . SIBI . ET . SVIS

1. Locus fuit Romae tribus Fatis dedicatus àb ethnicorum ſuperſtitione; ſed chriſtiana pietas *fecit Eccleſiam B. Hadriano in tribus fatis*, *Athanaſ. Biblioth. in Honor.* Cl. Marchio Maffejus inquit in Theſauro Mediceo ſeſe aureum Diocletiani Numiſma vidiſſe tres mulieres exhibens cum epigr. FATIS VICTRICIBVS.

2. Quum in fine dicatur SIBI . ET . SVIS .., certe ad heredem exterum pertinet haec interdictio, ſaepe obvia in lapid. his aut ſimilibus ſiglis: H. M. E. H. N. S. i. e. hoc monumentum exterum heredem non ſequitur.

3. Hic unus ex ſeviris aut ſexviris fuit, quos Reineſius, & Ferrettius inter magiſtratus perperam recenſent; contra Emus Noriſius *Cenotaph. Piſan. Diſſ. I.* 6., & Raphael Fabrettus *Ant. Inſcr. V.* hanc dignitatem ſacerdotium fuiſſe oſtendunt, utpote ſaepe Auguſtalitati conjunctam, qui honor & mulieribus collatus fuit *Grut. MLXXXVIII. Fabr. loc. cit.* Erat hic ordo & in equeſtri militia, ſed multo, quam in coloniis, aut municipiis, nobilior; illic enim militibus tantum ſtrenuis, hic libertis etiam pecunioſis ad hunc honorem patebat aditus *Grut. p. CL. Fabr.* 406. Sevirorum in lapidibus multitudo exinde oritur, quod qui ſemel eo munere functi fuerant, perpetuo titulum retinebant *idem loc. cit.* De hujus dignitatis origine ac munere Noriſium conſule, ac Reineſium *Epiſt. XXXI.*

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

Ex *Muſ. Veron. pag.* CCL. 7.

. . . .

1. PVBLII . AELII . VLPII . . . .
HANC . SEDEM . LONGO . PLACVIT . SACRARE . LABORI
HANC . REQVIEM . FESSOS . TANDEM . QVA CONDERET . ARTVS
VLPIVS . EMERITIS . LONGAEVI . MVNERIS . ANNIS
IPSE . SVO . CVRAM . TITVLO . DEDIT . IPSE . SEPVLCHRI
ARBITER . HOSPITIVM . MEMBRIS . FATOQVE . PARAVIT

1. Doctrina ubique clarus Marchio Scipio Maſſejus habet hanc inſcr. in celebri opere, cui titulus *Oſſervazioni letterarie, o continuazione al Giornale de Letterati d' Italia, pag.* 212. *Tom. I.* ubi jure dolet, in ſuperiore parte eſſe fractum hoc marmor, aliquo dignitatis titulo nobilitatum, ab Arioſto exſcriptum in vico Caranzebes Comitatus Temiſvarienſis.

XXIV.

Trallibus in urbe Lydiae ex Agathia.

Murator. Tom. II. p. 1087.

ΚΛΑΣΘΕΙΣΑΣ ΠΑΤΡΑΣ ΣΕΙΣΜΩΙ ΠΟΤΕ ΚΑΝΤΑΒΡΙΝ ΕΣ ΓΑΝ
ΧΑΙΡΗΜΩΝ ΕΠΤΑ ΠΑΤΡΙΔΑ ΡΥΣΟΜΕΝΟΣ
ΚΑΙΣΑΡΙ Δ' ΕΙΛΙΧΘΕΙΣ ΠΕΡΙ ΔΟΥΝΑΣΙ ΤΑΝ ΜΕΓΑΛΑΥΧΟΝ
ΩΡΘΩΣΕ ΤΡΑΛΛΙΝ ΤΑΝ ΠΟΤΕ ΚΕΚΛΥΜΕΝΑΝ
ΑΝΘ' ΩΝ ΣΥΓΓΕΝΕΣ ΟΙ ΤΟΥΤΟ ΒΡΕΤΑΣ ΟΦΡ' ΕΠΙ ΒΩΜΩ
ΟΙΑΓΕ ΔΗ ΚΤΙΣΤΑΣ ΤΑΝΔΕ ΦΕΡΟΙΤΟ ΧΑΡΙΝ

Κλασθεῖσας πάτρας σεισμῷ πότε Κάνταβριν ἐς γὰν
Χαιρήμων ἑπτὰ πατρίδα ῥυσόμενος.
Καίσαρι δ' εἰλιχθεὶς περὶ γόνασι τὰν μεγάλαυχον
1. Ὤρθωσε Τράλλιν τὰν πότε κεκλυμέναν.
Ἀνθ' ὧν σύγγενες οἱ τοῦτο βρέτας ὄφρ' ἐπὶ βωμῷ
Οἷάγε δὴ κτίστας τάνδε φέροιτο χάριν.

Muratorius *ibid.*

Chaeremon, patriam ut ſtravit ſucceſſio terrae,
Longinquae volut ad litora Cantabriae,
Et magni genibus ſe advolvit Caeſaris, inde
Collapſas Tralles rurſus inaedificat.

Ergo

Ergo his pro meritis ſtatua donatur, ut ara
Stet media terrae conditor, ut patriae.

1. Trallibus fertur natam palmam in baſi Caeſaris dictatoris circa ejus bella civilia *Plin. H. N. XVII.* 25. Sicut Auguſtus Trallianis & Laodicenis opitulatus eſt, ſic Tiberius XII. Aſiae civitates una nocte terraemotu proſtratas inſtauravit *Tacit. Ann. II. ibid. Lipſ.* 97. 98. Adeſt praeclariſſimus nummus Tiberii cum epigr. CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS *Laevin. Vlz. n.* 3. Veſpaſianus quoque plurimas in toto orbe civitates terraemotu & incendio afflictas erexit *Suet. Veſpaſ.* 18.; itemque Alexander Severus multis oppidis eadem calamitate oppreſſis deformatiſque pecuniam dedit ad inſtaurationem operum & publicorum & privatorum *Lamprid. in vit.* Aelius Ariſtides, cujus eſt ſtatua in Bibliotheca Vaticana, huic Chaeremoni par a M. Aurelio impetravit, ut Smyrna ab terraemotu ſtrata reſtitueretur. Vid. *Diſſert. V.*

X X V.

In Olympia. *Pauſan. lib. V. p.* 149.

ΣΙΣΥΦΙΑΝ ΔΕ ΜΟΛΕΙΝ ΧΘΟΝ' ΕΚΩΛΥΕΝ ΑΝΕΡΑ ΝΙΚΗ
'ΑΜΦΙ ΜΟΛΙΟΝΙΔΑΝ ΟΥΛΟΜΕΝΩΙ ΘΑΝΑΤΩΙ

Σισυφίαν δὲ μολεῖν χθόν' ἐκώλυεν ἀνέρα νίκη
'Αμφὶ Μολιονιδᾶν οὐλομένῳ θανάτῳ.

Amaſaeus *p.* 129.

Siſyphiis juvenem vetuit ſuccedere terris
Dira Molionidum paena ſecuta necem.

Timonis ad ſtatuam titulus mihi exciderat, cui extra ordinem hic datur locus. Civis hic Eleus in aliis Graeciae certaminibus perilluſtris, cur Iſthmico in conventu excellere non potuerit vid. *Pauſan. loc. cit.* Sicuti in Olympia, ita in gymnaſiis victores fuiſſe ſtatuis honoratos, e ſexcentis unus hic probat titulus, quem Cyriacus Lacedaemone in gymnaſio exſcripſit.

Η ΠΟΛΙΣ
ΤΑΝΤΑΛΟΥ ΝΕΙΚΑΣΑΝΤΟΣ

Civitas
Tantalo in ludis victori

SY-

SYNOPSIS.

DIſſertationi exordium dat ſumma veterum ſepulcri cura : Celtarum , Naſamonum , Thebanorumque ritus aliquot numerantur . In caſtris aut pactis de more induciis , aut victoria parta quam anxie duces de ſuorum funere laborarent ? ſecus facientibus aliquando indicta mors . II. *Extremos honores ipſis conceſſos hoſtibus evincunt exempla plurima* . III. *Spem hanc communem quicunque falleret , hominem exuere dicebatur . Barbarorum hac in re negligentia notata .* IV. *Victoriae indicium in Graecia erat jus cadaverum humandorum . Graecorum militum elatio deſcribitur . In Romanis legionibus ad x. ſaccos additus xi. ſepulturae cauſa .* V. *Statuta pro multitudine polyandria . Militis in bellum ituri de ſepulcrali titulo ſolicitudo . Pro varietate temporum diverſa eſt habita militaris ſepulcri ratio .* VI. *Pro Claſſiariis alius erat ritus , ſi in navi , alius , ſi in mari eſſent mortui . Quae veterum opinio de mortuis in mari ? Qui proprie dicerentur SITI ?* VII. *Supellectilis eorum funebris , qui ad ſplendidum militiae gradum aſcenderant , explicatur .* VIII. *Egregiis viris duo ſaepe funera data ſunt , nempe foris , domique . Quo ritu in patriam tranſlati cineres ? quanta hujus tranſlationis cupiditas Romanis indita ? De militari in rebus trepidis teſtamento . Laudata corneola Marchionis Locatellii .* IX. *Tam pro legionariis , quam pro claſſiariis , quae titulorum ratio ? qualis ſepulcri ornatus extimus ?* X. *Quanta virorum fortium poſt mortem gloria , tanta pro-*

Digitized by Google

proditorum infamia & perduellionum, quos ſepeliri vetitum: ſecus alios cujuſlibet criminis, quam perduellionis reos. Sub Caeſarum dominatu ſepulturae honor damnatis negatus omnibus, niſi a Principe impetratus. XI. *Brevis ab re digreſſio ad ſui homicidas.* XII. *Exercitus duce amiſſo ſolitus alibi nutrire comam, alibi recidere, aut tondere. Pompa, luctus, munera erant maxima pro loci opibus, quacunque tranſirent eorundem cadavera, ſi in patriam adveherentur.* XIII. *De pompa funebri imperatoria in caſtris.* XIV. *Decurſio equeſtris, & Pyrrhicha.* XV. *Unde perſaepe antiqui peterent varium ſepulcri ornatum?* XVI. *Cimelia aurea & argentea in militaribus conditoriis reponi ſolita exponuntur.* XVII. *De conotaphiis, eorumque ornatu. An iiſdem religio ineſſet? Dictum vulgo Aſdrubalis ſepulcrum conſideratur. Urbini laus.* XVIII. *Columnae praecipua virtutis bellicae ornamenta.* XIX. *Statuae ſplendor quibus in patriam promeritis, & qua auctoritate in urbe decerneretur?* XX. *Quoad locum, impenſam, formam, ſtatum, ornatumque ſtatuae multiplicem nonnulla adnotantur.*

DIS-

DISSERTATIO IV.

De Laude Militari Poſtuma.

COMITI
BERNARDINO ANTONELLIO

PRAECLARIS ad officium litteris adoleſcentiam imbuere quibuſcunque divino munere datum eſt, vix quicquam iis optatius eſſe omnino potuit, quam ſi ejuſmodi auditores indole nacti ſint, ex quorum gratia, nobilitate, ingenio, ſiquid forte in lucem ederent, patrocinium ſibi certum ac ſtabile pollicerentur. Hoc tantum boni me tute in praeſens, Antonelli optime, ſperare jubes. De honoribus enim veteris militiae poſtumis diſſertatio haec agit mea. Tu porro praeterquam quod gradum tenes in Pontificia militia perhonorificum, jucundiſſimo quoque antiquitatis ſtudio maxime delectaris. Neque enim aut politiorem litteraturam, aut philoſophiae praeſtantiam, aut geometriae atque architecturae, praeſertim militaris, apodixes ita in deliciis habes, antiquis ut ab cimeliis lapidibuſque ac ritibus omnino abhorreas, quaſi id genus ſtudia videantur, quod perperam nonnulli dictitant, aut perexiguos habere fructus, aut parum afferre jucunditatis. Nae tua ſecus ſententia eſt. Nam ut optimus optima ſtudioſe colis, ſic philologia locum ſibi apud te vindicat non poſtremum. Teſtis eſt illa, cui ab

antiquitate Romana eſt nomen inditum, ſatis ubique celebris Academia, in qua diſſertationes, & ſaepe quidem, eaſdemque numeris omnibus nitidiſſime abſolutas, non plaudente ſolum doctiſſimorum frequentia hominum, recitaviſti, verum etiam, quod doctrinae eſt tuae laus omnium maxima, tum libenter audiente, tum propalam approbante P. M. BENEDICTO XIV. Fac igitur, eruditi intelligant, diſſertationem abs te meam non repudiari: feliciſſimi hoc mihi auſpicii & patrocinii loco futurum eſt. Quanquam vero non is ego ſum, cui bene ſperare liceat, ſi patronus huic operi vel Muſagetes adeſſet Hercules. Itaque, ut quod ſentio plane expromam, non tam me ſolicitum putes de patrocinio velim, quam de mea in te obſervantia publice ſignificanda. Poſtquam tota me domus tua ſingulari prorſus honore affecit, quî poſſum, obſecro, quin videar unus omnium ingratiſſimus, non te pariter, ac fratres tuos honoris gratia nominare? Annus hic eſt viceſimus, ex quo mihi juventus in humanioribus ſtudiis inſtituenda commiſſa eſt, &, quae nunquam ab aliis hactenus, hanc mihi a vobis felicitatem non ita pridem oblatam gratulor, quatuor ut eſſem fratrum laudator potius, quam praeceptor. Siquidem eratis omnes omni commendatione digni. Hinc ut Angelo propter eximiam ejus integritatem, atque candorem animi ſingularem, proſpera ſemper adprecor & fauſta omnia, ſic tanti Leonardum facio, ut ei ſimiles, & quidem toto hoc annorum curſu, perpaucos noverim, quos aeque in docendo admiratus ſim, aeque nunc in audiendo admirer, magis profecto neminem. Nam dotes animi, quae in illa aetate, ſi pubeſcentes appareant, jure plurimum commendantur, in eo jam adultae abſolutaeque ſunt, ſive prudentiam cer-

nimus,

nimus, ſive optimarum ſcientiam facultatum. At ubi Joſephus ille, ille inquam, totus & artium ſimilitudine, & voluntate tuus? ubi nitidiſſimi mores? ubi litterae? ubi mens? ubi animus ad ampla, ad ardua quaelibet paratiſſimus? O incertos juventutis exitus! O fallaces hominum ſpes! Poſtquam in armis ſui ſpecimen egregium dederat, ſpemque ſui excitaverat plane maximam, repente Matriti apud Hiſpaniarum Regem acerbo interitu extinctus eſt. Miſellis nempe homunculis non dantur optima, ſed commodantur. Suo ſemper magis, quam noſtro tempore, venit mors. At quoniam illius excellens virtus nos alte ſpectare jubet, ſit ille quidem, ut animus auguratur, immortalitatem adeptus: te interea laetor, virtuti quotidie magis & bonis artibus inſervire; ita nimirum vivere, ut virum decet iis majoribus ortum, eo patre genitum, iſto patruo educatum. Nec vero exiſtimes, tua hic mihi occurrere avita decora, quae faces addunt, augentque animos ad excelſa. Alios haec laudatores habeant: ego ne colligo quidem illa, quae nobiliſſimae genti tuae, ob res domi militiaeque praeclare geſtas, a Guido Ubaldo II. Urbini duce conceſſa ſunt, quaeque hactenus conſervata ſummi Pontifices tradenda poſteris confirmarunt, de omni prorſus immunitate privilegia ampliſſima, eademque cum pauciſſimis adaequanda. At de majoribus tuis ſi nihil dixero, nihilne etiam de Patre tuo? Id enimvero vix ſalvo officio me facere poſſe intelligo. Etenim nemo unus omnium, quotquot juſti ingeniorum aeſtimatores ſunt, Philippum Antonellium, cujus expreſſam in te imaginem intuemur, ſive ob doctrinam, ſive ob nominis famam, non digniſſimum habuit, quem & florentem ſummi, mediocres, infimi ſingulariter adamarent, & ſuo potius, quam

familiae tempore, extinctum publice lugerent Arcades, litterarumque monumentis ejus memoriam conſecrarent. Summa haec Patris gloria: quae vero Patrui? tanta quidem, quanta & magni in primis viri, & doctiſſimi Praeſulis eſſe poteſt. De cujus factis, aut ſcriptis, quae ſunt egregie omnia, ſi quicquam dicere ego auderem, non eſſem dignus hoc ſpiritu, non hac vita, ne homo quidem. Quid enim minus in hominem cadere omnino decet, quam in eum, cui ſumma debeas, ingratiſſimum inveniri? Unus autem is ego videar neceſſe eſt, ſi quicquam ejus de laude cogitem, quem & in me ipſum expertus ſim, quotidieque experiar liberaliſſimum, & ab omni ſui commendatione maxime alienum eſſe ſic probe noverim, ut alienae quamſtudioſiſſimum. Quemadmodum enim ſumma ejus doctrina eſt, & probitas doctrinae par, ita utriuſque eſt laudibus multo modeſtia major. Jam ergo veniam ad rem propoſitam, quum me praeſertim bono animo eſſe jubeat, quae mihi alias occurrere ipſa ſolet, ſingularis illa humanitas tua, Bernardine optime, in quo locum, ubi conſiſtat, nullum habere gaudeo proverbium illud, multorum liberos ac nepotes ingenii gloria felices fore, niſi felicium eſſent.

I. Ab ingenito parandi ſepulcri ſtudio, quod cuique fere populo natura indidit, animorum immortalitatem argui affirmat Cicero: nam [a] hoc ait priſcis mortalibus fuiſſe inſitum, excedentem e vita hominem non ſic deleri, ut funditus interiret, idque e multis aliis rebus, tum e caeremoniis ſepulcrorum facile poſſe intelligi exiſtimat, quas maximis ingeniis praediti tam religioſe non coluiſſent, niſi *haeſiſſet in eorum mentibus, mortem non eſſe interitum*

[a] *Cic. Tuſcul. I.*

tum omnia tollentem atque delentem, *ſed quandam quaſi migrationem commutationemque vitae*. Idem in Topicis huc certe ſpectans, quum pietatem definit eſſe tripartitam, unam tradit ad Deos ſuperos referendam, ad Manes alteram, tertiam hominibus adſcribendam. Hoc pietatis officium in Latio tam juſtum eſt ſemper habitum, ut trita ſit phraſis *juſta facere*, *juſta peragere*, *juſta ſolvere*: nec ſine gravi cauſa Numa Pompilius religionis amplificator pontificibus ipſis curam juſtorum [a] funebrium demandavit. Sophocles quoque ubi de mortuorum inferiis agit, id curare facinus & glorioſiſſimum eſſe ait, & aureo dignum honore habendum. Siquidem ſepulcris, tanquam Deorum fanis, opinio erat divinam quandam ineſſe vim: ideoque ſicuti Celtae ad buſta virorum [b] fortium pernoctabant, ſic Naſamones Libyae populi quum de [c] re aliqua dubia jurandum eſſet, id ſepulcra tangendo praeſtabant; quum divinandum, ad majorum monumenta effuſis precibus dormiebant, & quae per inſomnium vidiſſent, iis divino tanquam oraculo utebantur. Quidni ita facerent in tantis inſcientiae tenebris? Nam Clemens Alexandrinus tradit a primis mortalibus ſepulcra pro templis habita, & mortuos Diis pares ea de cauſa creditos, quod urbibus aut conditis, aut ſervatis, inventiſque, vel auctis praeclaris artibus fuiſſent optime meriti de humano genere univerſo. Rem confirmat mos Thebanorum, quibus ea fuit ſepulcri ſolicitudo ac ſtudium, ut domum ſtructuri [d] primum de tumulo cogitarent, ne Penatium & Larium [e] cultus negligeretur. Tanta haec ſepulcri cura non Thebanorum modo, ſed communiter omnium animos,

a *Idem Orat. de Aruſp. Reſponſ.*
b *Tertull. de Anima 57.*
c *Herodot. IV.*
d *Chriſtian. Brunings Antiq. Graec.* 29.
e *Zorn. Biblioth. Antiq.*

mos, ſi quoſdam excipias barbaros, occupavit, & ita quidem, ut nec ipſo armorum ſtrepitu reſtingui poſſet. Exemplo id conſtat complurium populorum, ac Romani in primis, de cujus noviſſimis militiae honoribus haec diſſertatio eſt inſtituta, hoc quidem ordine, ut primo de extremis inter arma honoribus generatim aliqua dicenda ſint; deinde gregarii militis ac multitudinis; tertio ducum ſecundi ordinis; tum ſummorum & virorum & animorum ultima in caſtris praemia perſtringantur. Romanae reipublicae duces, & auguſti ſemper nominis imperatores, dum milites in acie praeliaturi conſtiterant, eos accurata oratione hortabantur, ut [a] pro majorum ſepulcris, pro templis Deorum, pro focis ac laribus fortiter decertarent. A pugna reſpirare ut primum licuit, maxima haec ducibus cura fuit, darent ut militibus ſepulturam: cujus conſuetudinis non uno in loco mentionem faciunt Virgilius, Livius, Appianus, Dio, & apud Caeſarem [b] habentur haec ſcitu digna: *quum & propter vulnera militum, & propter ſepulturam occiſorum noſtri triduum morati eos ſequi non potuiſſent*. Ejuſdem legis Athenienſes adeo ſtudioſi fuerunt, ut decem imperatores [c] a victoria pulcherrima redeuntes capitali judicio exceptos necaverint, quod militum corpora, ſaevitia maris interpellante, ſepulturae non mandaviſſent. Iccirco Antiochus [d] ut Philippum Macedonibus inviſum redderet, iis oſtendit in Theſſalia militum reliquias per ejus negligentiam inſepultas, quas ipſe juſſit magnifice tumulari. Magnus ille Pompejus [e] hoc idem feciſſe traditur, nactus eorum cadavera inhumata, qui duce Triario infeliciter adverſus Mithri-

a *Liv. XXVII. 3. Svet. Claud. c. ult.*
b *De B. G. I*
c *Val. Max. IX. 8.*
d *Appian. Alex. de B. Scyth.*
e *Plutarch. in vit.*

thridatem pugnaverant. Trajanus [a] imperator haud ab hoc ritu alienus, militibus ſuis in Decebalico bello interemtis, ut ſupremos honores tribueret, aras erigendas, ſtatuendaſque curavit. Quanquam vero, quae in caſtris viguit in mortuos pietas, aliquando in pace relanguit. Illae enim, quae nonnullis in tumulis inſcriptae occurrunt, dirae in heredes execrationes, & bonorum jactura, niſi certi quidam ritus ſtatis temporibus obſervarentur, tacite docent, haud raro hereditates non mortuorum memoriam induxiſſe, ſed oblivionem. Nec ſine cauſa Plinius ad Albinum ſcripſit, tam [b] raram in amicitiis fidem, tam paratam oblivionem mortuorum, ut ipſi nobis debeamus etiam conditoria extruere omniaque heredum officia praeſumere, quemadmodum in ſuperiore diſſertatione obſervatum eſt ad Canuleji inſcriptionem numero XIV.

II. In caſtris ſupremae commercia ſepulturae ne ipſis quidem ab hoſtibus negabantur. Nam & Turnus [c] Pallanti, & Aeneas Lauſo [d] poſtrema haec ſolatia conceſſerunt: quo in loco Servius notat, Aeneam Latinis ſuorum cadavera donaviſſe, quia id officii exiſtimabat eſſe debitum univerſis. Romani oſſa Gallorum Senonum condiderunt in media urbe, & locus *Buſta Gallica* dictus fuit, quae Marlianus [e] cum Doliolis confundens a Gutherio [f] emendatur; illa enim juxta Aequimelium, ubi nunc Eccleſia S. Andreae, vulgo *in Portogallo*; doliola vero erant ad cloacam [g] maximam, ubi deſpuere non licebat. L. Cornelius, & Cn. Pompejus hoc patriae inſtituto in duces clariſſimos uſi ſunt, quorum alter [h] Hannonem e taberna-

a *Dio LXVIII.*
b *Epiſt. VI. 10.*
c *Aen. X. 493.*
d *Ibid. 827.*
e *In not. ad Pompon.*
f *De Jur. Man. I. 6.*
g *Varro de L. L. IV.*
h *Val. Max. V. 1.*

naculo ſuo extulit amplo funere, nec dubitavit acerrimi hoſtis ipſe exequias celebrare: alter Mithridatis cadaver a Pharnace miſſum regiis [a] Sinopenſium ſepulcris ſumtu etiam ſuo inferri juſſit. Annibal ipſe etiamſi pontem e Romanis cadaveribus aedificari juſſerit, tamen ut ſupra dixi [b], ac inferius iterum demonſtrabo, ſuis etiam hoſtibus extrema mortis ſolatia ultro dediſſe legitur. Antonius quoque [c] Archelaum regio prorſus funere decoravit; idemque ad Bruti corpus honeſtius ſepeliendum ſuum ipſe paludamentum injecit, quod interceptum a liberto quodam quum audiviſſet, in eum illico animadvertit, hac praefatione uſus: *quid? tu* [d] *ignoraſti, cujus tibi viri ſepulturam commiſerim?* Probum in Africa [e] Arcadioni cuidam, viro forti ſingulari certamine interfecto ſepulcrum magnificum condidiſſe hiſtoria narrat. Quod de Romanis hactenus, idem de Graecis teſtantur Pauſanias, Polybius, Thucidides, Xenophon, aliique, ac diſerte Plutarchus in Pyrrho, cujus caput a milite abſciſſum, quum filius patri Demetrio obtuliſſet, hic ſcelere contaminatum appellavit filium, ac ſceptro percuſſum abegit: tum oculis admota clamyde illacrimavit, ac regium corpus honeſte cum capite exornatum rite cremari juſſit. Philippus Alexandri pater devictis ad Chaeronaem Graecis juſta perſolvit, & eorundem oſſa Athenas transferenda curavit. Pietatis paternae filius aemulator hoſtibus etiam hoc decus abunde [f] praebuit, permiſitque Darii matri, ut, quos vellet, ritu patrio ſepeliret: Darium vero demta ſibi clamyde, regio plane cultu ornatum, officioſa manu tumulo intulit: adeo verum eſt etiam inter hoſtes mutuum

a *Appian. in Mitbrid.*
b *In not. I. inſcr. Cl. III.*
c *Plutarch. in Anton.*
d *Val. Max. loc. cit.*
e *Vopiſc. in Prob.*
f *Q. Curt. III. IV. V.*

tuum ſepulturae commercium non defuiſſe.

III. Qui ſecus feciſſet, aeque apud Graecos ac Latinos barbarus habebatur. Pauſaniae Lacedemonio imp. neſcio quis ſuadebat, ut Mardonio Perſarum duci par pari referret, ac velut ille Leonidae, Pauſaniae patrui, reciſo capite, truncum in crucem egerat, ita quoque in illius cadaver ſaeviret: conſtanter ille id ſe facturum negavit, quod *barbaros* [a] *deceret potius*, *quam Graecos*. Huc ſpectat ille Liciniae queſtus de fratris cadavere [b] inſepulto, & Vibuleni gregarii militis in haec verba erumpentis accuſatio: *reſponde* [c] *Blaeſe, ubi cadaver abjeceris: ne hoſtes quidem ſepulturam invident*. Itaque Romanorum de Judaeis triumphus, niſi pervicax illa natio divinitus paenas luiſſet ſcelerum atrocitati debitas, truculentus habendus eſſet: ſiquidem in ea obſidione, quam Hegeſippus deſcribit, ſepultura interdicta longe omni ſupplicio ac morte gravior obſeſſis erat, quorum plerique ſuis ſibi manibus parabant loculos, in iiſque ſe ſponte condebant, ne morte praeveniente extremum in adverſis ſolatium deſiderarent. At quam diverſa mortalium mens! Jus hoc ſepulcri, quod qui contemnerent, eos *hominem exuere* Claudianus; *fas violare* Iſidorus Peluſiota; & Leo imperator *naturae dedecus facere* judicarunt, hoc idem jus, ſive [d] *hominum ritum*, ut Lucanus, ſive *ſpem communem*, ut Lyſias vocant, non modo hoſtibus, ſed ſuis etiam parentibus populi quidam barbari denegarunt. Maſſagetae, & Derbices parentes & cognatos [e] ſenectute confectos jugulabant, devorabantque: Tibareni [f] in patibu-

a *Herod. IX.*
b *Plutarch in Gracch.*
c *Tacit Ann. I.*
d *Vid Hugon. Grot. de Jure Bell. ac Pac. II. 19.*
e *Hieronym. in Jovin. 36.*
f *Ibid.*

lis ſuſpendebant: Lotophagi & Ichthyophagi [a] projiciebant in mare: Eſſedonum [b] erat mos, ut parentum funera proſequuti cantibus, mox coetu affinium advocato, ipſi cadaveribus, immiſtis ovillis carnibus, veſcerentur, & capita auro cincta pro poculis adhiberent. Barchaei morbo [c] abſumtos tradebant igni, bello extinctos vulturibus, quibus & Bractriani, & Taxili demortua tradebant corpora; Sabaei cadavera aeque ac ſtercora [d] negligebant, reges etiam detrudebant in ſterquilinia: Hyperborei ſenes bene pranſos ac ſertis [e] redimitos dabant in mare praecipites: Chii combuſti cadaveris oſſa in mortario contuſa, & navigio impoſita ventis per cribrum ſpargere: Paeones in ſtagna, Scythae in nives truncis affixa arboribus cadavera projicere [f] conſuevere: Oritarum [g] genus habebat pro ſepulcris feras, canes Hyrcani, quos [h] affluenti cibo nutriebant; quare poeta [i]

Regia quum lucem poſuerunt membra, probatum eſt
Hyrcanis adhibere canes.

IV. Sed habeant ſibi barbari ſepulcra ſua. Inducias a Romanis imperatoribus fieri ſolitas ad ſepelienda cadavera, ne diu verſer in re notiſſima, unus id abunde Virgilius [k] edocet, cujus dictum eſt illud aureum:

Nullum cum victis certamen & aethere caſſis

Victoriae indicium antiquitus fuit jus & poteſtas cadaverum humandorum. Eſt memorabile illud [l] Niciae, qui duos inſepultos milites quum reliquiſſet, re comperta miſit illico ad hoſtes caduceatorem, qui cadavera ad ſepulturam.

a *Cael. Rhodigin. Ant. Lect. IX. 49.*
b *Plin. H. N. IV*
c *Alex Neap. Gen Dier. III. 2.*
d *Joann. Nicol. de Luct. Chriſt. III. 4.*
e *Ibid.*
Alex. Neap. loc. cit.
g *Diodor. XVII. Biblioth.*
h *Cic. Tuſcul. I.*
i *Sil Ital. XIII.*
k *Aen. XI.*
l *Plutarch. in Nic.*

Digitized by Google

turam peteret: maluit enim Plutarcho auctore profundere lauream & decus, quam duos cives relinquere inhumatos. Archidamus dux Lacedaemoniorum vix per praeconem corpora ad ſepulturam popoſcit, quum hoc eſſet ſignum apud Graecos victoriae traditae, hac confeſſione contenti [a] Thebani ſignum parcendi dedere. Conſtitutis induciis mortuorum corpora colligebantur, & aliud quidem erat funus gregariorum militum, aliud nobilium. Siquidem illi tumultuario funere concremati tumulo condebantur, ac ſi magna fuiſſet caedes, non cadavera comburi omnia, ſed partim integra [b] terrae infodi conſueverunt. Efferendorum permiſte militum apud Athenienſes hic erat mos. Triduo antequam funus ducerent, tabernaculum erigebant, ſub eoque [c] omnium oculis proponebant mortuorum corpora, ut ferret quiſque ſuis munera & exequias. Die vero quarto arcas cupreſſinas a ſingulis tribubus ſingulas jubebant vehi, ibique oſſa ſingularum tribuum efferebant, illud pariter obſervantes, ut eorum ſepulcra, qui violenta morte deceſſerant, haſta adfixa honorarent, quemadmodum Harpocratio apud Gronovium *Vol. II.* ad imaginem in onyce L. Quintii Cincinnati. Quorum vero corpora inveniri non poterant, eorum lectus de more ſtratus ceterorum [d] pompam ſubſequebatur. Sepulturae cauſa hoc legitur poſterioribus ſeculis inſtitutum a Romanis legionibus. Milites ad x. ſaccos, in quibus [e] donativi dimidia pars apud ſigna deponebatur, ſaccum XI. addiderunt, in quem tota legio particulam ſtipendii aliquam conferebat, ut ſiquis ex contubernalibus defeciſſet, e ſacco illo undecimo ad ſepulturae

a *Juſtin. VI.*
b *Virg. Aen. XI. 139. & VI. 204.*
c *Thucid. lib. II.*
d *Thucid. ibid.*
e *Veget. II. 20.*

rae honorem promeretur expenſa. Ultima haec pietatis officia quanto cum dolore ſuperſtites viris fortibus exhiberent, teſtis eſt Virgilius non uno in loco, & Tacitus haec [a] habet de clade Variana; *Romanus exercitus ſextum poſt cladis annum legionum oſſa, nullo noſcente, aliena, an ſuorum humo tegeret, omnes ut conjunctos & conſanguineos, aucta in hoſtem ira, maeſtis ſimul ac offenſi condebant*. Nec multitudinis tantum enituit dolor, ſed ipſorum etiam imperatorum. Nam Julium Caeſarem audita caede Turriana *barbam* & *capillum* [b] ſubmiſiſſe compertum eſt, idemque feciſſe Auguſtum non ignoramus cladis Varianae [c] accepto nuntio, ſicut & de Antonio Plutarchus ſcribit.

V. Quod hactenus de funere, idem de ſepulcro dicendum eſt. Nullo enim diſcrimine multitudo militum communi tumulo mandabatur. Ea vero ſepulcra dicta ſunt Polyandria, quo item nomine apud Hebraeos nuncupata ſunt ſepulcreta erecta publice [d] peregrinis. Ad multitudinis cineres excipiendos urbes aliquando extructas legimus, Antinoen [e] ſcilicet ab Hadriano, Bucephaliam ab Alexandro, Taphoſyrim ab Aegyptiis, & alias alibi in amplam formam, magniſque impendiis aedificatas. Communi militum tumulo communis quoque titulus [f] addebatur, quo breviter, ſed honorifice eorum gradus, & legio, reſque geſta declararetur. Talis eſt [g] apud Livium inſcriptio illa, quam Acarnanes in bellum ituri ſibi decreverant, ſi occidiſſent. HIC SITI SVNT ACARNANES QVI ADVERSVS VIM ATQVE INIVRIAM AETO-

a *Ann. I.*
b *Suet. Jul. 47.*
c *Idem Aug. 23.*
d *Jerem. 2. vid. Nicol. de ſepulcr. Hebraeor.*
e *Aringh. Rom. ſubterr. I. 2.*
f *Tacit. Ann. II.*
g *Dec. III. lib. VI. 19.*

AETOLORVM PRO PATRIA PVGNANTES MORTEM OPPETIERVNT. Quum vero apud Ciceronem in Philippicis leges pro militibus in bello Mutinenſi ab Antonio caeſis ſenatum cenſuiſſe, ut C. Panſa, & A. Hirtius conſules, alter, ambove iis, qui pro patria ſanguinem profudiſſent, monumentum quamampliſſimum locandum faciendumque quaeſtoribus urbanis curarent, & ad eam rem pecuniam dare, contribuere, ſolvere juberent, ut monumentum extaret ad memoriam poſteritatis ſempiternam, ne ſtatim putes id honoris fuiſſe habitum omnibus militibus, qui pro republica fortiter pugnantes occubuiſſent. Illud enim decoris novum fuiſſe fatetur Cicero, multoſque exercitus bellis Punicis, Gallicis, Italicis perilluſtres, tale genus honoris non habuiſſe. Communi enim tumulo conditi ſunt, addita columella cum brevi epigraphe, ex quarum numero hanc eſſe Ferrettius [a] putat, ſed perperam: nam ab eruditis inter ſpurias recenſetur:

OSSA . MIL. V. ET . XIX. LEG. CVM . QVINTIL. V.
IVSSV . GERMANIC. IMPERAT
HVC . COLLATA . QVIESCVNT
SIQVID . ADVC . MANES . CINERES . ATQ. OSSA . SEPVLTA
MENTIS . HABENT . VOTISQ. IVBENT . SALVERE . REDVCTAS
IN . SVA . SIGNA . AQVILAS . FELIX . FAVSTVMQ. PRECANTVR

VI. Dicendum & de Claſſiariis aliquid, pro quibus alius erat ritus, ſi in navi, alius, ſi in mari eſſent mortui. Pontifices, ſiquis in navi necatus in mare projectus eſſet, illius heredem *extra porcam* eſſe [b] voluerunt, hoc eſt nullo illum piaculo obligarunt: ſiquis vero in mari mortuus eſſet, ejus heredem triduum ferias celebrare, & por-

a *Muſ. Lapid. p. 316.* b *Cic. de leg.*

porco femina piaculum pati juſſerunt. De mortuis in mari haec Graecorum opinio [a] fuit, animam extingui penitus elementi contrarietate. Iccirco Homerus in Odiſſea in duplici mortuorum cenſu nuſquam Ajacis mentionem facit, quaſi ejus anima in inferis non adeſſet, utpote mari extincta:

Ajax interiit, poſtquam ſalſam bibit undam.

Achilles quoque fingitur, mortem in aqua maxime formidaſſe. Ab hiſce Graecorum inſomniis minime Virgilium abhorruiſſe patet: quippe apud eum Palinurus [b] ab Aenea ſepulcrum impetraturus ait, nequaquam ſe in mari mortuum, ſed occiſum; itemque Aeneas [c] tempeſtate perculſus terque quaterque beatos nuncupat, quibus obire in terra patria datum eſt. Ovidius autem unam hanc mortem ſibi videri horribilem, cetera quaecunque exitii genera ſeſe praedicat loco muneris habiturum: [d]

Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Romanos pontifices haec poetarum figmenta nec probaviſſe penitus exiſtimaverim, nec penitus repudiaſſe. Nam in navi mortuos a naufragis diſtinguebant, & inter utrunque mortis genus aliquid eſſe diſcriminis voluerunt, non ita vero, ut animam credere viderentur contrario in elemento penitus interire. Lex erat, parricidas inſutos culeo in profluentem projici, ne os ſupra terram extaret: laudaturque apud Senecam [e] ille juvenis, cui quum fratrem parricidam pater puniendum tradidiſſet, ille reum non inſuit culeo, ſed navi impoſuit ſine velo, ſine gubernaculo, ſine remis, ubi ſcilicet perire aliter, quam naufragio poterat. Diſcrimen igitur inter haec mortis genera

a *Serv. VI. Aen. vid. Jacob. Guth. de Jur. Man. I. 8.*
b *Aen. VI.*
c *Ibid. I.*
d *Triſt. eleg. 2.*
e *Controv. VII. 1.*

nera admittebant, quod autem aquis penitus extingui animam opinari non viderentur, conjectura ſumitur ex diverſo ſepulturae genere, quam dabant naufragis, aut juſtam ſcilicet, aut inanem: juſta quidem, ſi os ſupra terram extaret, ſi minus inanem. Pro iis enim, quorum corpora non inventa, vel cenotaphia ponebant, quae *inania ſepulcra* Virgilius [a] nuncupat, vel additis quibuſdam ſacris ſolemnibus ter jactam terram [b] pro ſepultura habebant. Cadavera in litus ejecta vel ſepulcro mandabant, vel injecta gleba ſepeliebant, quod legimus enixe poſcere Architam [c] & [d] Palinurum. Nefas enimvero habebatur, inſepultum cadaver praeterire, non terrae gleba injecta, vel pulvere, aut arena, atque hac ratione ſepulti proprie dicebantur [e] SITI, non ita quidem, ut quibuſcunque in lapidibus legimus OSSA. SITA, ibi cum Gutherio arbitremur, mortem deſignari aut bellicam, aut [f] peregrinam. A praetereuntibus ter gleba jacta tam praeſente, quam abſente cadavere, ab illa diſtinguebatur, quae fiebat cineribus jam rite ſepulcro conditis, qua terna glebae injectione credebatur [g] ſepulcrum fieri religioſum.

VII. Qui porro ad ſplendidum quempiam militiae gradum aſcenderant, ii certe funere pro dignitate honorifico efferebantur. Ac primum nemini dubium eſt, quin in bellis navalibus terreſtribuſque, caeſa nobilium corpora, ſi tempus ac locus ſineret, in patriam tranſmitterentur, cujus quidem ritus exempla, ceteris omiſſis, Virgilius praebet, ubi ait: [h]

advectaque partim

Fini-

a *Aen. V.*
b *Serv. Aen. V.*
c *Horat. Od.* I. 28.
d *Aeneid. VI.* 362.
e *Cic. loc. cit.*
f *Ibid.* 7.
g *Cic. ibid.*
h *Loc. cit.* 205.

Digitized by Google

mos, ſi quoſdam excipias barbaros, occupavit, & ita quidem, ut nec ipſo armorum ſtrepitu reſtingui poſſet. Exemplo id conſtat complurium populorum, ac Romani in primis, de cujus noviſſimis militiae honoribus haec diſſertatio eſt inſtituta, hoc quidem ordine, ut primo de extremis inter arma honoribus generatim aliqua dicenda ſint; deinde gregarii militis ac multitudinis; tertio ducum ſecundi ordinis; tum ſummorum & virorum & animorum ultima in caſtris praemia perſtringantur. Romanae reipublicae duces, & auguſti ſemper nominis imperatores, dum milites in acie praeliaturi conſtiterant, eos accurata oratione hortabantur, ut [a] pro majorum ſepulcris, pro templis Deorum, pro focis ac laribus fortiter decertarent. A pugna reſpirare ut primum licuit, maxima haec ducibus cura fuit, darent ut militibus ſepulturam: cujus conſuetudinis non uno in loco mentionem faciunt Virgilius, Livius, Appianus, Dio, & apud Caeſarem [b] habentur haec ſcitu digna: *quum & propter vulnera militum, & propter ſepulturam occiſorum noſtri triduum morati eos ſequi non potuiſſent*. Ejuſdem legis Athenienſes adeo ſtudioſi fuerunt, ut decem imperatores [c] a victoria pulcherrima redeuntes capitali judicio exceptos necaverint, quod militum corpora, ſaevitia maris interpellante, ſepulturae non mandaviſſent. Iccirco Antiochus [d] ut Philippum Macedonibus inviſum redderet, iis oſtendit in Theſſalia militum reliquias per ejus negligentiam inſepultas, quas ipſe juſſit magnifice tumulari. Magnus ille Pompejus [e] hoc idem feciſſe traditur, nactus eorum cadavera inhumata, qui duce Triario infeliciter adverſus Mithri-

a *Liv. XXVII. 3. Svet. Claud. c. ult.*
b *De B. G. I*
c *Val. Max. IX. 8.*
d *Appian. Alex. de B. Scyth.*
e *Plutarch. in vit.*

thridatem pugnaverant. Trajanus [a] imperator haud ab hoc ritu alienus, militibus ſuis in Decebalico bello interemtis, ut ſupremos honores tribueret, aras erigendas, ſtatuendaſque curavit. Quanquam vero, quae in caſtris viguit in mortuos pietas, aliquando in pace relanguit. Illae enim, quae nonnullis in tumulis inſcriptae occurrunt, dirae in heredes execrationes, & bonorum jactura, niſi certi quidam ritus ſtatis temporibus obſervarentur, tacite docent, haud raro hereditates non mortuorum memoriam induxiſſe, ſed oblivionem. Nec ſine cauſa Plinius ad Albinum ſcripſit, tam [b] raram in amicitiis fidem, tam paratam oblivionem mortuorum, ut ipſi nobis debeamus etiam conditoria extruere omniaque heredum officia praeſumere, quemadmodum in ſuperiore diſſertatione obſervatum eſt ad Canuleji inſcriptionem numero XIV.

II. In caſtris ſupremae commercia ſepulturae ne ipſis quidem ab hoſtibus negabantur. Nam & Turnus [c] Pallanti, & Aeneas Lauſo [d] poſtrema haec ſolatia conceſſerunt: quo in loco Servius notat, Aeneam Latinis ſuorum cadavera donaviſſe, quia id officii exiſtimabat eſſe debitum univerſis. Romani oſſa Gallorum Senonum condiderunt in media urbe, & locus *Buſta Gallica* dictus fuit, quae Marlianus [e] cum Doliolis confundens a Gutherio [f] emendatur; illa enim juxta Aequimelium, ubi nunc Eccleſia S. Andreae, vulgo *in Portogallo*; doliola vero erant ad cloacam [g] maximam, ubi deſpuere non licebat. L. Cornelius, & Cn. Pompejus hoc patriae inſtituto in duces clariſſimos uſi ſunt, quorum alter [h] Hannonem e taberna-

a *Dio LXVIII.*
b *Epiſt. VI. 10.*
c *Aen. X. 493.*
d *Ibid. 827.*
e *In not. ad Pompon.*
f *De Jur. Man. I. 6.*
g *Varro de L. L. IV.*
h *Val. Max. V. 1.*

naculo ſuo extulit amplo funere, nec dubitavit acerrimi hoſtis ipſe exequias celebrare: alter Mithridatis cadaver a Pharnace miſſum regiis [a] Sinopenſium ſepulcris ſumtu etiam ſuo inferri juſſit. Annibal ipſe etiamſi pontem e Romanis cadaveribus aedificari juſſerit, tamen ut ſupra dixi [b], ac inferius iterum demonſtrabo, ſuis etiam hoſtibus extrema mortis ſolatia ultro dediſſe legitur. Antonius quoque [c] Archelaum regio prorſus funere decoravit; idemque ad Bruti corpus honeſtius ſepeliendum ſuum ipſe paludamentum injecit, quod interceptum a liberto quodam quum audiviſſet, in eum illico animadvertit, hac praefatione uſus: *quid? tu* [d] *ignoraſti, cujus tibi viri ſepulturam commiſerim?* Probum in Africa [e] Arcadioni cuidam, viro forti ſingulari certamine interfecto ſepulcrum magnificum condidiſſe hiſtoria narrat. Quod de Romanis hactenus, idem de Graecis teſtantur Pauſanias, Polybius, Thucidides, Xenophon, aliique, ac diſerte Plutarchus in Pyrrho, cujus caput a milite abſciſſum, quum filius patri Demetrio obtuliſſet, hic ſcelere contaminatum appellavit filium, ac ſceptro percuſſum abegit: tum oculis admota clamyde illacrimavit, ac regium corpus honeſte cum capite exornatum rite cremari juſſit. Philippus Alexandri pater devictis ad Chaeronaem Graecis juſta perſolvit, & eorundem oſſa Athenas transferenda curavit. Pietatis paternae filius aemulator hoſtibus etiam hoc decus abunde [f] praebuit, permiſitque Darii matri, ut, quos vellet, ritu patrio ſepeliret: Darium vero demta ſibi clamyde, regio plane cultu ornatum, officioſa manu tumulo intulit: adeo verum eſt etiam inter hoſtes mutuum

a *Appian. in Mitbrid.*
b *In not. I. inſcr. Cl. III.*
c *Plutarch. in Anton.*
d *Val. Max. loc. cit.*
e *Vopiſc. in Prob.*
f *Q. Curt. III. IV. V.*

tuum ſepulturae commercium non defuiſſe.

III. Qui ſecus feciſſet, aeque apud Graecos ac Latinos barbarus habebatur. Pauſaniae Lacedemonio imp. neſcio quis ſuadebat, ut Mardonio Perſarum duci par pari referret, ac velut ille Leonidae, Pauſaniae patrui, reciſo capite, truncum in crucem egerat, ita quoque in illius cadaver ſaeviret: conſtanter ille id ſe facturum negavit, quod *barbaros* [a] *deceret potius*, *quam Graecos*. Huc ſpectat ille Liciniae queſtus de fratris cadavere [b] inſepulto, & Vibuleni gregarii militis in haec verba erumpentis accuſatio: *reſponde* [c] *Blaeſe, ubi cadaver abjeceris: ne hoſtes quidem ſepulturam invident*. Itaque Romanorum de Judaeis triumphus, niſi pervicax illa natio divinitus paenas luiſſet ſcelerum atrocitati debitas, truculentus habendus eſſet: ſiquidem in ea obſidione, quam Hegeſippus deſcribit, ſepultura interdicta longe omni ſupplicio ac morte gravior obſeſſis erat, quorum plerique ſuis ſibi manibus parabant loculos, in iiſque ſe ſponte condebant, ne morte praeveniente extremum in adverſis ſolatium deſiderarent. At quam diverſa mortalium mens! Jus hoc ſepulcri, quod qui contemnerent, eos *hominem exuere* Claudianus; *fas violare* Iſidorus Peluſiota; & Leo imperator *naturae dedecus facere* judicarunt, hoc idem jus, ſive [d] *hominum ritum*, ut Lucanus, ſive *ſpem communem*, ut Lyſias vocant, non modo hoſtibus, ſed ſuis etiam parentibus populi quidam barbari denegarunt. Maſſagetae, & Derbices parentes & cognatos [e] ſenectute confectos jugulabant, devorabantque: Tibareni [f] in patibu-

Oo lis

a *Herod. IX.*
b *Plutarch in Gracch.*
c *Tacit Ann. I.*
d *Vid Hugon. Grot. de Jure Bell. ac Pac. II. 19.*
e *Hieronym. in Jovin. 36.*
f *Ibid.*

lis ſuſpendebant : Lotophagi & Ichthyophagi [a] projiciebant in mare : Eſſedonum [b] erat mos, ut parentum funera proſequuti cantibus, mox coetu affinium advocato, ipſi cadaveribus, immiſtis ovillis carnibus, veſcerentur, & capita auro cincta pro poculis adhiberent. Barchaei morbo [c] abſumtos tradebant igni, bello extinctos vulturibus, quibus & Bractriani, & Taxili demortua tradebant corpora; Sabaei cadavera aeque ac ſtercora [d] negligebant, reges etiam detrudebant in ſterquilinia: Hyperborei ſenes bene pranſos ac ſertis [e] redimitos dabant in mare praecipites : Chii combuſti cadaveris oſſa in mortario contuſa, & navigio impoſita ventis per cribrum ſpargere : Paeones in ſtagna, Scythae in nives truncis affixa arboribus cadavera projicere [f] conſuevere : Oritarum [g] genus habebat pro ſepulcris feras, canes Hyrcani, quos [h] affluenti cibo nutriebant; quare poeta [i]

Regia quum lucem poſuerunt membra, probatum eſt
Hyrcanis adhibere canes.

IV. Sed habeant ſibi barbari ſepulcra ſua. Inducias a Romanis imperatoribus fieri ſolitas ad ſepelienda cadavera, ne diu verſer in re notiſſima, unus id abunde Virgilius [k] edocet, cujus dictum eſt illud aureum :

Nullum cum victis certamen & aethere caſſis

Victoriae indicium antiquitus fuit jus & poteſtas cadaverum humandorum. Eſt memorabile illud [l] Niciae, qui duos inſepultos milites quum reliquiſſet, re comperta miſit illico ad hoſtes caduceatorem, qui cadavera ad ſepulturam.

a *Cael. Rhodigin. Ant. Lect. IX. 49.*
b *Plin. H. N. IV*
c *Alex Neap. Gen Dier. III. 2.*
d *Joann. Nicol. de Luct. Chriſt. III. 4.*
e *Ibid.*
Alex. Neap. loc. cit.
g *Diodor. XVII. Biblioth.*
h *Cic. Tuſcul. I.*
i *Sil Ital. XIII.*
k *Aen. XI.*
l *Plutarch. in Nic.*

turam peteret: maluit enim Plutarcho auctore profundere lauream & decus, quam duos cives relinquere inhumatos. Archidamus dux Lacedaemoniorum vix per praeconem corpora ad ſepulturam popoſcit, quum hoc eſſet ſignum apud Graecos victoriae traditae, hac confeſſione contenti [a] Thebani ſignum parcendi dedere. Conſtitutis induciis mortuorum corpora colligebantur, & aliud quidem erat funus gregariorum militum, aliud nobilium. Siquidem illi tumultuario funere concremati tumulo condebantur, ac ſi magna fuiſſet caedes, non cadavera comburi omnia, ſed partim integra [b] terrae infodi conſueverunt. Efferendorum permiſte militum apud Athenienſes hic erat mos. Triduo antequam funus ducerent, tabernaculum erigebant, ſub eoque [c] omnium oculis proponebant mortuorum corpora, ut ferret quiſque ſuis munera & exequias. Die vero quarto arcas cupreſſinas a ſingulis tribubus ſingulas jubebant vehi, ibique oſſa ſingularum tribuum efferebant, illud pariter obſervantes, ut eorum ſepulcra, qui violenta morte deceſſerant, haſta adfixa honorarent, quemadmodum Harpocratio apud Gronovium *Vol. II.* ad imaginem in onyce L. Quintii Cincinnati. Quorum vero corpora inveniri non poterant, eorum lectus de more ſtratus ceterorum [d] pompam ſubſequebatur. Sepulturae cauſa hoc legitur poſterioribus ſeculis inſtitutum a Romanis legionibus. Milites ad x. ſaccos, in quibus [e] donativi dimidia pars apud ſigna deponebatur, ſaccum XI. addiderunt, in quem tota legio particulam ſtipendii aliquam conferebat, ut ſiquis ex contubernalibus defeciſſet, e ſacco illo undecimo ad ſepultu-

a *Juſtin. VI.*
b *Virg. Aen. XI. 139. & VI. 204.*
c *Thucid. lib. II.*
d *Thucid. ibid.*
e *Veget. II. 20.*

rae honorem promeretur expenſa . Ultima haec pietatis officia quanto cum dolore ſuperſtites viris fortibus exhiberent, teſtis eſt Virgilius non uno in loco , & Tacitus haec [a] habet de clade Variana; *Romanus exercitus ſextum poſt cladis annum legionum oſſa, nullo noſcente , aliena, an ſuorum humo tegeret , omnes ut conjunctos & conſanguineos, aucta in hoſtem ira, maeſtis ſimul ac offenſi condebant*. Nec multitudinis tantum enituit dolor, ſed ipſorum etiam imperatorum. Nam Julium Caeſarem audita caede Turriana *barbam* & *capillum* [b] ſubmiſiſſe compertum eſt , idemque feciſſe Auguſtum non ignoramus cladis Varianae [c] accepto nuntio, ſicut & de Antonio Plutarchus ſcribit.

V. Quod hactenus de funere, idem de ſepulcro dicendum eſt . Nullo enim diſcrimine multitudo militum communi tumulo mandabatur . Ea vero ſepulcra dicta ſunt Polyandria, quo item nomine apud Hebraeos nuncupata ſunt ſepulcreta erecta publice [d] peregrinis . Ad multitudinis cineres excipiendos urbes aliquando extructas legimus, Antinoen [e] ſcilicet ab Hadriano, Bucephaliam ab Alexandro, Taphoſyrim ab Aegyptiis, & alias alibi in amplam formam, magniſque impendiis aedificatas. Communi militum tumulo communis quoque titulus [f] addebatur, quo breviter, ſed honorifice eorum gradus, & legio, reſque geſta declararetur . Talis eſt [g] apud Livium inſcriptio illa, quam Acarnanes in bellum ituri ſibi decreverant, ſi occidiſſent . HIC SITI SVNT ACARNANES QVI ADVERSVS VIM ATQVE INIVRIAM.

AETO-

a *Ann. I.*
b *Svet. Jul 47.*
c *Idem Aug. 23.*
d *Jerem. 2. vid. Nicol. de ſepulcr. Hebraeor.*
e *Aringh. Rom. ſubterr. I. 2.*
f *Tacit. Ann. II.*
g *Dec. III. lib. VI. 19.*

AETOLORVM PRO PATRIA PVGNANTES MORTEM OPPETIERVNT. Quum vero apud Ciceronem in Philippicis leges pro militibus in bello Mutinenſi ab Antonio caeſis ſenatum cenſuiſſe, ut C. Panſa, & A. Hirtius conſules, alter, ambove iis, qui pro patria ſanguinem profudiſſent, monumentum quamampliſſimum locandum faciendumque quaeſtoribus urbanis curarent, & ad eam rem pecuniam dare, contribuere, ſolvere juberent, ut monumentum extaret ad memoriam poſteritatis ſempiternam, ne ſtatim putes id honoris fuiſſe habitum omnibus militibus, qui pro republica fortiter pugnantes occubuiſſent. Illud enim decoris novum fuiſſe fatetur Cicero, multoſque exercitus bellis Punicis, Gallicis, Italicis perilluſtres, tale genus honoris non habuiſſe. Communi enim tumulo conditi ſunt, addita columella cum brevi epigraphe, ex quarum numero hanc eſſe Ferrettius [a] putat, ſed perperam: nam ab eruditis inter ſpurias recenſetur:

OSSA . MIL. V. ET . XIX. LEG. CVM . QVINTIL. V.
IVSSV . GERMANIC. IMPERAT
HVC . COLLATA . QVIESCVNT
SIQVID . ADVC . MANES . CINERES . ATQ. OSSA . SEPVLTA
MENTIS . HABENT . VOTISQ. IVBENT . SALVERE . REDVCTAS
IN . SVA . SIGNA . AQVILAS . FELIX . FAVSTVMQ. PRECANTVR

VI. Dicendum & de Claſſiariis aliquid, pro quibus alius erat ritus, ſi in navi, alius, ſi in mari eſſent mortui. Pontifices, ſiquis in navi necatus in mare projectus eſſet, illius heredem *extra porcam* eſſe [b] voluerunt, hoc eſt nullo illum piaculo obligarunt: ſiquis vero in mari mortuus eſſet, ejus heredem triduum ferias celebrare, & por-

a *Muſ. Lapid. p. 316.* b *Cic. de leg.*

porco femina piaculum pati juſſerunt. De mortuis in mari haec Graecorum opinio [a] fuit, animam extingui penitus elementi contrarietate. Iccirco Homerus in Odiſſea in duplici mortuorum cenſu nuſquam Ajacis mentionem facit, quaſi ejus anima in inferis non adeſſet, utpote mari extincta:

Ajax interiit, poſtquam ſalſam bibit undam.

Achilles quoque fingitur, mortem in aqua maxime formidaſſe. Ab hiſce Graecorum inſomniis minime Virgilium abhorruiſſe patet: quippe apud eum Palinurus [b] ab Aenea ſepulcrum impetraturus ait, nequaquam ſe in mari mortuum, ſed occiſum; itemque Aeneas [c] tempeſtate perculſus terque quaterque beatos nuncupat, quibus obire in terra patria datum eſt. Ovidius autem unam hanc mortem ſibi videri horribilem, cetera quaecunque exitii genera ſeſe praedicat loco muneris habiturum: [d]

Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Romanos pontifices haec poetarum figmenta nec probaviſſe penitus exiſtimaverim, nec penitus repudiaſſe. Nam in navi mortuos a naufragis diſtinguebant, & inter utrunque mortis genus aliquid eſſe diſcriminis voluerunt, non ita vero, ut animam credere viderentur contrario in elemento penitus interire. Lex erat, parricidas inſutos culeo in profluentem projici, ne os ſupra terram extaret: laudaturque apud Senecam [e] ille juvenis, cui quum fratrem parricidam pater puniendum tradidiſſet, ille reum non inſuit culeo, ſed navi impoſuit ſine velo, ſine gubernaculo, ſine remis, ubi ſcilicet perire aliter, quam naufragio poterat. Diſcrimen igitur inter haec mortis genera

a *Serv. VI. Aen. vid. Jacob. Guth. de Jur. Man. I. 8.*
b *Aen. VI.*
c *Ibid. I.*
d *Triſt. eleg. 2.*
e *Controv. VII. 1.*

nera admittebant, quod autem aquis penitus extingui animam opinari non viderentur, conjectura ſumitur ex diverſo ſepulturae genere, quam dabant naufragis, aut juſtam ſcilicet, aut inanem: juſta quidem, ſi os ſupra terram extaret, ſi minus inanem. Pro iis enim, quorum corpora non inventa, vel cenotaphia ponebant, quae *inania ſepulcra* Virgilius [a] nuncupat, vel additis quibuſdam ſacris ſolemnibus ter jactam terram [b] pro ſepultura habebant. Cadavera in litus ejecta vel ſepulcro mandabant, vel injecta gleba ſepeliebant, quod legimus enixe poſcere Architam [c] & [d] Palinurum. Nefas enimvero habebatur, inſepultum cadaver praeterire, non terrae gleba injecta, vel pulvere, aut arena, atque hac ratione ſepulti proprie dicebantur [e] SITI, non ita quidem, ut quibuſcunque in lapidibus legimus OSSA. SITA, ibi cum Gutherio arbitremur, mortem deſignari aut bellicam, aut [f] peregrinam. A praetereuntibus ter gleba jacta tam praeſente, quam abſente cadavere, ab illa diſtinguebatur, quae fiebat cineribus jam rite ſepulcro conditis, qua terna glebae injectione credebatur [g] ſepulcrum fieri religioſum.

VII. Qui porro ad ſplendidum quempiam militiae gradum aſcenderant, ii certe funere pro dignitate honorifico efferebantur. Ac primum nemini dubium eſt, quin in bellis navalibus terreſtribuſque, caeſa nobilium corpora, ſi tempus ac locus ſineret, in patriam tranſmitterentur, cujus quidem ritus exempla, ceteris omiſſis, Virgilius praebet, ubi ait: [h]

advectaque partim

Fini-

a *Aen. V.*
b *Serv. Aen. V.*
c *Horat. Od. 1. 28.*
d *Aeneid. VI. 362.*
e *Cic. loc. cit.*
f *Ibid. 7.*
g *Cic. ibid.*
h *Loc. cit. 205.*

Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt: Supellectilis eorum funebris erant ornamenta militaria, galeae, ocreae, enſes, lanceae, fibulae, annuli, vexilla & ſigna, ſiquae fuſis hoſtibus pugnando coeperant, armillae quoque, dona Romanorum [a] propria, non externorum, torques praeterea argentei, ſi cives; aurei, ſi auxiliares [b] erant; item phalarae, haſtae purae, coronae; quas primus ex auro dedit A. Poſthumius ad lacum Regillum; cetera demum munera, quibus ab ineunte aetate ab imperatoribus donati fuerant. Quod ad haec dona pertinet, florente republica ſi milites, quibus ea promiſſa fuerant, pro patria occidiſſent, eorum parentibus, liberis, fratribus, aut conjugibus [c] ſolvebantur. Longae coronae pariter erant funeris militaris ornamenta propria. Nec enim earum nomine ſerta qualiacunque ſignificantur, ſed coronae donaticae ac militares, quae [d] capitis magnitudinem ſuperabant, & collo geſtabantur in torquis [e] morem, ideoque in antiquis numiſmatibus non ſunt capiti impoſitae, ſed nummo [f] circumſignatae. Militaria haec decora XII. tabulae non tam forti viro, qui ea [g] obtinuerat, quam ejus parentibus impoſita poſt mortem eſſe juſſerunt. Geſtabantur vero haec ornamenta vel in ſella curuli, ſi magiſtratum curulem geſſiſſet mortuus, vel extincti lectulo imponebantur, aut lectulis, ſi multi adeſſent, ut in nobilium funeribus conſueviſſe in antecedenti diſſertatione probatum eſt. De centurionum tribunorum, aliorumque ducum veſtibus, de ſociorum lacrimis, de clangore tubarum, de hoſtium ſpoliis, capti-

vis;

a *Plin. H N. XXXIII. 2.*
b *Ibid.*
c *Cic. Philipp. XIV. in fin.*
d *Feſt. in v. Donativ.*
e *Cic. I in Verr.*
f *Guther. loc. cit. I. 21.*
g *Cic. II. de leg.*

vis, variiſque victimis in pyram conjectis, non oportet me plura dicere: facile enim haec omnia colligentur ex iis, quae mox de imperatoris in acie extincti ſolemni funere dicenda ſunt.

VIII. Necatis praeterea ab hoſte duo perſaepe funera, domi foriſque ſcilicet data ſunt. Nam reliquo, ubi occiderant, combuſto corpore, abſciſſum membrum aliquod, & compoſiti in urna cineres in patriam referebantur, ubi juſta fiebant iterum a conſanguineis; atque hoc nimirum eſt, quod ſuo Propertius timebat Poſthumo, quum dixit: [a]

Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.

Hac de cauſa vir aeque ob ſacram ac profanam eruditionem in litteraria republica valde notus P. Baldinus Congregationis Somaſchae Praep. Generalis, quum An. D. 1742. ad S. Caeſarei reperta fuiſſent antiqua vaſcula ſepulcralia, in ſinguliſque eorum ſingula oſſicula, ſuſpicatus eſt [b] oſſa fuiſſe hominum, qui procul a patria deceſſiſſent. Probabiliter quidem, non certo affirmateque hoc dixit prudentiſſimus vir. Nam in omnibus funeribus ritus erat, ante combuſtionem membrum aliquod, nempe digitum abſcindi mortuo, ut ad [c] haſce reliquias ſaepe alias juſta fierent, lugubreſque funeris caeremoniae reliquo combuſto corpore renovarentur. In cadaverum ad patriam translatione hoc Servius [d] obſervatum notat auctoritate Varronis, & Verrii Flacci, quod ſi filius familias extra urbem deceſſiſſet, liberti & amici obviam procedebant, & ſub noctem corpus ad urbem facibus praelucen-

a *Eleg. III 12.*
b *Vid. Diſſert. Academ. Cortonenſ.*
c *Feſt in v. Membrum.*
d *Aeneid. XI.*

Digitized by Google

lucentibus in templum Cereris inferebatur, nemine ad ejus exequias invitato. Cur haec cadavera ad Cereris tranſportarentur, cauſam Gutherius [a] excogitavit, quod videlicet raptam Proſerpinam Ceres luctu perdita cum lampadibus [b] conquiſivit nocturno tempore, ideo in antiquo marmore [c] prope currum Cereris quaerentis filiam adſtat noctis ſimulacrum, velata nimirum femina obſcurum protendens velum. Obiter noto, corpora jam ſepulcro condita alio transferri non potuiſſe niſi facultate a pontificibus, aut a principe, & in provinciis a praeſide [d] impetrata. In theſauro Gruteriano dicuntur reliquiae trajectae [e] III. NON. FEBR. EX PERMISSV COLLEGII PONTIFICVM PIACVLO FACTO. Adde ſine pontificum venia monumentum ne refici [f] quidem, nec niſi volente principe [g] corpus in alio marmore collocari licuiſſe. Ceterum ne ab re diſcedam, veteres philoſophi, in primis Stoici de cadaveris in patriam tranſvectione nihil erant ſoliciti. Anaxagoras enim [h] Lampſaci moriens interrogatus, velletne Clazomenas in patriam, ſiquid ei accidiſſet, transferri? nihil, inquit, neceſſe eſt: undique enim ad inferos tantundem viae eſt. Damonax, dicente quopiam, fore turpe, [i] ſi ipſius corpus poſt mortem volucribus & canibus dilaniandum objiceretur; atqui nihil, inquit, abſurdum eſt, ſi mortuus quoque nonnullis animalibus utilis ſum futurus. Secus penitus Lacedaemones. Etenim ituri in praelium ad brachia teſſeras alligabant, ut [k] cognoſci quiſque poſt mortem poſſet, & condi in gen-

a *De Jur. Man. loc. cit.*
b *Claudian. III*
c *Baron. ad A. D. 337. n. XIX.*
d *Plin. Epiſt X. 73. ad Trajan. & Grut. DLXXVIII.*
e *Ibid.*
f *Ibid. DXVIII. 4.*
g *DCVII. 1.*
h *Cic Tuſcul. I.*
i *Lucian. in ejus vit.*
k *Juſtin. II.*

gentili, aut proprio monumento: tam ardens iis cupido inſederat in ſolo patrio cum majorum cineribus quieſcendi. Romani milites olim in rebus trepidis (nam [a] extra magnum periculum jure ordinario teſtamentum faciebant) IN, vel ENDO PROCINCTV, qui poſtea mos [b] exolevit, ſcutis manus inſerentes, & accingentes ſaga, tribus [c] aut quatuor teſtibus teſtamentum facientes de ſepulcro potiſſimum cogitabant. Anno MDCCXLIX. nobiliſſimus Marchio Locatellius celeberrimae Cortonenſi academiae, in qua Lucumonis perſonam multa cum laude geſſit, ſardonychem dono dedit, inſignem nomine artificis Apollodori, ubi prope extinctum commilitonem jacet miles fortaſſe ſaucius inter clypeos, in quorum uno, qui coram ſuſtinetur, ſcribit, ni fallor, languente dextera teſtamentum. Hanc demum ſolicitudinem, quam hactenus explicavimus, illa quoque inſcriptio Favonii Jucundi evincit apud Aldum Manutium [d], qui ſane titulus licet inter ſpurios merito collocetur, rei tamen noſtrae utcunque favet, quia ejus auctorem patet juris pontificii conſultiſſimum extitiſſe.

IX. Militum ſepulcris elogia ponere cujuſque nomen virtutemque teſtantia aeque Graecorum, ac Latinorum commune fuit. Lycurgus tametſi nomina inſcribi ſepulcro vetuit, excepit tamen tam milites in praelio caeſos, quam puerperas [e] in partu extinctas. In titulis militaribus praeter praenomen, nomen, tribum, cognomen, legionem, dignitateſque, dona etiam accepta inſcribebantur. Exemplum e ſexcentis hoc habe unum Taurini po-

 ſitum

a *Caeſ. de B. G. I. Flor. III 10.*
b *Cic de Nat. D. II 3*
c *Vell Paterc II 5. Plutarch in Coriol. Serv. Aen. VII. vid. Heinecc. Ant Rom. Inſtit. II. Tit X. XI. XII*
d *Orthogr. p. 217.*
e *Feith. Antiq. Homer. I. 15.*

ſitum in Pedemontio. [a]

C. GAVIO. L. F
STEL. SILVANO
PRIMIPILAR. LEG. VIII. AVG
TRIB. COH. II. VIGILVM
TRIB. COH. XIII. VRBAN.
TRIB. COH. XII PRAETOR
DONIS. DONATO. A. DIVO. CLAVDIO
BELLO. BRITTANNICO
TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS
CORONA. AVREA
PATRONO. COLON
D D

Claſſiarii poſt ſua nomina inſcribebant claſſem, puta praetoriam Miſenenſem, trierem, ſive triremem, ejuſque nomen, v. g. Chimaeram, Iſidem, Minervam, Neptunum &c. deinde addebant nationem ſuam, quae plerunque erat ex regionibus maritimis. Permultae id genus inſcriptiones inventae ſunt Ravennae in inſtauranda Eccleſia principe: illic enim, & Miſeni ſtativa erant claſſium celeberrima, de quibus Vegetius, ejuſque interpres [b] Stewechius eſt conſulendus. Titulis addebantur aliqua virtutis ſymbola, quibus ſepulti gloria illuſtraretur. Ita ad Hectoris tumulum extitit columella, cui impoſitus clypeus cum leonis ſymbolo, cujus ſchema Fabrettus [c] exhibet in Homerica tabula. Nec ducum ſepulcris eorum imagines defuiſſe auctor eſt Philoſtratus, qui [d] Achillis tumulo ſtatuam, quae ejus erat imago, adjectam ſcribit, hoc de honore ſilentibus Homero, & Herodiano. Bellicae hoc quoque

a *Gruter. CCCCXVI. 1. vid. Fabr. Ant. Inſcr. IV. p. 127.*
b *Lib. IV. 31.*
c *Num. 110.*
d *In Caracall. IV. 8.*

que gloriae conceſſum eſt, ut ſepulcris militiae inſignia defigerentur: nam Elpenori ſtrenuo viro & inſigni remigi ab Ulyſſe [a] arma buſto aggeſto, & remum defixum legimus, quod officium & Aeneas Miſeno praeſtitit, ac viro nautico: [b]

ingenti mole ſepulcrum

Imponit, ſuaque arma viro, remumque tubamque.

Feſtiva ad rem eſt Senecae in controverſiis narratio: vir fortis in acie amiſſis armis, de ſepulcro viri fortis arma tulit, fortiter pugnavit & repoſuit. Quod ſcribit Seneca de exteriore ſepulcri ornatu, idem pariter de occluſa cum cineribus ſupellectile intelligendum eſt. Nam ubi olim praelio dimicatum fuerat, ſaepe illic cum cadaveribus arma inventa ſunt. Ne diu perperam verſer in re notiſſima, ſoli inter Graecos Elei [c] teſtes ſunto: hi enim Junonis aedem ſartam tectam locaverant; atque inter tabulatum & ſcandulare tectum invenere cadaver integrum ſaucii hominis cum gravi armatura, ibidemque, quum Romanus quidam vir ſenatorius, palmam olympicam conſequutus, ſtatuam ex aere, victoriae monumentum, ſibi ponendam curaret, tum qui opus conduxerant, armillarum, ſcutorum, fraenorum, pilorum, ſparorumque fragmenta plurima repererunt. In Italia ſatis certam hujus ritus vel una facit, eruditionis ac litterarum ſedes, Cortona [d] fidem. Siquidem in agro Cortonenſi, qua vergit ad lacum Traſimenum, ſaepe inveniri armorum fragmina, tetrae caedis, quam die Junii [e] XXI. Annibal Flaminio intulit, teſtis mihi oculatus refert P. Urbanus Toſettus, Cortonae antea, nunc in Collegio Nazareno mathe-

a *Homer. Il Odyſſ.*
b *Virg Aen VI*
c *Pauſan. in Eliac. I. ſeu lib. V.*
d *Vid. Rodulph Venut. de Antiq Urb. Corton Tom. IV. Academ. Corton.*
e *Ovid. Faſt. VI.*

thematicae pariter ac philoſophiae profeſſor, vir ingenio ſingularis, & labore invictus. Eadem in civitate non multis abhinc annis dolium fictile praegrande inventum eſt, in eoque vas aeneum egregie ſculptum, in quo item aliud vaſculum aeneum cineribus oppletum, ibidemque reperta arma quaedam militaria cum vaſculis & lucernis. In Etruria denique univerſa funebrem militum ſupellectilem fuiſſe ocreas, armillas, lanceas ac cetera hujuſmodi teſtatur Gorius, qui horum exempla [a] non pauca ſe accepiſſe inquit a viro nobiliſſimo Diamante Montemellinio Patricio Peruſino. Longobardis mos fuit, qui extra patriam in acie, aut peregre occubuiſſent, conſtituto erectoque tumulo perticas figere, ligneis ſuperpoſitis columbis, ad eam [b] partem, ubi illi deceſſerant, reſpicientibus. Gothorum ſepulcris arma defigi ſolita a Juſto Fontanino ediſcimus in pereleganti diſſertatione *de Diſco Votivo argenteo*.

X. Quantus habebatur viris bellando egregiis poſt mortem honor, tantum erat dedecus proditorum ac perduellium. Gracchorum corpora inſepulta jacuerunt: milites, qui injuſto bello Rhegium occupaverant, carceri incluſos, quinquagenos per dies, & quidem ſingulos, virgis caeſos, ſecuri demum percuſſos ſepeliri [c] vetitum & lugeri. Eandem paenae acerbitatem foeditatemque luit M. Clodius, quem ob turpem initam cum Corſis pacem ſenatus iiſdem dedidit, non acceptumque in carcere necavit libertate [d] ademta. Aliquando corpora & contumelia carceris, & deteſtanda ſcalarum nota foedata ſunt. Id contigit Q. Caepioni viro praetorio, conſulari, ſacerdoti, trium-

a *Muſ. Etr. Tom. III. Diſſ. III p.* 186.
b *Paul. Diac. V.* 34. *de geſt. Longob.*
c *Val. Max. VI.* 3.
d *Idem II.* 7.

Digitized by Google

triumphali, ac ſenatus patrono, cujus culpa quum deletus a Cimbris exercitus videretur, ideo in vinculis enecatus, magno cum omnium horrore in ſcalis [a] gemoniis jacuit. Ab hoc ſupplicio ne ipſos quidem Caeſares aliquando fuiſſe immunes, Svetonii, Dionis, Quinctiliani auctoritatibus [b] confirmatur. Athenienſium reſpub. proditores & ſacrilegos, publicatis eorum bonis, ne ſinebat quidem in terra [c] Attica ſepeliri. Romae vero ſiquis ob aliud quodlibet, quam perduellionis, crimen plecteretur, ejus cadaver parentibus, aut conſanguineis facile ſtante republica concedebatur: hinc Cicero [d] Verrem increpat, necatis poſtremum hoc officium denegantem. Cruci affixos, ſeu *cruciarios*, aut *ſuſpendioſos* ſepultura prohibitos fuiſſe docet Comicus: [e]

Noli mirari: ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum:
Ibi mei majore ſunt ſiti, pater, avus, proavus, abavus.

Nec ſepeliri modo, ſed eos etiam lugeri nefas omnino fuit, aut ad crucem ſedere: quare ſanctas mulieres ad Chriſti Reparatoris Crucem ſtetiſſe obſervat [f] Ramireſius in Pentacontarcho. Sub Caeſarum dominatu ſepulturae honor damnatis omnibus negabatur, quod tanquam barbarum [g] hiſtoria notat, niſi a principe impetraretur, qui non eum facile concedebat exemplo Auguſti, a quo poſt bellum Philippenſe neſcio cui ſepulturam petenti reſponſum eſt, jam illam [h] eſſe poſitam in volucrum poteſtate. Tiberius ob Sejanum damnatos hac paena affecit, diem autem, quo Sejanus obiit, feſtum [i] ſtatuit a pontificibus cele-

a *Ibid.*
b *Svet. Tib. 61. & Veſp. 2. Dio LVIII. Quinctil. VIII*
c *Xenoph I. Thucid. I. Plutarch. in X. Rhetor.*
d *Verr. V.*
e *Plaut. in Mil. II. 4. vid. Lipſ. de Cruce II. 15.*
f *Cap. 21.*
g *Svet. in Tib. & Veſp. Tacit. Ann. Dio LVIII.*
h *Svet. Aug. 13.*
i *Dio loc. cit.*

celebrari, imitatus Lentulum, qui primus cenſuit, ut dies iduum Septembris, quo ſe Libo interfecerat, feſtus [a] haberetur.

XI. Inſepultorum ac Libonis commemoratio extra lineam ad breve tempus me abire jubet. De iis, qui taedio vitae ſe interficerent, illud ſcholae rhetorum clamant: *Homicida ſui* [b] *inſepultus abjiciatur*. Hoc enim cautum pontificio jure in eos fuit, qui laqueo, vel praecipiti jactatione ſibi mortem dediſſent. Iccirco utrumque hoc mortis genus Virgilius *informe* [c] *lethum*, Livius *foedam* [d] *mortem*, Tacitus *informem* [e] *exitum* appellarunt: quin etiam iis, qui de ſe ſtatuiſſent, ſecluſus apud inferos locus eſt aſſignatus: [f]

Proxima deinde tenent maeſti loca, qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, lucemque peroſi
Projecere animas.

At potentiorum gratia ſunt rhetorum contemtae voces, & pontificia lex, ut aliae plurimae, antiquata. Nam ut Erigone ſuſpenſa laqueo [g] inter aſtra colitur, ſic Gordianus ſenior, qui laqueo ſibi gulam fregerat, a ſenatu [h] inter Deos relatus eſt, & jampridem D. Silanus, poſtquam [i] a T. Manlio Torquato accuſatus in mortem ruerat voluntariam, elatus & ſepultus fuerat. Nam qui juſtam acceſitae mortis cauſam habuiſſe diceretur, honeſte mortuus videbatur. Hanc vero cauſam ex utraque fortuna oriri poſſe opinio erat; ex adverſa quidem perſaepe, ex ſecunda, quod noverim, raro orta eſt, ſed tamen orta. Nam

a *Tacit. Ann. II.*
b *Senec XVIII. 4. Controv.*
c *Aen. XII.*
d *Lib XLII.*
e *Ann. VI*
f *Aen. VI.*
g *Hygin. in Arctophyl.*
h *Capitol. in Gord.*
i *Val. Max. V. 8.*

Digitized by Google

Nam Strabo [a] quum dona enumerat a Poro Indorum rege miſſa per legatos ad Auguſtum Caeſarem, etiam illum adfuiſſe tradit, qui ſe Athenis concremavit non adverſae quidem, ſed proſperae fortunae vi. Etenim ſecum reputans, ad eum diem ſibi omnia ex ſententia contigiſſe, veritus, ne quid adverſi accideret diutius immoranti, abeundum vita cenſuit, & nudus, unctus, ridens in rogum ivit. Sui homicidis olim mos fuit ſuſpenſis oſcillis parentari, vel quia oſcilla genus eſſe purgationis [b] ſuperſtitio doceret, vel quia videretur in caelum adiri [c] per oſcillationem poſſe, qua & alta in imum dejiciuntur, & in altum infima efferuntur: ſed veriſimilius duxerim, hoc ludi genere uſos fuiſſe veteres ex [d] Athenienſium inſtituto, a quibus in honorem Erigones oſcillatio inventa eſt, qua ſuſpendioſorum mors belliſſime exprimitur. Ad violenta mortis genera illud Ciceronis [e] pertinet *praeter naturam, praeterque fatum*, quod Hadrianus [f] Turnebus unum idemque interpretatur. Sed A. Gellius [g] *praeter naturam* explicat violentam mortem & voluntariam, qualis fuit Didonis: [h]

Vixi &, quem dederat curſum fortuna, peregi.

Praeter fatum eſſe dicit interitum *non ſui operis, neque temporis*, immaturum ſcilicet ac violentum, non voluntarium, quare Priami de morte inquit Virgilius: [i]

Haec finis Priami fatorum, hic exitus illum
Sorte tulit.

XII. In caſtra redeo, ubi, qua pompa funebri, ſi

 dece-

a *Lib XV.*
b *Serv. Georg. II.*
c *Feſtus in v. oſcillum. vid Gutber. loc. cit. I 9.*
d *Hygin in Arctophyl.*
e *Cic. I. Philipp.*
f *Adverſ. XIII. 9.*
g *Noct. Att. XIII. 1. vid. Gutber. loc cit. I. 2.*
h *A n IV.*
i *A. n. II.*

decederent, imperatores duceſque exercitus efferrentur, tametſi haud incommode poſſit ex ſupra dictis colligi, pauca tamen adnotentur neceſſe eſt. Romanos milites imperatore amiſſo, capillo & barba maxima ſordidatos in luctu jacuiſſe pro certo habeo. Nam Romae id moris in magno dolore ſolemne fuit. Narrat enim Cicero ſordidatos *maxima barba* [a] *& capillo* in urbe prope biennium fuiſſe: Svetonius refert Caligulam, Druſilla amiſſa, noctu ab urbe Syracuſas profectum, rurſus inde rediiſſe *barba & capillo promiſſo*: idem [b] de Macrino Herodianus memorat, & Acro Horatii interpres ait, Curium poſt praeturae repulſam nunquam comam totondiſſe. Ac dolor ut Romae comam nutrire docuit, ſic eandem alibi aut recidere, aut tondere. Hebraeis quidem capillum in luctu tondere [c] familiare fuit, radere [d] vetitum. Apud alias nationes prae [e] maeroris impatientia ipſos etiam equos, non modo ſeſe tondebant viri principes: id enim & Mardonium feciſſe, & Thebanos mortuo Pelopida Herodotus ſcribit, & Alexandrum M. in Epheſtionis funere Plutarchus narrat, & Euripides auctor eſt, Admetum Phaereorum regem in morte uxoris Alceſtidis equos tonderi juſſiſſe; mortuo demum Attila totum exercitum, truncata crinium parte, ejus obitum luxiſſe Jornandes tradit in rebus Geticis. In patriam vero ſi ſummi copiarum duces advehe- rentur, non id ſine pompa ſplendidiſſima factum eſſe, teſtantur Virgilius de Pallante, ac de Germanico [f] Tacitus qui hujus reliquias Brunduſio tribunorum centurionumque humeris in urbem translatas ſcribit, praecedentibus ſignis ver-

a *In Verr. IV.*
b *Lib. V.*
c *Jerem. VII. 29. Mich. I. 16.*
d *Deut. XIV. vid. Bochart. in Hieroz. Tom. II. 1. 45.*
e *A. Gell. III. Plin. epiſt. VII. 27.*
f *Ann. II.*

verſiſque faſcibus, atque ubi colonias tranſgrederentur, atratam plebem & omnes ordines pro loci opibus veſtes, odores & alia munera in funeribus ſolemnia concremaſſe. Druſum Germanici patrem Auguſtus Ticinum uſque progrediens, neque abſcedens a corpore in urbem deferri [a] juſſit. Cineres Pompeji M. ex Aegypto tranſvectos quum Plutarchus referat, a Cornelia conjuge fuiſſe conditos in Albano Pompeji, quo nomine ejus villa ad Appiam nuncupatur [b] a Cicerone, ideo eruditi [c] haud perperam ſuſpicantur Pompejanum monumentum illud eſſe, quod vulgo ſepulcrum dicitur Curiatiorum, Horatiorumque: illic enim Pompejorum ſepulcrum, in quo tumulata Julia Caeſaris filia, Plutarchus [d] idem extitiſſe affirmat. Ligorius autem, qui nullo citato teſte illud monumentum in Pompeji memoriam ſcribit ab imperatore Hadriano erectum, & quinque pyramides, quarum ſuperſunt duae, totidem ante primum ejus conſulatum victorias deſignare, quam id recte, quam credibiliter, ipſe viderit. Antiquiſſima, de qua loquimur, conſuetudo tenuit etiam apud Graecos, qui duces vita functos [e] in patriam honorifice transferebant: heroum praeterea cadavera diutius, quam cetera, domi adſervabant: Achilles enim ſeptendecim diebus totidemque [f] noctibus ſervatus fuit. Errat igitur Alexander Neapolitanus, qui [g] tandiu generatim in Graecia cadavera domi detenta ſcribit: Homerus enim Iliados ultimo novem ad ſummum huic luctui domeſtico definit dies.

 XIII. Quo-

a *Ibid.*
b *Orat. pro T. An. Mil.*
c *P. Volp. S. J. in ſuo Latio Tom. VIII. & Abb. Rodulph. Venut. in Deſcript. Urb. & Agr. Rom. p. 302.*
d *In Vit. Pomp. M.*
e *Homer. Iliad. XI.*
f *Idem ultim. Odiſſ.*
g *Tiraquell. ad Alex. Neap. Gen. Dier. III. 7.*

XIII. Quoad reliquos honores, erant ii quidem ampliſſimi pro loci ac temporis opportunitate. Non deerat praeſertim oratio funebris. Nam ſi militibus hic datus honor, quanto magis imperatoribus? Graeci ut confuſos ſimul cineres & oſſa militum bello abſumtorum in patriam transferebant, ita eorum laudes una pariter oratione funebri celebrabant, qualem in eorum funere, qui e Cherroneſi praelio Athenas relati ſunt, habuit Demoſthenes, quem imitatus eſt Cicero in laudandis militibus ab Antonio interfectis. De ſuprema hac laudatione nihil hic dicam aliud, quam quod ſummo duce exercitus interemto eam in caſtris haberent non Graeci, non Romani tantum, ſed etiam Poeni. Siquidem Annibal [a] *omni rerum verborumque bonore* Gracchi exequias celebravit, & Pauli laudator fuit: [b]

jamque Annibal unus,
Sat decoris laudator erat.

De militum dolore muneribuſque in pyram conjectis vix quicquam amplius afferri poteſt, quam quae perſtringit Virgilius in praeclara illa exequiarum hypotypoſi: [c]

Spargitur & tellus lacrimis, ſparguntur & arma.
It caelo clamorque virum, clangorque tubarum.
Hinc alii ſpolia occiſis direpta Latinis
Conjiciunt igni galeas enſeſque decoros,
Fraenaque ferventeſque rotas: pars munera nota
Ipſorum clypeos & non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora morti,
Setigeroſque ſues raptaſque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes.

Haec

a *Liv. XXV. 7.*
b *Sil. Ital. X.*
c *Aen. XI. 188.*

Haec ſi fiebant ubi confuſa militum cadavera comburebantur, jam facile cogitatu eſt, quam ſplendida multiplexque munerum eſſet vis in exequiis praefectorum legatorumque, ac praeſertim imperatorum. De tropaeis erectis, & mactatis humanis victimis idem Virgilius ita: [a]

Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeſo ſparſuros ſanguine flammas,
Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces, inimicaque nomina figi.

Crudele quum videretur ad rogum homines jugulari, aliquando veſtes ſanguinei coloris in exequiis adhibebantur; ita Servius ad funus Miſeni: [b]

Purpureaſque ſuper veſtes, velamina nota
Injiciunt.

Annibal quoque ad Pauli rogum [c]

Murice ſuſpirans inicit velamina, & auro
Intextam clamydem, & ſupremo affatur honore.

Imperatores paludamento velatos efferri conſueviſſe Farnabius animadvertit ad pompam Pallantis funebrem: [d]

Harum unam juveni ſupremum maeſtus bonorem
Induit, arſuraſque comas obnubit amictu.

At quod Pallas velatus fuit, non ideo hic ritus a Farnabio generatim ad omnia funera transferri debet. Nam, ut in II. Diſſ. Num XVII., Scipionem velato capite elatum, tanquam quid inuſitatum, Paterculus narrat: omnes enim Romani nudato capite efferebantur, niſi ſi propter vulnera informe ſui ſpectaculum facerent, quod Pallanti contigiſſe credibile eſt. Hinc ego quidem exiſtimo, Pallantis faciem ab Aenea obnuptam, ne ejus ſpecies detrimen-

a *Ibid.* 78.
b *Aen. VI.*
c *Sil. Ital. loc. cit.*
d *Aen. XI.* 77.

mentum in itinere pateretur, multo luctuoſior futura paterno amori. Parentum quippe haec erat poſtrema cura, quam prolixius alibi explicabimus, ut filiorum praeſertim adoleſcentum ſpecies & pulcritudo ipſo in funere eniteret. Moris praeterea fuit, ut in ducum exequiis praeter equos ab hoſte captos [a] ipſius etiam extincti ducis equus funebris, exutus nimirum phaleris, duceretur: [b]

Poſt bellator equus poſitis inſignibus Aethon
It lacrimans, guttiſque humectat grandibus ora.

De equorum lacrimis tum Homerus in Patrocli exequiis; tum alii mentionem [c] faciunt. Equorum in funere ducendorum ritus Germanis [d] quoque, ac Danis placuit, quorum mentes ea ſuperſtitio pervaſerat, quod mortuorum animae equitando tranſirent pontem, cujus cuſtodiae [e] aderat virgo Mogduba. Affinis huic error Romanos tenuit, de quo copioſe in II. volumine diſſeremus.

XIV. Notiſſima & ſcriptorum monumentis abunde tradita conſuetudo circa rogum virorum principum equitandi, ab initio in caſtris tantum fiebat. Nam militibus ſolemne ac religioſum fuit circa demortui ducis pyram armis inſtructos decurrere, ut [f] in Patrocli, & Cyzici [g] regis, aliorumque funeribus factum legimus apud Graecos. Latini quoque hiſtorici & poetae in morte virorum principum [h] has decurſiones memorant, haberi ſolitas *cum tripudiis motibuſque armorum & corporum ſuae cuique genti aſſuetis*, quales fuiſſe enarrat Livius in funere Tib. Gracchi, & in Attilae Jornandes. Demortui nomen in de-

a *Aen. loc. cit.* 80.
b *Ibid.* 89.
c *Svet. Jul.* 81. *Plin. H. N. VIII.* 42.
d *Tacit. de Morib Germ.*
e *Thom. Bartholin. in Antiq. Dan.*
f *Iliad. XXIII.*
g *Apollon. Rhod. in Argon.*
h *Virg. Aen. loc. cit. Albinov. in Neron. Druſ. Svet. Claud. L.*

decurrendo repetitis ululatibus inconditiſque vocibus uſurpare conſueviſſe Albinovanus tradit in Nerone Druſo.

Te clamore vocant iterumque iterumque ſupremo,
Et vox adverſis collibus icta redit.

Decurſionum hic erat ordo, ut maeroris indicio primum ad ſiniſtram, deinde ad dexteram boni ominis gratia [a] flecterentur, quam legem [b] etiam in circenſibus decurſionibus ſervatam Fabrettus adnotavit. E caſtris in urbem hic honor tranſiit, ac Dio Caſſius [c] ad caſtrenſium diſcrimen decurſiones in Pertinace urbanas vocat. Ad hanc pompam referri omnino debent figurae [d] in ſtylobata Antonini Pii inſculptae, quae non militarem aliquam expeditionem, ut nonnulli minus recte exiſtimarunt, ſed decurſionem exprimunt in apotheoſi celebratam. Dio [e] in Auguſti funere, antequam rogus accenderetur, legionarios ceteroſque milites pyram circumiiſſe ſcribit, ſed, niſi variatum in hoc inſtituto, major Virgilio habenda eſt fides, qui poſt jam accenſum rogum de Pallante cecinit:

Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos.

Hujuſmodi praeterea ludi non modo ad rogum, verum etiam ad cenotaphium celebrabantur, quod Germanicus [f] ad honorarium patris tumulum fecit, circa quem deinceps ſtato die [g] quotannis miles decucurrit. Herodianus hanc [h] decurſionem, Politiano interprete, non diſtinguit a certamine Pyrrhicho, ſeu pugnae genere, ut Mercurialis [i] ait, quam *moreſcam* populari vocabulo nuncupa-

a *Stat. Theb. VI. Bud. Adnot. in Pandect. Turneb. Adv. V. 8.*
b *Fabrett. de Col. Trajan. VI. pag. 144.*
c *Lib. LXXIV*
d *Vignol. de Columm. Anton. IX.*
e *Lib. LVI.*
f *Tacit. Ann. II.*
g *Svet in Claud. I.*
h *Lib IV.*
i *De Art. Gymnaſt. II. 6.*

cupamus, cujus in Latio auctor Aſcanius fuit [a].

Hunc morem, hos curſus atque haec certamina primus
Aſcanius, longam muris quum cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.

Hoc erat ſcilicet ludi genus, quo pueri nobiles in circo exercebantur, & vulgo *Pirrhicha*, proprie *Troja* nuncupabatur, auctore Servio ad Virgilianum illud [b]:

Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.

Si modum ſpectes, nullum erat diſcrimen inter Trojam, & decurſionem funebrem, ſed uſus loquendi juſſit, pueriles tantum ludos in circo Trojam denominari, quibus qui praeerat, is Aſcanii exemplo princeps juventutis appellabatur, qui honor poſt C. & L. Caeſares Auguſti nepotes, puerili praetexta nondum depoſita, jam juventutis principes declaratos, reliquorum imperatorum filiis adhaeſit, qui erant heredes imperii deſtinati. Quanquam Panvinius auctoritate [c] Svetonii, [d] Dionis, aliorumque hos ludos in circo plerumque celebratos fuiſſe tradat, minime hoc tamen impedimento eſt, quin & aliquando in funeribus agerentur, ſicut Virgilius [e] fingit in Sicilia ad Anchiſis tumulum, & in Druſillae gratiam Dio [f] commemorat factum eſſe.

XV. Sepulcra ducum armis ac dignitate illuſtrium, ſi magnificentiam ſpectes, eadem prorſus erant, ac quae in antecedenti diſſertatione viris nobilibus aedificata oſtendimus. Aliquod ſi diſcrimen intercedebat, illud quidem non ex aedificii amplitudine petendum erat, ſed ab ornamentis picturae, aut operis anaglyptici. Statuunt [g] Phyſici

a *Virg. Aeneid V. 595.*
b *loc. cit. v 602.*
c *Dio LXXXVI.*
d *Tacit. Ann. II.*
e *Loc. cit v. 602.*
f *Aliger. in Antiq. Valentin.*

ſici tria mortis genera, naturale, conſtans nimirum quatuor ſaturni curſibus, ſive annis viginti ſupra centum; fatale, tribus ejuſdem planetae curſibus definitum; tertium in caſu, & fortuna poſitum, quum ſcilicet alicujus ſideris aſpectu noxio curſus frangitur aut fatalis, aut naturalis. Hinc varietatem in ſepulcralibus ornamentis Aligerius petendam docet. Si corvus adſit in tympano cum lucerna vacua, ſcias ibi decrepitum jacere ſenem: contra ſi vas pro lateribus utrinque ſteterit inclinatum, homo conditus indicatur ad ſenectutem vergens: in ſupercilio ſi ſertum fuerit lemniſcatum, acerbo de funere admoneris. Secus haec poſita ſiquando offenderis, ne ſcriptores, ſed marmorarios arguas, qui ſtudere per inſcitiam novitati malebant, quam veritati. Hactenus in hanc ſententiam Aligerius, cui, licet nullum afferenti opinionis auctorem ſuae, tamen res ipſa monet nec refragandum penitus, nec utroque calculo ſubſcribendum. Nam ut cetera, quae ſunt paſſim obvia, aetatis ſymbola omittamus, corvum Metellus Nepos ſepulcro [a] appoſuit magiſtri ſui. Cur vero perſaepe fuerit hiſce ritibus abrogatum, non tam id marmorariis, quam tempori tribuendum eſt. Quis enim non videt, pro ſepulcrali ornatu veteres confugiſſe ad infinitam fabularum, ac rituum varietatem, quandoque ad hiſtoriarum fontes, plerunque ad artes, quarum parerga in urnis frequenter cernimus [b] deſignata? Quod ad viros pertinet armorum gloria commemorabiles, praeter arma, quae diximus in eorum ſepulcris inſculpta & condita, inibi etiam tropaea, opinor, victoriaeque inſignia ac triumphi pompa deſcribebatur, qualis apparet in [c] muſeo

a *Plutarch. in Vit. Cic.*
b *Vid. Muſ. Etr. Tom. III. Diſſ. III.*
c *Tom. I. Tab. CLXXVIII.*

ſeo Etruſco, ubi & ritus feriendi foederis [a] eſt eleganter delineatus. Demſterus [b] quoque ſaltationis armatae deſcriptionem habet pulcherrimam in vaſe Etruſco argenteo, inaurato, caelaturis maxime admirando. Item ſpectatu digna eſt tabula CLX., cujus in explicatione Gorius [c] ſaltationem cum Platone [d] diſtinguit Pyrrhicham a Pacifica, atque hujus deſcriptionem praebet in columellae opere anaglyptico. At enim arma ſemperne militarem indicant ſepulturam? Non ita quidem, praeſertim peltae utpote documenta, ſive inſignia non artis potius, quam religionis [e]. Nam praeterquam quod Diis praeliantibus, quorum pugnae ſaepe videntur in ſepulcralibus anaglyphis, dabant ethnici plerunque [f] peltas, quae Deorum etiam infernalium parerga [g] erant, quibus eorum potentia deſignabatur; ideo aeque virorum, ac mulierum in ſepulcris inſculptas fuiſſe peltas Paſſerius annotat in explicatione [h] cippi Urbinatis.

XVI. Magnifica conditoria ſcite poeta [i] nuncupat inania *pondera*:

Aut illis flamma, aut imber ſubducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.

His de ponderibus praeclaros duces maxime fuiſſe anxios licet ex cimeliis aureis argenteiſque arguere, quae eorum in ſepulcris reperta ſunt, & commentariis occaſionem dedere ampliſſimis, qualia videlicet ediderunt poſt Chifletium Gisbertus Cuperus, atque Romani Praeſules eruditiſſimi Fontaninus pariter, & Blanchinus. In re jam per-

a *Tabul. CLXXIX.*
b *Tab. LXXVII. & LXXVIII. vid. Muſ. Etr. Tom. I. Tab CLXXX.*
c *Muſ. Etr. Tom. II. Cl. III.*
d *De Leg. VII.*
e *De Urnar. Sepulcr. Architect. Etr.*
f *Demſter. Tab. LXXX.*
g *Muſ. Etr. Tab. CXLIX. & Tab. CLVII. Tom. I.*
h *Loc. cit. in Muſ. Etr. Volum. III.*
i *Propert. lib. II.*

pervulgata non multis utar. Unum & alterum teſtimonium ſatis futurum reor. Cuperi epiſtola ad Cl. Praeſulem Dominicum Paſſioneum, nunc Eccleſiae Cardinalem ampliſſimum jampridem data, nuperrime vero typis [a] edita dubitari omnino vetat, quin eximii cujuſpiam ducis ſepulcrum fuerit, in quo magnus ille theſaurus A.D. 1715. inventus eſt: catena nimirum aurea, & diſpoſitae in orbem aureae quoque armillae, in quarum medio numiſmata erant aurea majoris moduli, eleganter elaborata, itaque ſimul compacta, ut quaſi pavimentum efficerent, cui nummi item aurei ſic inſiſtebant, ut non jacentes quidem, ſed ſtantes mutuo continerentur. Pretioſus theſaurus ſtatim aurificis venditus, & liquefactus fuit, exceptis quibuſdam nummis, qui eruditorum induſtria ſunt ab ignibus vindicati. Nummi porro ſinguli florenis ſeptem Hollandicis, numiſmata autem majoris moduli multo pluris aeſtimata ſunt. Horum duo, quae ſunt Honorii, & Gallae Placidiae, videre licet in cit. Cuperi epiſt., cujus judicio numiſma Placidiae 70., vel 75., Honorii 140. florenis reſpondet. Haec cimelia conſtanter exiſtimat idem auctor militaria fuiſſe dona, in quam ſententiam pedibus eundum Blanchinus [b] cenſet, multaſque ad rem firmandam auctoritates profert, ac potiſſimum ſtatuam aeneam, Sarmatae fortaſſe, aut Scythae, ut veſtitus indicat, in cujus pectore numiſma ineſt Conſtantini M., qui barbarorum duces his donariis fertur [c] in officio continuiſſe, poſtquam de Sarmatis victoriam retulit aeternis ab Euſebio [d] laudibus celebratam. Maximi hujus imperatoris ſucceſſores, quum praeſertim imperii majeſtas nutare coepit, ejus libera-

a *Vid. in fine volum. IV. Diſſert Academ. Corton.*

b *In Epiſt. ad Gisbert. Cuper. reſponſor. loc. cit.*

c *Blanchin. loc. cit.*

d *In vit. Conſtant. IV. 5. & ſeqq.*

beralitatem non adaequare modo, verum etiam ſuperare conati ſunt. Etenim loco jam citato Blanchinus numiſmata corona circumfulgentia, eademque aliis alia grandiora oſtendit, & inde argumentatur, ea donaria ſemper majora fuiſſe cuſa, donec ad librae pondus pervenere ſub Tiberio Conſtantino, quem quotannis nummos dediſſe aureos ſingularum librarum Chiffletius in *Anaſtaſi* colligit ex Gregorio [a] Turonenſi. Nec ſupremi tantum exercituum duces, ſed, uti lapides [b] docent, ipſi etiam centuriones his muneribus donabantur. Conſueviſſe porro cum eorum cineribus, quibus obtigiſſet hoc laudis genus, eadem virtutis proemia ſepeliri, praeclariſſime, ſiquis alius, ille theſaurus perhibet A. D. 1717. in arce Peruſina effoſſus. Phiala enim aerea detecta eſt, ex qua, ut ferreo ligone contuſa fuit, aqua flava, cujus jacturam chymici adhuc lugent, manaſſe traditur, adeo foetens, ut ſua mephiti [c] omnes in fugam verterit. In illa phiala haec cimelia, omnia quidem aurea, inventa ſunt; nempe numiſmata LXI. Juſtini ſenioris, & LXXVII. Juſtiniani, fibulae tres (de his donariis Chiffletium [d] conſule) monile unum, vel catenula, geminae inaures, totidemque annuli, in quorum uno erat achates, in quo gemina manus, ſignum foederis, item minutiſſimae litterae ſurſum ac deorſum inſcriptae apparebant, ſolemnem fortaſſe formulam exprimentes VTERE FELIX. Prae ceteris eminebat diſcus argenteus, ſive lanx, aut gabata in morem catini concava, anaglyptico opere inſignis, & duos circiter palmos Romanos aequans. Interior orbis figuras exhibet duas eodem modo diſpoſitas, quo in nummis Titi, Do-

a *pag.* 258.

b *Vid. Theſ. Murat. Tom. IV. pag.* MMXXX.

c *Vid. Fontan. in Praefat. de Diſco vot. argent. cap. V.*

d *Loc. cit. cap. XVI.*

Domitiani, Trajani, Severi, Conſtantini, Theodoſii ſenioris, aliorumque principum: vir ſcilicet clamyde & thorace indutus inſidet equo; haſtam dextera, enſem ſiniſtra tenet, ac lateribus inſtat infra jacentis peditis, & fruſtra clypeo ſe tuentis. Circulus demum figuras includens hac epigraphe inſignis cernitur: ✠ DE DONIS DEI ET DOMINI PETRI VTERE FELIX CVM GAVDIO; quam formulam aut integris vocibus, aut compendiariis VT. FX. aeque in ſacris, ac profanis rebus, puta in pateris [a], in fibulis, in gemmis annularibus [b] ſaepenumero Chriſtiani veteres adhibebant. Doctiſſimi Praeſules, qui diſcum hunc votivum commentariis illuſtrarunt, pretioſa haec cimelia ad tribunum, aut praefectum aliquem militarem pertinuiſſe pro certo habent: Fontaninus id etiam conjicit ex cadaveris magnitudine: milites enim non tam fortitudine, quam ſtatura inſignes [c] deligebantur. In hoc tantum diſſentiunt eruditi interpretes, quod Blanchinus ducem illic ſepultum autumat, qui Juſtino ac Juſtiniano imperantibus pro re contra Gothos bene geſta a Romano Pontifice, vel a Peruſino Antiſtite, aut magiſtratu illa donaria accepiſſet: Fontaninus exiſtimat, fuiſſe Gothum Romana praeda ſuperbum, qui nempe diſcum, quum Roma a Totila capta eſt, e S. Petri donariis abſtuliſſet.

XVII. Viris de republica benemeritis plures quandoque tumuli extructi ſunt, unus ſcilicet ad ſepulturam, alii ad memoriam, quos aut *gloriae* [d] *munera*, aut [e] *honores imaginum* appellabant. Et hic ſane mos antiquiſſimus.

a *Senat. Bonar. in Num. Carpin. in Praefat. pag. 17. & ſeqq.*

b *Idem in ſacr. obſerv. pag. 208. vid. Fontanin. loc. cit. cap. XVIII.*

c *Jacob. Cujac. in Obſerv. lib. XXI. 5. Melchior. Goldaſt. in not. ad Doſith. III. & loc. cit. Fontan. in Praefat. cap. VII.*

d *Cic. Philipp. XIV.*

e *Dio LV.*

mus. Nam Aeneae plurima extructa ſunt cenotaphia in iis locis, ubi [a] hominum ſibi benevolentiam conciliaverat, quare nonnullos dubitatio cepit, num ille in Italiam appulerit. Talis honor datus eſt a militibus in Germania Neroni Druſo, cujus & Ravennae [b] fuit alterum monumentum. Uſque ad patrum noſtrorum memoriam extitere in urbe cenotaphia duorum Scipionum, alterum in campo Martio, alterum in platea ante portam Flaminiam. Hic honor etiam peregre mortuis ac ſepultis dabatur a conſanguineis, & libertis. Ita Franciſcus Aligerius interpretatur ollas ſecundas in hoc epigrammate: [c]

OLLAE II. M. VARENI MA
XIMI VARINIA M. L
ELEVTHERIS
VIX. ANNIS . XX

Varinia quippe patrono ſuo M. Vareno Maximo (cujus familiam Aſconius ait in equeſtri gradu ſe continuiſſe, quamvis cenſus abunde ſufficeret latoclavo) ſecundas ollas dicat, ſepulcrum quodammodo iteratum, niſi mavis non ſecundas intelligere, ſed duas ollas, cinerariam alteram, alteram oſſuariam. Eſt hoc memoria dignum, quod de Pythagoricis dicitur, qui [d] conſueverunt tumulum inanem ſeu cenotaphium iis extruere, qui a familia, nempe ſchola Pythagorae deſciviſſent, aut illius ſectae myſteria temere evulgaſſent. Exſtruebantur haec monumenta e terra congeſta in modum aggeris, & cupreſſo, vittiſque nigris ac caeruleis ornabantur: [e]

Aggeritur tumulo tellus: ſtant manibus arae
Caeruleis maeſtae vittis atraque cupreſſo.

Quem

a *Dionyſ. I.*
b *Theſ. Grut. CCXXXVII. 5.*
c *Antiq. Valent.*
d *Origen. contr. Celſum.*
e *Virg. Aen. III.*

Quem morem Afranius, & Caecilius comicus apud Romanos, Frontinus memorat apud Graecos: [a] Epaminondam quippe; quod ventus haſtae ſuae ornamentum in Lacedaemonis tumulum detuliſſet, contriſtatis militibus dixiſſe narrat: *nolite, milites, trepidare: ſepulcra enim inſulis ornantur*. Mulieribus ſoluto crine circumſtantibus, ad cenotaphia lac cum ſanguine fundebatur: [b]

Et circum Iliades crinem de more ſolutae
Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras.

Ornatos pariter inſcriptionibus inanes tumulos diſcimus ex Ovidio: [c]

Et ſaepe in tumulis ſine corpore nomina legi.

An cenotaphiis aliqua religio ineſſet, non ſatis conſtat inter Juriſperitos. Martianus [d] affirmat, Ulpianus [e] negat, quia nulla religio ſepulcro inerat ſine legitima cadaveris illatione. Gutherius [f] Ulpiano favet, ſed iis cenotaphiis ineſſe religionem putat, quae ſacris aris adhaererent, uti Hectoreus [g] tumulus,

viridi quem ceſpite inanem
Et geminas cauſam lacrimis ſacraverat aras.

Siquidem ara alicui Deorum conſecrata religioſum faciebat tumulum adjacentem: ſecus enim omni religione carebant tam cenotaphia, quam ſepulcra, ubi ſolus ſine capite truncus corporis erat conditus; quare Priami infortunium deplorat vates: [h]

jacet ingens litore truncus
Avulſumque humeris caput & ſine nomine corpus.

Quo

a *Front. Strat. I. 2.*
b *Virg. ibid & Varro de L. L. VI.*
c *Metam. X. & Stat. Theb. XII.*
d *L. in tantum § fin. D. de rer. diviſ.*
e *L. ſed Divi. D. eod.*
f *De Jur. Man. II. 18.*
g *Virg. loc. cit.*
h *Idem Aen. II.*

Quo verſu magna religio continetur, quia nimirum locus, ubi pars deerat hominis potiſſima, nempe caput, religioſus non habebatur. Iccirco Parmenionis [a] corpus ad ſepulturam militibus enixe poſtulantibus, Cleander truncum conceſſit, caput vero ad regem detulit. Haec inter ceteras erat ratio, cur, quum Urbini degerem, ſepulcrum eſſe Aſdrubalis, ut vulgo fertur, aegre ducerem monumentum quoddam edito in colle ſitum, cujus altitudo protenditur ad palmos Romanos XXX., & uncias VIII., rotunditas ad palm. CXIII., unc. IX., teſte patricio Urbinate litterarum ac juris conſultiſſimo Doctore Depretis, quem penes eſt illius monumenti ichnographia. Profecto ſi Romani conſules in hoſtem, quem unum omnium poſt Annibalem maxime formidaverant, beneficentiam expromere voluiſſent ſuam, non illi, opinor, ſepulcrum a religione vacuum, ante fratris ſtationes [b] projecto capite, aedificaſſent, neque Livius, utpote totus in Romanorum laudibus exaggerandis, hoc beneficii genus aeterno ſilentio tradidiſſet. At enim Sebaſtianus Maccius Durantinus, ubi belli [c] Aſdrubalici quaſi teſtis oculatus totam faciem deſcribit, non modo rem affirmat, ſed etiam architectum [d] laudat P. Fuſicium, Urbino ad id operis a conſulibus acceritum. Equidem hiſcere non auderem, ſi, quae Maccius tradit, certis auctoritatibus confirmaret. Sed praeterquam quod fontes, unde hiſtoriam hauſerit, ignorantur, ſibi ipſe palam nonnihil obeſt. Nam ad radices montis, ubi Aſdrubalem a Romanis ſepultum putat, reperta fuiſſe narrat & caſſidem, & ephyppia equina, eademque tota amethyſtis cooperta, *quae unius* [e] *Aſdrubalis*

a *Q. Curt. II.*
b *Liv. Dec. III. lib. VII 36.*
c *Vid. lib. III. de bell. Aſdrubal. poſt Tract. de Hiſtor. edit. Venet. 1613.*
d *Ibid. pag. 56.*
e *Ibid. pag. 83.*

balis fuiſſe creduntur. At vel pueruli norunt, ephyppia equina fuiſſe penitus eo tempore inuſitata. Hinc illud ſi monumentum vere ſepulcrum fuit, non potius ſpecula ac propugnaculum, ego quidem ſuſpicor ad poſteriora tempora pertinere; ſicut auri conditio indicat, & opificium annuli non ita pridem ibi cum gladio effoſſus, qui nunc extat in muſeo Albano. Verum, quod illius monumenti de vetuſtate dubitem, nolim putes, immortalibus Urbini laudibus quicquam me obeſſe velle. Tantum abeſt, hoc mihi probrum in mentem cadere, ut doleam equidem vehementer, non deeſſe viros, eoſque diſertos oppido & eruditos, a quibus nobiliſſimae civitatis antiquitas in dubium revocetur. Nam Cluverius Urbinum credidit, eo loco [a] fuiſſe ſitum, ubi caſtrum Durantis, nunc Urbania: Lucas Holſtenius [b] ſupra Urbaniam collocat, ubi antiqui oppidi veſtigia apparent: noviſſime propter quaſdam inſcriptiones, quae lucem acceptam referunt Cl. Annibali [c] Oliverio, inventas citra oppidulum, vulgo *Acqualagna*, Lucas Antonius Gentilius Urbinum Metaurenſe illic extitiſſe conjiciebat. At enimvero exigua ſive rudera, ſive titulorum fragmenta, niſi ſumma in Urbinates obſervantia me fallit mea, idoneam eſſe cauſam vix quiſque videt, cur exinde potius arguatur antiquus Urbini locus, quam aut aliud quodvis oppidum ea in vicinia dirutum, aut ſepulcrum aliquod ſuo in praedio poſitum a nobili quopiam Urbinate, ſi, quo contenditur, incertos ſpectare titulos concedamus. Fateor, dum litteratos quoſdam excipias lapides ad ſcalam Eccleſiae principis collocatos, nulla illic extare vetera monumenta, quin ea

 etiam,

a *Lib. II. Ant. Ital.*

b *In Annot. ad pag. 620. lin. 52. lib. cit.*

c *In not. ad marm. Piſaur. pag. 95. 96. 97.*

etiam, quorum ſit aliquos apud auctores [a] mentio, deſiderari. Negligentiae arceſſo neminem, ne invidiae quidem, tametſi de hac noverim nonnihil ſuſpicioſius dubitari. Verum vetuſtatis inſignia finge ibidem defuiſſe omnia, ac deeſſe: jam certa, ſodes, tu monumenta oſtende, unde veritas eluceſcat. Quod ſi contra municipii gloriam, cujus civis, vir ſane illuſtris, a Cicerone in Philippicis honoris gratia nominatur, nihil certi afferri poteſt, liceat jam Urbinatibus, non Hortenſibus [b] quidem, qui nulli ſunt, ſed Metaurenſibus, qui egregie florent, antiquitatem patriae tueri ſuae, quum praeſertim accepta a majoribus decora novis perpetuo honoribus, quibuſdam veluti immortalitatis inſignibus illuſtraverint. Neque enim ullum eſt genus litterarum pulcherrimarumque artium, in quo illa civitas, magnorum ſemper ingeniorum auguſta mater, non viros in lucem dederit abſque controverſia excellentiſſimos, digna propterea, quam Cardinalis Bembus, qui vir! qui rerum aeſtimator & animorum! alteras [c] veluti Venetias appellaret. Nunc vero cetera ſi laudum genera praetermittam, quatuor oſtentat ſuos, & rebus quibuſque maximis ſane pares, praeſtantiſſimos in Eccleſia Cardinales. Obiter haec dicta volui, non clariſſimae ut civitatis laudator & vindex eſſem, quae per ſe ipſa lucet ubique gentium, ſed ut beneficiorum memor utcunque haberer, quibus abunde ſum cumulatus, quandiu eloquentiae profeſſor in illo fui, quod nunc maxime floret, Ordinis mei collegio, perhonorifico Albanae beneficentiae monumento.

XVIII. Quemadmodum cenotaphia diximus extructa prae-

a *Cuper. in Harpocr. & Paſſer. de Urnar. Sepulcr. Architect. Etruſc. in Muſ. Etr. vol. III.*

b *Vid. Plin. H. N. III. 13.*

c *In Epiſt. Fam.*

praeſertim fuiſſe ducibus militari gloria perilluſtribus, ita & columna uirtutis bellicae proemium fuit proprium ac peculiare. Nulla enim re, inquit Ariſtoteles [a] ad Nicomachum, virorum fortium, qui patriae columen extiterunt, aptius adumbrari virtus & gloria poteſt, quam per columnam pro ſtabilitatis typo ac aeternitatis ſymbolo uſurpatam. Romae quidem [b] ſi L. Minucium Augurem, & Antoninum Pium exceperis, quorum alteri A. V. CCCXIV. propter collata populo beneficia in Annonae praefectura, alteri haec data laus, quod eximius fuerit pacis cultor, id decretum nemini facile inveneris, niſi viris bellica laude inſignibus. C. Menio [c] ob priſcos Latinos devictos, C. Duillio ob navalem de Poenis triumphum, Auguſto ob Sex. Pompejum debellatum, Veſpaſiano Judaeis, Trajano Dacis devictis columna erecta. Claudio quidem imperatori [d] columna decreta fuit in portu Oſtienſi, ſed ſtatua columnae ſuperimpoſita manu haſtam tenet, ut hoc proemium illorum proprium quodammodo videatur, qui pugnando magnum aliquid pro republica perpetraſſent. Iccirco converſus ad Scipionem Ennius, *quantam*, inquit. *ſtatuam faciet* P. R. *quantam columnam*, *quae res tuas geſtas loquatur*? Non igitur ſine cauſa exiſtimaverim, militaribus in ſepulcris ac cenotaphiis inter cetera virtutis inſignia non defuiſſe columnae decus ad oſtendendam ſtabilitatem, quam patriae pepererunt, & quam praeclare geſtis adepti ſunt, laudem nominis ſempiternam. Certe viros nobiles, qui rei militari a pueritia inſervierant, ſuis ſepulcris columnas impoſuiſſe teſtantur [e] Servius, & [f] Iſidorus. Lucianus hac de re Philonidam ſic loquentem

Sſ 2 indu-

b *De Morib. ad Nicomach.*
a *Vid. Vignol. de Columm Anton.*
c *Plin. H. N. XXXIV. 5.*
d *Vid. not. inſer. 4. Claſſ. I.*
e *Ad Aen. V.*
f *Lib. XV. 11.*

inducit: *dic*, [a] *Menippe, iſti, qui ſumtuoſa excelſaque ſepulcra habent in terris, & columnas, & imagines, & titulos, nihilne apud inferos plebeis defunctis ſunt honoratiores?* Superbiam hanc ortam arbitror e columellis, quarum in ſepulcris antiquitatem teſtantur Homerus, Cicero [b], & ex recentioribus [c] Rhodiginus; quae conſuetudo a Perſis, Turcis, Mauris, Judaeis ad haec uſque tempora cuſtoditur. Ab initio eae columnae fuerunt ſaxa rudia & illiterata, ac ad mortui caput adpoſita ſepulturam ſignificabant, ne quis imprudens locum effoderet religioſum, atque [d] ut conſanguinei ſuorum ſepulcra noſcerent, & annua juſta perſolverent ſacrorum laticum effuſione. Illis deinde ambitio mortuorum nomina tituloſque inſcripſit, primo perbreves veriſſimoſque, deinceps & prolixos & mendaciſſimos. Columellae denique duplices quoque poſitae, ad caput altera, altera ad pedes, haec quidem vacua, illa [e] diſtincta litteris. Poſtremo ſepulcralis columna quaelibet arae vicem obtinuit, creſcente nempe ſuperſtitione, quae Deos ex mortuis, & templa ex ſepulcris fecit, quare Prudentius dixit:

Et tot templa Deum Romae, quot in vrbe ſepulcra.

XIX. Columnae honore non erat minor clypeorum, de quibus jam dictum eſt, & ſtatuarum ſplendor, quas inter honores poſtumos locum habere volui, quia viventibus aeque ac mortuis decretae ſunt. Rara haec fuit priſca aetate [f] res, & ne ipſis quidem legatis, niſi ferro in legatione interfectis, facile concedebatur. De Servio Sulpicio, qui legatus ad Antonium non ferro obierat, P. Sulpicius ſententiam rogatus decernendum ei publice ſepul-

a *Dial. Menipp. & Philon.*
b *De Leg. II.*
c *Ant. Lect. IX. 44.*
d *Vid. Paſſer. in Acheront. IV. & V.*
e *Paſſer. ibid. in fin. Corollar.*
f *Liv. VIII. 11.*

ſepulcrum cenſuit, non vero [a] ſtatuam: quanquam Cicero ſtatuam pedeſtrem aeneam ei erigendam in roſtris cenſuerit, addito in baſi titulo de mortis cauſa, in quam ſententiam S. C. factum eſſe ſcribit Pomponius [b], teſtaturque pro roſtris Auguſti illam ſtatuam extitiſſe. Hujus honoris decernendi auctoritas primo penes reges fuit, deinde [c] ſenatum ac populum. Irrepſit deinde mos, ut qui in magiſtratu erant, ſibi ſtatuas circa forum ponerent; ſed a cenſoribus P. Cornelio Scipione, & M. Popilio omnes ſublatae ſunt, praeter eas, quae populi ac ſenatus ſententia [d] ſtatutae fuerant. Silentibus inter arma legibus, populus, ut mos eſt, victoriae favens, hunc honorem dabat abrogabatque. Etenim tribus, quas in vicis omnibus ſtatuas Romae poſuerant C. Mario Gratidiano, eaſdem Syllae [e] introitu ſubverterunt. Venit tandem, ut cetera, hoc jus ad Caeſares; ac de Julio, qui Pompeji M. ſtatuas disjectas reponi juſſit, argute Cicero dixit: *ſtatuas Pompeji collocaſti, tuas conſtabiliſti*: quibus verbis Plutarchus utitur in aureo opuſculo *de utilitate capienda ab inimicis*, quos prudentiſſime ait nec maligne laudandos, nec honore fraudandos eſſe. Auguſti, ſi moderate ſuprema uterentur auctoritate, hunc honorem ſine aſſenſu ſenatus [f] nemini concedebant. Sed nobilium ambitio, & adulatio clientum iterum coepit ſibi aliiſque [g] ſtatuam quaſvis ob cauſas ponere, ac brevi tempore forum & in domibus privatis factum eſt [h] atque in atriis, quae intempeſtiva luxuries rurſus compreſſa [i] fuit. At Caligula

non

a *Philipp. IX. Cic.*
b *De Orig. Jur.*
c *Plin. H. N. XXXIV. 6.*
d *Ibid.*
e *Ibid.*
f *Svet. Calig. & Claud. vid. Praef. Rodulph. Venuti de laudib. Leonis X.*
g *Dio LX.*
h *Plin. loc. cit. 4.*
i *Svet. Calig. 34.*

non ſolum vetuit cuiquam viventium, niſi ſe auctore, ſtatuam collocari, ſed etiam livore impulſus ſtatuas ab Auguſto in campum delatas ſubvertit ac disjecit, ut reſtitui ſalvis titulis non potuerint. Hoc ſtatuae decus tam pro ſe, quam pro aliis praeclaros viros petere conſueviſſe [a] Seneca docet, & [b] Quintilianus: honeſtius vero habebatur eas conſequi ſine petitione, ut honor eſſet illuſtrior, & gloria beneficii major: ideo Apulejus Annonem ſic loquentem inducit: *qui ſine moleſtia ambitus eſt, duplam gratiam praebentibus debet, & quod non petierit, & quod acceperit*. De ſtatuae honore, cujus ambitionem veteres *humaniſſimam* [c] nuncupabant, ſcitum eſt dictum Catonis ſenioris inter apophtegmata apud Plutarchum: *malim ut de me quaerant homines, quamobrem Catoni non ſit poſita ſtatua, quam quare ſit poſita*.

XX. Romae ſtatuarum numerus erat magnus in variis locis: in capitolio, ubi tanta fuit eorum multitudo, ut illas Auguſtus [d] ex area capitolina in campum Martium tranſtulerit. Locus etiam perhonorificus erat in foro [e] Romano, itemque in aliis foris. Nam ut nihil dicam de ceteris, M. Antoninus philoſophus in foro [f] Ulpio multorum nobilium in bello Germanico, ſive Marcomannico occiſorum ſtatuas collocavit. Nullus locus fuit [g] ad ſtatuam quidem roſtris clarior, ubi inter alias ſtatuae eminuerunt quatuor legatorum, quos Fidenis Rex [h] Vejentium Lar Tolumnius interemit, item Cn. Octavii [i] Laodiceae in gymnaſio interfecti, ac C. Popilii [k] in legatione

a *Decl. XXXVI.*
b *Controv. X. 2.*
c *Plin. loc. cit.*
d *Suet. loc cit.*
e *Senec. Controv. X. 1.*
f *Capitol. in vit.*
g *Cic. pro Dejot.*
h *Plin loc cit. 6.*
i *Cic. Philipp. IX.*
k *Plin. ibid.*

ne caeſi ad Antiochum celeberrima, quod hunc regem, cui ſenatus nomine denunciaverat, ut ab Alexandria diſcederet, virgula ſtantem dubitantemque circumſcripſit, coegitque, priuſquam e circulo egrederetur, reſponſum dare. Statuae quoque decretae ſunt in [a] comitio, in [b] curia, in [c] templis, & aliquando in [d] palatio. Quibuſdam denique conceſſum eſt, ut ubi ipſi vellent, ſtatua poneretur: exemplo eſt Tarecia Caja, ſive Suffetia, virgo Veſtalis, quae campum [e] erat populo gratificata. Statuae porro, quae publice hominibus erigebantur aliqua honeſta cauſa perpetuitatem merentibus, impenſa vel propria, vel publica ponebantur: ſi propria, hujuſmodi extabant ſigla S. P. P. S. C. i. e. *ſua pecunia ponendam ſibi curavit*: ſi publica, ita, vel aliis modis [f] inſcribebantur: P. M. A. M. IMP. P. P. STA. AER. COLL. P. P. E. i. e. *poſt mortem ad memoriam imperatoris poſtulante populo ſtatua aere collato publice poſita eſt*. Publice a magiſtratu decretae ſtatuae tam Romae, quam in municipiis & coloniis, plerunque impenſa publica erigebantur; nonnulli vero ſolo honore contenti, publicae pecuniae parcebant, quod teſtantur lapides ita ſignati: H. C. I. R. i. e. *bonore contentus impenſam remiſit*: vel H. A. I. R. *bonore accepto, impenſa remiſſa*. Addebantur ſtatuis dignitatum inſignia, quibus quiſque eminuiſſet. Placuere & nudae, Graecorum more, tenentes haſtam, quas Achilleas [g] vocabant; familiares erant equeſtres, loricatae, togatae, curules, triumphales. Equeſtris ſtatua perelegans decreta M. Nonio Balbo, Neapoli nuper inventa eſt in vetere

a *A. Gell. Noct. Att. IV. 5.*
b *Val. Max. IV. 1.*
c *Dionyſ. IV.*
d *Svet. Othon. 1.*
e *Plin. ibid.*
f *Nicol. de ſigl. vet. XXXVI. §. 2.*
g *Plin. loc. cit. 5.*

ro Herculano cum hac inſcriptione:

M. NONIO M. F.
PR. PRO. COS
HERCVLANENSES

His additi etiam currus [a] in triumphi memoriam; additae bigae ad eorum laudem, qui praetura functi per circum curru vecti fuiſſent. Earum ſtatus digniſſimus habebatur, quum ſedentes fingebantur, quod obſervatum praeſertim in Deorum ſignis, raro in hominum ſtatuis, niſi id hiſtoria, vel aliqua honeſta ratio poſtularet. Ad ſtatuas ſeſſiles adde ſellas curules magnis viris ad memoriam in theatris poſitas, qui honor Valerio [b] dictatori, & Marcello [c], aliiſque habitus fuit: Germanico autem ſedes curulis [d] inter Auguſtales, & Pertinaci tres in theatro [e] collocatae: demum & abſentibus, ut Tiberio, & Sejano, id honoris decretum [f] legimus. Huic affinis erat in coloniis, ac municipiis honor biſelii, ac bigae, de quo luculenter Valerius Chimentellius. De ſtatuarum materia idem ſentiendum, quod in I. diſſert. diximus de ſimulacris Deorum. Quoad formam corporis, eae quidem ab initio rudes fuerunt, & hominis, cui poſitae erant, effigiem in Graecia non referebant, niſi eorum, qui ter victores e certaminibus [g] Olympicis rediiſſent. Illud interdum decretum eſt, ut locus [h] circa ſtatuas ludis & gladiatoribus concederetur, quae coronabantur pariter modo ex arborum [i] frondibus, puta quercus, oleae, lauri, modo etiam ex auro, quod apud Martialem Carus feciſſe dicitur, qui coronam ſibi a Domitiano datam, Caeſaris ſtatuae reddidit.

CLAS-

a *Juven. Sat. VIII.*
b *Liv. II.* c *Dio LIII.*
d *Tacit. Annal. II.*
Xiphilin. in Sever.
f *Dio LVIII.*
g *Plin. XXXIV. 6.*
h *Cic. in Philipp.*
i *Plin. in Panegyr. vid. Lipſ. ibid.*

CLASSIS IV.

Virorum Bello Illuſtrium Monumenta.

I.

In Agamemnonis ſcuto.

Pauſan. in Eliac. I. pag. 167.

ΟΥΤΟΣ ΜΕΝ ΦΟΒΟΣ ΕΣΤΙ ΒΡΟΤΩΝ Ο Δ' ΕΧΩΝ ΑΓΑΜΕΜΝΩΝ

Οὗτος μὲν Φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων.

Amaſaeus *lib. V. pag. 143.*

Hic pavor eſt hominum, manibus gerit hunc Agamemnon.

Celebris apud Pauſaniam Cypſeli arca, emblematis ornatiſſima, pugnam exhibebat in uno latere; multi, in quorum medio erat Helena, congreſſi heroes certabant; prae ceteris Agamemnon, cujus in clypeo terror expreſſus erat capite leonino. Pompejus M. haud abſimilem habuit annulum, in quo inſculptus leo gladium tenens, quem cum illius capite ad ſe delatum ut vidit Caeſar, illacrimavit. *Plutarch. in vit. Pomp.*

I I.

Romae in monte Caelio in termino.

Ex Pighio Smetius Ord. III. p. 55.

Μ Ι Λ Τ Ι Α Δ Η Σ

QVI . PERSAS . BELLO . VICIT . MARATHONIS . IN . ARMIS

CIVIBVS . INGRATIS . ET . PATRIA . INTERIIT

ΠΑΝΤΕΣ . ΜΙΛΤΙΑΔΗ . ΤΑΛΑΡΗΙΑ . ΕΡΓΑ . ΙϹΑϹΙΝ

ΠΕΡϹΑΙ . ΚΑΙ . ΜΑΡΑΘΩΝ . ϵΗϹ . ΑΡΕΤΗϹ . ΤΕΜΕΝΟϹ

Πάντες, Μιλτιάδη, τὰ λαρήια ἔργα ἴσασιν

Πέρσαι, καὶ Μαράθων σῆς ἀρετῆς τέμενος.

Sic ego utcunque vertebam.

Bellica, Miltiades, tua norunt fulmina Perſae,
Pectoris & Marathon conſcia magnanimi.

 Ful-

Fulvius Urſinus immortalis doctrinae vir, Miltiadis imaginem primus edidit, in cujus pectore hi verſus adſcripti ſunt. De pugna Marathonia cui fidem habere deceat, tute videris. Cornelius Nep. centum peditum, & decem equitum; Juſtinus II. 9. ſexcenta; Valerius Max. V. 3. trecenta hoſtium millia devicta fuiſſe ſcribunt, ea quidem felicitate, ut hinc viros crederes, inde pecudes. Erroris inceſſo neminem, adhaereo nemini. Vid. *Fulv. Urſin.*, *Rutgerſium in var. lection.*, *Petav. in Rationar.*

I I I.

Plutarch. de Herod. malignit. p. 870.

ΟΥΤΟΣ ΑΔΕΙΜΑΝΤΟΥ ΤΑΦΟΣ ΟΝ ΔΙΑ ΠΑΣΑ
ΕΛΛΑΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ ΑΜΦΕΘΕΤΟ ΣΤΕΦΑΝΟΝ.

Οὗτος Ἀδειμάντου τάφος, ὃν διὰ πᾶσα
Ἑλλὰς ἐλευθερίας ἀμφέθετο στέφανον.

Ita Xylander vertit.

Cujus ſeſe opera redimivit Graecia ſerto
Libera, Adimantus conditur hoc tumulo.

Vide in quanta ſit gloria Adimantus, quem Herodotus, tanquam proditorem, crebro & acriter inſectatur. Homini timido & perduelli neque poſt mortem tantus honor habitus eſſet, neque ipſe filium Ariſteam nuncupaviſſet, & filias Nauſinicam, Acrothinium, Alexibiam, nominibus ab illius belli gloria deſumtis, honoraviſſet, niſi contra Xerſem pro patria fortiſſime decertaſſet. *Plutarch. loc. cit.*

I V.

In Olympia ad ſtatuam Lyſandri. *Pauſan. Eliac. II. p.* 180.

ΕΝ ΠΟΛΥΘΑΗΤΩΙ ΤΕΜΕΝΕΙ ΔΙΟΣ ΥΨΙΜΕΔΟΝΤΟΣ
ΕΣΤΗΚ' ΑΝΘΕΝΤΩΝ ΔΗΜΟΣΙΑΙ ΣΑΜΙΩΝ

Ἐν πολυθαήτῳ τεμένει Διὸς ὑψιμέδοντος
Ἕστηκ' ἀνθέντων δημοσίᾳ Σαμίων.

Amaſaeus *p.* 154.

Supremi Jovis haec decora in praedivite fano
Publicitus Samii conſtituere viri.

Vide notas ſequentis inſcriptionis.

V.

V.

In Olympia ad ſtatuam Lyſandri. *Pauſan. ibid.*

ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΠΑΤΡΑΝ ΚΑΙ ΑΡΙΣΤΟΚΡΙΤΩΙ ΚΛΕΟΣ ΕΡΓΩΝ
ΛΥΣΑΝΔΡ' ΕΚΤΕΛΕΣΑΣ ΔΟΞΑΝ ΕΧΕΙΣ ΑΡΕΤΑΣ

Ἀθάνατον πάτραν καὶ Ἀριστοκρίτῳ κλέος ἔργων
Λύσανδρ' ἐκτελέσας, δόξαν ἔχεις ἀρετᾶς.

Amaſaeus *loc. cit.*

Quod tua Ariſtocritum, & patriam virtute beaſti,
Lyſander meritis ſtant monumenta tuis.

Scite Pauſanias ait, eadem quovis tempore, quae Jonibus, fuit omnium mens, ſtudia ut eorum ad eos eſſent, qui praeſtarent opibus atque viribus, propenſiora. Samii, & Jones, quemadmodum victorem Alcibiadem, quod apud Pauſaniam ibidem liquet, ſtatua aenea honoraverant, ita ſuperatis navali praelio Athenienſibus, Lyſandrum Ariſtocriti Lacedaemonem, e duabus inſcriptionibus altera id teſtante, in Olympia poſuerunt, & commutata rurſum fortuna, Samii in Junonis, Epheſii in Dianae Cononi, & Timotheo ſtatuas erexerunt. Nimirum populus *ſequitur fortunam, ut ſemper, & odit damnatos. Juvenal. Sat. X.* 73.

VI.

Thebis ad ſtatuam Epaminondae.

Pauſan. in Boeoticis, ſeu lib. IX. p. 294.

ΗΜΕΤΕΡΑΙΣ ΒΟΥΛΑΙΣ ΣΠΑΡΤΗ ΜΕΝ ΕΚΕΙΡΑΤΟ ΔΟΞΑΝ
ΜΕΣΣΗΝΗ Δ' ΙΕΡΑ ΤΕΚΝΑ ΧΡΟΝΩΙ ΔΕΧΕΤΑΙ
ΘΗΒΑΙ Δ' ΟΠΛΟΙΣΙ ΜΕΓΑΛΗ ΠΟΛΙΣ ΕΣΤΕΦΑΝΩΤΑΙ
ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ Δ' ΕΛΛΑΣ ΠΑΣ' ΕΝ ΕΛΕΥΘΕΡΙΗΙ

1. Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν,
2. Μεσσήνη δ' ἱερὰ τέκνα χρόνῳ δέχεται·
Θῆβαι δ' ὅπλοισι μεγάλη πόλις ἐστεφάνωται,
Αὐτόνομος δ' Ἑλλὰς πᾶσ' ἐν ἐλευθερίῃ.

Amaſaeus *p.* 248.

Conſiliis noſtris laus eſt attrita Laconum,
Pubeque Meſſene floret adaucta nova.

Jam valido armorum ſeptae munimine Thebae,
Legibus & fruitur Graecia tota ſuis.

1. Ad Epaminondae ſtatuam hi elegi inſcripti ſunt prope Ammonis delubrum, cui ſignum Pindarus dedicavit, miſſis etiam ad Ammonem in Libyam hymnis.

2. Alterum verſ. ita vertit in not. Fridericus Sylburgius

Meſſenen tandem pulſa redit ſoboles.

Thebanorum lex erat, exteros ut captivos pretio dimitterent, Boeotios exules, capitis damnatos, occiderent: ſed Epaminondas Sicyoniorum oppido expugnato, quum Boeotici nominis exules inveniſſet plurimos, notis compunctos, & alienae, ut ei in mentem venit, ſingulos adſcriptos patriae, omnes dimiſit. *Pauſan. ibid.*

VII.

In Thermopylis. *Ex Herodoto VII. p. 459.*

ΜΝΗΜΑ ΤΟΔΕ ΚΛΕΙΝΟΙΟ ΜΕΓΙΣΤΙΑ ΟΝ ΠΟΤΕ ΜΗΔΟΙ
ΣΠΕΡΧΕΙΟΝ ΠΟΤΑΜΟΝ ΚΤΕΙΝΑΝ ΑΜΕΙΨΑΜΕΝΟΙ
ΜΑΝΤΙΘΣ ΟΣ ΠΟΤΕ ΚΗΡΑΣ ΕΠΕΡΧΟΜΕΝΑΣ ΣΑΦΑ ΕΙΔΟΣ
ΟΥΚ ΕΤΛΗ ΣΠΑΡΤΗΣ ΗΓΕΜΟΝΑΣ ΠΡΟΛΙΠΕΙΝ

Μνῆμα τόδε κλεινοῖο Μεγιςία, ὅν ποτὲ Μῆδοι
Σπερχειὸν ποταμὸν κτεῖναν ἀμειψάμενοι·
Μάντιος, ὃς πότε κῆρας ἐπερχόμενας σάφα εἰδὼς,
Οὐκ ἔτλη Σπάρτης ἡγεμόνας προλιπεῖν.

H. Stephan.

Nobilis hoc buſtum eſt (Medi occidere) Megiſtae,
Sperchion ad fluvium: non ſed inultus obit.
Qui vates obitum quamvis praeſciret adeſſe,
Spartae haud ſuſtinuit deſeruiſſe duces.

Vates Megiſtias extis inſpectis indicavit mortem Graecis, qui ad Thermopylas erant, & ſibi pariter impendere. Itaque & ipſe, & qui cum Leonida permanſere, trecenti inſignes Spartani, ſtrenuiſſime navata opera, ceciderunt. Spartanorum cippum exornarunt Amphictyones, epigramma vero vatis Megiſtiae inſcripſit Simonides, Leoprepis filius, propter hominis familiaritatem. *Herod. in Polymnia, ſeu lib VII.*

VIII.

VIII.

Tegeae. *Pauſan. in Arcadicis, ſeu lib. VIII. p.* 280.

ΤΟΥ Δ' ΑΡΕΤΑ ΚΑΙ ΔΟΞΑ ΚΑΘ' ΕΛΛΑΔΑ ΠΟΛΛΑ ΜΕΝ ΑΛΚΑΙΣ
ΠΟΛΛΑ ΔΕ ΚΑΙ ΒΟΥΛΑΙΣ ΕΡΓΑ ΠΟΝΗΣΑΜΕΝΟΥ
ΑΡΚΑΔΟΣ ΑΙΧΜΗΤΑ ΦΙΛΟΠΟΙΜΕΝΟΣ ΩΙ ΜΕΓΑ ΚΥΔΟΣ
ΕΣΠΕΤ' ΕΝΙ ΠΤΟΛΕΜΩΙ ΔΟΥΡΑΤΟΣ ΑΓΕΜΟΝΙ
ΜΑΝΥΕΙ ΔΕ ΤΡΟΠΑΙΑ ΤΕΤΥΓΜΕΝΑ ΔΙΣΣΑ ΤΥΡΑΝΝΩΝ
ΣΠΑΡΤΑΣ ΑΥΞΟΜΕΝΑΝ Δ' ΑΡΑΤΟ ΔΟΥΛΟΣΥΝΑΝ
ΩΝ ΕΝΕΚΕΝ ΤΕΓΕΑ ΜΕΓΑΛΟΦΡΟΝΑ ΚΡΑΥΓΙΔΟΣ ΥΙΟΝ
ΣΤΑΣΕΝ ΑΜΩΜΗΤΟΥ ΚΡΑΝΤΟΡ' ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ

Τῦ δ' ἀρετὰ καὶ δόξα καθ' Ἑλλάδα, πολλὰ μὲν ἀλκαῖς,
Πολλὰ δὲ καὶ βυλαῖς ἔργα πονησαμένυ,
1. Ἀρκάδος αἰχμητᾶ Φιλοποίμενος· ᾧ μέγα κῦδος
2. Ἕσπετ' ἐνὶ πτολέμῳ δέρατος ἀγεμόνι.
3. Μανύει δὲ τρόπαια τετυγμένα δισσὰ τυράννων
Σπάρτας· αὐξομέναν δ' ἄρατο δυλοσύναν.
Ὧν ἕνεκεν Τεγέα μεγαλόφρονα Κραύγιδος ὑὸν
Στᾶσεν ἀμωμήτυ κράντορ' ἐλευθερίας.

Amaſaeus *p.* 237.

Cujus virtutem mirata eſt Graecia, quique
Multa manu geſſit, multaque conſilio,
Arcados invicti Philopoemenis haec monumenta,
Quem belli ornavit gloria clara ducem.
Huic duo de geminis excelſa tropaea tyrannis,
Erexit Spartae libera ſervitio.
Grata etiam Tegeae pro libertate recepta
Craugidis haec gnato magnanimo poſuit.

1. Achaeorum dux praeclariſſimus a Romanis Graecorum ultimus appellatus, quo titulo & Cleomedes quidam Aſtypalaeenſis apud Pauſaniam *lib. VI.* ab oraculo, & Brutus a Caſſio apud Lucanum honoratus eſt.

O decus imperii! ſpes o ſuprema Senatus!

2. Permultae ejus erant in Graecia ſtatuae, quas licet ille non in paucis T. Quintio, & M. Attilio adverſatus eſſet, neque Mummius tamen, neque legati in naufragio illo Co-

Corinthiaco abolendas cenſuerunt.

3, Machanidam, & Nabidem tyrannos oppreſſit, quorum altero interemto ſtatuam Delphis meruit, altero victo viginti & centum talenta a Lacedaemoniis dono miſſa recuſavit, illud addens, *inimicis praeſtat liberam vocem, quam amicis praecidere*. Tandem a Meſſeniis captus, & veneno confectus eſt eodem anno, quo & Scipio Africanus, & Annibal deceſſerunt. Si unquam alibi, fortaſſe hic decet, licet ſpuriam, quae ſequitur, inſcriptionem habere locum.

I X.

Piſauri. *Ex Marm. Piſaurenſ. XVII.*

LVXVRIANTEM . ANIMO . POENVM
FERROQVE . RVENTEM
VRBIS . IN . EXCIDIVM . VIX . PVBER
AD . ARMA . VOCATIS
PATRIBVS . EDOCVI . CERTA
SVPERARIER . ARTE
POSSE . OLIM . INVICTAE . PER . NOS
ſic CHARTAGINIS . ARCES
INSOLITVM . SVBIERE . IVGVM
VICTORIA . NOSTRA . EST
HANNO . ET . IBERVS . ATROX . CONIVNCTIQ. *alib.*
ARMA . SYPHACIS INVICTIQ.
MAXIMA . CVNCTARVM . VICTORIA
VICTA . VOLVPTAS

Gruterus inter *ſpur. inſcr. p. X.* 6. ait hunc titulum, operoſae baſi, cujus toreumata perſtringit, fuiſſe inſcriptum: id negat Cl. Eques Annibal Oliverius *in not. ad marm. Piſaur. p.* 33. Nam baſim refert etiamnum ſupereſſe in impluvio quodam palatii Principum, non inſcriptionem, quam Hieronymus Arditius ſe legiſſe affirmat in exiguo ſtylobate ſuper baſim, cujus & ipſe refert toreumata, collocato. Quae titulo indicantur, jam notiora ſunt, quam videantur interprete indigere. Victoriae apud Livium *XXVI.* 50. celebris, quam ultimus verſus indicat, quamque non ubique fuiſſe creditam

dictam ſcribit A. Gellius *VI.* 8., teſtem habes diſcum argenteum e Rhodano a piſcatoribus eductum, quem vulgavit illuſtravitque Sponius *Diſquiſition. Curioſ. de Antiq. pag.* 1., & *Miſcell. ſect. IV.* Diſcis votivis, aut clypeis ſaepe olim conſueviſſe hiſtorias commendari, praeter Sponium erudite oſtendunt Franciſcus Junius *de Pictur. Veter. II.* 8. Junius Rycquius *Comment. de Capitol. Rom.* 15. Henricus Dodwellius ubi clypeum illuſtrat ex chalybe, in quo Roma a Gallis capta, & a Camillo liberata repraeſentatur.

X.

Ad ſtatuam Arati. *Plutarch. in vit. p.* 1033.

ΒΟΤΛΑΙ ΜΕΝ ΚΑΙ ΑΕΘΛΑ ΚΑΙ Α ΠΕΡΙ ΕΛΛΑΔΟΣ ΑΛΚΑ
ΤΟΤ Δ' ΑΝΔΡΟΣ ΣΤΑΛΑΙΣ ΠΛΑΘΕΤΑΙ ΗΡΑΚΛΕΟΤΣ
ΑΜΜΕΣ Δ' ΕΙΚΟΝ' ΑΡΑΤΕ ΤΕΑΝ ΝΟΣΤΟΙΟ ΤΤΧΟΝΤΕΣ.
ΣΤΑΣΑΜΕΝ ΑΤΤ' ΑΡΕΤΑΣ ΗΔΕ ΔΙΚΑΙΟΣΤΝΑΣ
ΣΩΤΗΡΟΣ ΣΩΤΗΡΣΙ ΘΕΟΙΣ ΟΤΙ ΠΑΤΡΙΔΙ ΤΑΙ ΣΑΙ
ΔΑΙΜΟΝ' ΙΣΟΝ ΘΕΙΑΝ Τ' ΩΠΑΣΑΣ ΕΤΝΟΜΙΑΝ

Βυλαὶ μὲν καὶ ἄεθλα, καὶ ἁ περὶ Ἑλλάδος ἀλκὰ,
Τῦ δ' ἀνδρὸς στάλαις πλάθεται Ἡρακλέυς.
1. Ἄμμες δ' εἰκόν' Ἀράτε τεὰν, νόστοιο τυχόντες,
Στάσαμεν, ἀντ' ἀρετᾶς ἠδὲ δικαιοσύνας
2. Σωτῆρος, σωτῆρσι θεοῖς, ὅτι πατρίδι τᾷ σᾷ
Δαίμον' ἴσον, θείαν τ' ὤπασας εὐνομίαν.

Xylander.

Conſilia, & pugnae, tum virtus nota Pelaſgis,
Herculis ad cippos innotuere viri.
Fiximus in patriam ſed nos tua ſigna reducti,
Juſtitiae memores, dulcis Arate, tuae,
Propitiis ſuperis, Servatoris: tua enim illa
Fortuna leges reſtituis patriae.

1. Si de Arati Sicyonii laudibus altum in hiſtoria ſilentium eſſet, hoc unum, quantus ille fuerit, teſtimonium declararet: non modo enim civitas ſummis eum honoribus cumulavit, verum etiam exules privatim ei ſtatuam ex aere inſcriptam hoc elogio erexerunt.

2. Σω-

2. Σωτῆρος, ſeu Servatoris nomen Arato inditum utcunque patimur : at quis Graecorum adulationi non ſuccenſeat, Neronem hac laude publice commendanti? neminem porro fugit ille Spanhemii nummus *Tom. II de uſu Numiſm. p.* 500. in quo mortalium nequiſſimus terrarum dicitur conſervator, ΤΩ ΣΩΤΗΡΙ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΕΣ.

X I.

Selinunte in Sicilia. *Plutarch. in Lacon. Apophtegm. p.* 217.

ΣΒΕΝΝΗΥΤΑΣ ΠΟΤΕ ΤΟΙΣ ΔΕ ΤΥΡΑΝΝΙΔΑ ΧΑΛΚΕΟΣ ΑΡΗΣ
ΕΙΛΕ ΣΕΛΙΝΟΥΝΤΟΣ Δ' ΑΜΦΙ ΠΥΛΑΙΣ ΕΘΑΝΟΝ

Σβεννύντας ποτὲ τοὺς δὲ τυραννίδα χάλκεος Ἄρης
Εἷλε· Σελινοῦντος δ' ἀμφὶ πύλαις ἔθανον.

Xylander.

Hos reſtinguentes Mars forte tyrannida ſaevus
Pone Selinuntis moenia ſtravit humi.

Arigeus per Selinuntem iter faciens, quum hanc inſcriptionem legeret, dixiſſe fertur, merito eſtis interfecti, aggreſſi tyrannidem adhuc ardentem reſtinguere, quae potius, ut conflagraret, ſinere debebatis. *Plutarch. loc. cit.*

X I I.

Ex Muſ. Veronenſi p. CLXXI.

SEX. NAEVIO
L. F. PVB
1. VERECVNDO. SIGN
COH. XIIII. NATO
VERONAE. OSSA
RELATA. DOMVM
2. CINIS. HIC. ADOPERTA
QVIESCIT. HEREDES
3. TITVLVM. VERSICVLOS
4. CORNELIVS. EROI *ſic*
CONLEGAE. ET. AMICO

In hac ſigniferi memoria, quatuor a Roma milliariis eruta, nunc in Muſ. Veron. Cl. Marchio Maffejus haec inſolita adnotavit.

1. Na-

1. *Nato Veronae*, quum ſatis eſſet de more dicere Verona.

2. *Cinis adoperta*, quod exemplo non caret.

3. Titulus hoc loco ſumitur non pro epigraphe, cujus auctor fuit Cornelius demortui amicus, ſed pro ſtylobate ab heredibus poſito. Inſcriptionis auctorem alibi adjectum vid. *Grut. DCCIII. 2.*

4. Item arguit ex Herois appellatione, Verecundum aetate florida deceſſiſſe: a Graecis enim ita duntaxat juvenes in epitaphiis denominantur.

XIII.

Murator. Tom. I. p. 540. 2.

D M S

DECIMVS A PRIMA SECTATVS CASTRA IVVENTA
1. CIRCITOR MORIOR PRAEMIA PARCA SENEX
QVI NVLLI GRAVIS EXTITERAM DVM VITA MANEBAT
HAEC FVNCTO AETERNVM SIT MIHI TERRA LEVIS
DAT PATRVO OB MERITVM FERALEM FLAVIVS VRNAM
NINNIVS ET CINEREM SPARGIT ODORE GEMENS

1. Vegetius *III.* 8. haec habet: *idoneos & probatiſſimos tribuni eligunt, qui vigilias circumeant, quos Circitores appellabant: nunc militiae factus eſt gradus*. Vid. *ibid. Stewech.*

Huic monumento binae inſculptae aſciae hoc ſepulcrum indicant ſub Aſcia dedicatum. Cl. Canonicus Mazochius xxx. illuſtrium virorum commentationes recenſet, quarum praecipuas & palmarias accipe. Aymar. Rivallius, qui multos habuit ſectatores, opinatus eſt, hac dedicatione indicari ſepulcrum expolitum contra legem *Aſcia ne polito*: Pier. Valerius *duraturam memoriam*: Paul. Merula *operam ſumtuoſiorem*: Jacob. Graſſerus ſepulcrum *magnificum*. Jacob. Gutherius *tectorium* opus, vel *albarium*, vel *marmoratum*: Claud. Salmaſius opus *aſciatum* ideſt *perpolitum* interpretantur. Menetrerius rurale inſtrumentum in aſcia recognoſcens, ſignificari hinc autumat *conſecrationem Deae Segetiae*, vel *Seguſiae*, quae eadem ac terra Lugduni fuit, ubi plures, quam alibi, inventi lapides ſub aſcia dedicati. Chorerius ſepulcra

ſubdivalia & *ſine umbra*; Fabrettus *lateritia*, & *ope ſolius aſciae conſummata* exiſtimavit. Mabillonius ideo Diis Manibus duxit ſepulcra ſub aſcia dedicata, ut magis eſſent inviolata *ſub paena aſciae*, *ſeu capitis*. Muratorii, cujus, dum haec ſcribo, mors litterariae reipublicae funeſtiſſima enunciatur, ſententia fuit, aſciae conſpectu admoneri heredes, ut ſepulcrum a ſpinis ac tribulis expurgarent. Marchio Maffejus interpretatur *monumenta recens excitata*, *quae nemini antea patuerint*. Ad hanc opinionem, ceteris modeſte erudi-teque rejectis, Symmachus Mazochius in copioſiſſimo de aſcia commentario accedere viſus eſt: ſtatuit enim ſub aſcia dedicare non eſſe aliud, quam *uſum monumenti illato cadavere inchoare*, ſive *encaeniare*: dedicatum autem abunde probat idem prorſus eſſe, ac conſummatum. Vid. & *Scip. Maff. Obſervat. litt. Tom. IV. Art.* 4.

XIV.

Romae. *Grut. DXXXV.* 2.

D M
Q. CAETRONIVS
1. Q. F. PVB
PASSER
MIL. COH. IIII. PR. ANNIS . XVIII.
2. MISSVS . DVOBVS . GEMINIS
COS
SIBI ET
MASVRIAE M. F. MARCELLAE
VIXI . QVOD . VOLVI . SEMPER . BENE
PAVPER . HONESTE . FRAVDAVI
NVLLVM . QVOD . IVVAT . OSSA . MEA
3. IN . F. P. XIS. IN . AGR. P. XIIIS

1. *Pub.* ut in X. inſcr. Veronenſi Pobliliam tribum, vel Pobiliam ſignificat.

2. Anno, quo mortuus eſt Chriſtus, ut Tertull. *lib. contra Jud. cap.* 8. Lactant. *lib. IV. Divin. Inſtit. cap.* 10. Auguſt. *lib. XVIII. de Civit. Dei. cap.* 54. aliique.

3. In

3. In fronte, nempe in latitudine ped. XI. cum ſemiſſe; in agro, nempe in longitudine ped. XIII. pariter cum ſemiſſe. Paſſim in lapidibus haec obvia formula, de qua Horatius *Serm. II.* 8.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum.

X V.

In ripa Danubii prope Budam. *Grut. DLXII.* 3.
Sorani Batavi Monum.

1. ILLE . EGO . PANNONIIS . QVONDAM . NOTISSIMVS . ORIS
2. INTER . MILLE . VIROS . PRIMVS . FORTISQ. BATAVOS
3. HADRIANO . POTVI . QVI . IVDICE . VASTA . PROFVNDI
4. AEQVORA . DANVVII . CVNCTIS . TRANSNARE . SVB . ARMIS
EMISSVMQ. ARCV . DVM . PENDET . IN . AERE . TELVM
AC . REDIT . EX . ALIA . FIXI . FREGIQ. SAGITTA
QVEM . NEQ. ROMANVS . POTVIT . NEQ. BARBARVS . VNQVAM
NON . IACVLO . MILES . NON . ARCV . VINCERE . PARTHVS
HIC . SITVS . HIC . MEMORI . SAXO . MEA . FACTA . SACRAVI
VIDERIT . ANNE . ALIQVIS POST . ME . MEA . GESTA . SEQVATVR
5. EXEMPLO . MIHI . SVM . PRIMVS . QVI . TALIA . GESSI

1. Jacobus Homeyus in ſupplemento Patrum ait, ſe hos verſiculos inveniſſe in codice MS. tributos Julio Caeſari; quos ipſe conjicit adſcribendos Marbodo Epiſcopo Rodonenſi, qui floruit A. D. 1120. ſed criticorum judicio neutrius ſunt. Gruterus deſumit ex Gherardo Noviomago, & Verderii ſchedis.

2. Quam fideliter Romanis Batavi obedierint, teſtis eſt apud Hadrianum Junium inſcr. GENS . BATAVORVM . AMICI . ET . FRATRES . ROM. IMP.

3. Dio ſcribit, Hadrianum imp. adeo peritos & laborum patientes habuiſſe exercitus, ut olim equites haſtati Danubium armati tranſnataverint.

4. V. pro B. ſaepe in lapid. ut hoc loco *Danuvii*, fluminis non tam ſexaginta, quos in ſe recipit, fluviis celeberrimi, quam ponte illi impoſito magnitudinis admirandae, de quo extat Trajani nummus cum epigr. SALVS . REIPVB.

lectu digna ad hanc rem erudita eſt epiſtola Comitis Ferdinandi Marſilii.

5. PRIMVS? ſi de ſolo tranato flumine ſermo ſit, oſtentationis hunc, aut ignorantiae hiſtoria inſimulat, quae a Sertorio narrat arma & loricam retinente tranſnatum Rhodanum. *Ammian. Marcellin. XXIV.* 6. Inſuper permulta id genus exempla praebent Romani milites. At Batavi hujus fuit in natatu velocitas admiranda.

XVI.

Corcyrae. *Montfaucon. Diar. Ital. p.* 423.

Η ΜΑΛΑ ΔΗ ΠΕΡΙ ΣΕΙΟ ΛΥΓΡΟΜΠΟΤΜΟΝ ΕΚΛΥΕ ΠΑΤΡΑ
ΑΛΚΗ ΑΜΦΙΛΟΧΩΓΓΑΙΑ ΘΡΑΣΥΠΤΟΛΕΜΩΝ
ΟΥΝΕΚΕΝ ΙΛΛΥΡΙΟΙΣΙΝ ΥΦ ΙΠΠΟΜΑΧΟΙΣΙ ΔΑΜΑΣΘΗΣ
ΟΣΤΕΑ ΔΕΝΝΑ ΣΟΙ ΓΑΙ ΔΕΤΑΡΟΙ ΕΚΤΕΡΙΣΑΝ
ΚΑΙ ΣΟΥ ΑΠΟΦΘΙΜΕΝΟΥ ΠΙΣΤΟΙ ΦΙΛΟΙ ΟΥΚ ΕΛΑΘΟΝΤΟ
ΣΙΝΝΑ ΦΥΛΟΠΙΔΟΣ Δ' ΕΞΕΡΥΣΑΝ ΣΤΥΓΕΡΑΣ
ΑΜΦΙΛΟΧΟΙ ΘΡΑΣΕΩΝ ΕΥ ΕΙΔΟΤΕΣ ΕΡΓΟΝ ΑΚΟΝΤΩΝ
ΟΙ ΣΕ ΜΕΓ' ΑΧΝΥΜΕΝΟΙ ΣΥΓΓΕΝΗ ΕΚΤΕΡΙΣΑΝ

Ἡ μάλα δὴ περὶ Σεῖο λυγρόμποτμον ἔκλυε πάτρα
Ἄλκη ἀμφιλοχωγαῖα θρασυπτολέμων,
Οὕνεκεν ἰλλυρίοισιν ὕφ ἱππομάχοισι δαμάσθης
Ὄστεα δέννα Σοὶ γαῖ δετάροι ἐκτέρισαν
Καὶ σοῦ ἀποφθιμένου πίστοι φίλοι οὐκ ἐλάθοντο
Σίννα φυλόπιδος δ' ἐξέρυσαν στύγερας
Ἀμφίλοχοι θράσεων εὖ εἰδότες ἔργον ἀκόντων
Οἱ σὲ μεγ' ἀχνύμενοι σύγγενη ἐκτέρισαν.

Sic ego vertebam.

Te robur flevere ſuum ſibi vulnere ademtum
Indigno Amphiloci, nobile ad arma genus.
Scilicet auſa nefas in equeſtri ſaeva duello
Illyris: oſſa cado texit amica manus.
Mors nec enim fidos potuit latuiſſe ſodales,
Quorum ope, Sinna, truci tutus ab hoſte jaces.
Haec tibi cum lacrimis inſignes fortibus auſis
Amphilocos juſſit ſolvere juſta dolor.

Sin-

Sinnae cadaver amicorum opera ab hoſtium ludibrio vindicatum aperte docet, quod in diſſertatione diximus, quam ſtudioſe curarent veteres, ut impiger quicunque miles, praeſertim duces honorifice in terra patria ſepelirentur. Hujus curae exemplum illuſtre Plutarchus narrat in Cimonis vita. Athenienſes oraculo quodam moniti Theſei cineres in urbem transferri vehementiſſime cupiebant. Sciebant, illius oſſa apud Scyrios jacere, ſed ubi eſſent condita ignorabant, quod neque Scyrii fateri vellent, neque ſinerent inveſtigari. Cimon conditorium invenit, & impoſita navi praetoriae oſſa, & magnifice decorata in patriam reduxit annis prope quadringentis poſt Theſei mortem: quo facto ſummam gratiam apud populum comparavit.

XVII.

In Hiſpania in Morviedro. *Murator. Vol. II. p.* 773.

A. ACILIVS . L. F. FONTANVS
ERIPVIT NOBIS VNDEVIGESIMVS ANNVS
INGRESSVM IVVENEM MILITIAM CVPIDE
PARCAE FALLVNTVR FONTANVM QVAE RAPVERVNT
CVM SIT PERPETVA FAMA FVTVRA VIRI

XVIII.

Coroneae. *Diodor. Sicul. Biblioth. XIII. p.* 168.

ΟΙΔ᾿ ΑΠΟ ΠΕΝΤΗΚΟΝΤΑ ΝΕΩΝ ΘΑΝΑΤΟΝ ΠΡΟΦΥΓΟΝΤΕΣ
ΠΡΟΣ ΣΚΟΠΕΛΟΙΣΙΝ ΑΘΩ ΣΩΜΑΤΑ ΓΗΙ ΠΕΛΑΣΑΝ
ΔΩΔΕΚΑ ΤΟΙΣ Δ᾿ ΑΛΛΟΥΣ ΟΛΕΣΕΝ ΜΕΓΑ ΛΑΙΤΜΑ ΘΑΛΑΣΣΗΣ
ΝΗΑΣ ΤΕ ΣΤΥΓΕΡΟΙΣ ΠΝΕΥΜΑΣΙ ΚΡΗΣΑΜΕΝΑΣ

Οἱδ' ἀπὸ πεντήκοντα νεῶν θάνατον προφυγόντες,
Πρὸς σκοπέλοισιν ἄθω σώματα γῇ πέλασαν,
Δώδεκα. Τοὶς δ' ἄλλυς ὄλεσεν μέγα λαῖτμα θαλάσσης,
Νῆάς τε συγερῶς πνεύμασι κρησαμένας.

Laurent. Rhodoman.

E decies quinis fugere triremibus orcum
Ejecta ad ſcopulos corpora montis Atho
Ter quater. At reliquos fractis cum navibus hauſit
Horrificis graſſans flatibus ira maris.

Min-

Mindarus Lacedaemonius inter Seſtum & Abydum ab Athenienſibus navali caede affectus, fuga in Abydum elapſus naves reficit, & in Euboeam, ut illinc triremes deduceret, Epiclem mittit. Is quinquaginta collectis navibus pelago ſe committit, ſed ad montem Atho tempeſtate eſt obrutus, & tanta quidem, ut e claſſiariis XII. ſuperfuerint, quod inſcriptio indicat ad Coroneam poſita. *Diodor. ibid.*

X I X.

Termopylis.

Diodor. Sicul. XI. p. 26.

ΜΥΡΙΑΣΙΝ ΠΟΤΕ ΤΗΔΕ ΔΙΑΚΟΣΙΑΙΣ ΕΜΑΧΟΝΤΟ
ΕΚ ΠΕΛΟΠΟΝΝΗΣΟΝ ΧΙΛΙΑΔΕΣ ΤΕΤΟΡΕΣ

Μυριάσιν ποτὲ τῇδε διηκοσίαις ἐμάχοντο,
Ἐκ πελοποννήσου χιλιάδες τέτορες.

Laurent. Rhodoman.

Myriades quondam repulere hic marte ducentas
Mille quater Pelopis de regione viri.

Lacedaemoniis, qui ad Termopylas occubuere, communis hic titulus inſcriptus eſt: privatim vero additus hic, qui ſequitur.

X X.

Diodor. ibid.

Ὦ ΞΕΝΕ ΑΓΓΕΙΛΟΝ ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΙΣ ΟΤΙ ΤΗΔΕ
ΚΕΙΜΕΘΑ ΤΟΙΣ ΚΕΙΝΩΝ ΠΕΙΘΟΜΕΝΟΙ ΝΟΜΙΜΟΙΣ

Ὦ ξένε ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
Κείμεθα, τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

Laurent. Rhodom.

Dic, hoſpes, Spartae, quod noſtra hic oſſa quieſcunt,
Dum patriae leges fortiter exequimur.

Hi videlicet ii Lacedaemones ſunt, quos Leonidas dicitur ſic ad praelium hortatus eſſe: *pergite animo forti Lacedaemonii, hodie apud inferos fortaſſe coenabimus. Cic. l. Tuſc.* Ter hoſtibus repulſis, tandem multitudini cedere debuerunt, quum cadaver Leonidae ſubtraxiſſent, quod poſtea Xerſes abſciſſo capite juſſit in crucem tolli. Herodotus aetate ſua leonem lapi-

lapideum ſuper ejus monumentum ſtetiſſe ait. *Herod. VII. Juſtin. II. Cic. II. Fin.*

XXI.

Corinthiorum ſepulcro. *Plutarch. de Herod. malign. p.* 870.

ΩΞΕΝΕ ΕΥΥΔΡΟΝ ΠΟΤ' ΕΝΑΙΜΕΝ ΑΣΤΥ ΚΟΡΙΝΘΟΥ
ΝΥΝ ΔΕ ΑΝΑΜΑΤΟΣ ΝΑΣΟΣ ΕΧΕΙ ΣΑΛΑΜΙΣ
ΕΝΘΑΔΕ ΦΟΙΝΙΣΣΑΣ ΝΗΑΣ ΚΑΙ ΠΕΡΣΑΣ ΕΛΟΝΤΕΣ
ΚΑΙ ΜΗΔΟΙΣ ΙΕΡΑΝ ΕΛΛΑΔΑ ΡΥΟΜΕΘΑ.

Ὦ ξένε εὔυδρόν ποτ' ἐναίομες ἄστυ Κορίνθου,
Νῦν δὲ ἀνάματος Νᾶσος ἔχει, Σαλαμίς
Ἐνθάδε Φοινίσσας νῆας καὶ Πέρσας ἑλόντες
Καὶ Μήδοις, ἱερὰν Ἑλλάδα ῥυόμεθα.

Xylander.

Hoſpes, aquoſa olim nobis eſt culta Corinthus:
Inſula nunc condit pauper aquae Salamin.
Hic Poenum naves, Perſas, Medoſque prementes
Tutati bene te, Graecia Diva, ſumus.

Ne tibi Herodotus imponat Corinthios injuria allatrans, hoc ſepulcrum vide, quod prope Salaminae urbem Corinthiis honoris gratia, Athenienſium decreto publico, conceſſum eſt: itemque honorarium in Iſthmo ita inſcriptum.

XXII.

Plutarch. ibid.

ΑΚΜΑΣ ΕΣΤΑΚΥΑΝ ΕΠΙ ΞΥΡΟΥ ΕΛΛΑΔΑ ΠΑΣΑΝ
ΤΑΙΣ ΑΥΤΩΝ ΨΥΧΑΙΣ ΚΕΙΜΕΘΑ ΡΥΣΑΜΕΝΟΙ

Ἀκμᾶς ἑστακυῖαν ἐπὶ ξυροῦ Ἑλλάδα πᾶσαν
Ταῖς αὐτῶν ψυχαῖς κείμεθα ῥυσάμενοι.

Nos ſitam in extremo diſcriminis Hellada cunctam
Tutati noſtris condimur hic animis.

Corinthios ab omni ſuſpicione ſatis Simonides, ubi ita cecinit, abunde vindicavit.

Μίσσοι δ' οἱ γ' ἔφυραι πολυπίδακα ναιετάοντες,
Παντοίης ἀρετῆς ἴδριες ἐν πολέμῳ,
Οἵτε πόλιν Γλαύκοιο Κορίνθιον ἄσυ νέμοντες,
Οἳ . . . . . κάλλιστον μάρτυν ἔθεντο πόνων

Χρυ-

Χρυσοῦ τιμᾶντος ἐν αἰθέρι· καὶ σφὶν ἀέξει
Αὐτῶν τ' εὐφρᾶναν κληδόνα καὶ πατέρων.

In medioque Ephyre quos miſit dives aquarum
Fontibus, & belli munera docta manus:
Quique urbem Glauci pulcram tenuere Corinthum,
Indicium antlati grande laboris habent
Aurum, quod miramur in aethere: ſed decus ipſis
Et fama augetur nominis & generis.

X X I I I.

Plutarch. in Cimone p. 482.

ΗΝ ΑΡΑ ΚΑΚΕΙΝΟΙ ΤΑΛΑΚΑΡΔΙΟΙ ΟΙ ΠΟΤΕ ΜΗΔΩΝ
ΓΑΙΣΙΝ ΕΠ' ΗΙΟΝΙ ΣΤΡΥΜΟΝΟΣ ΑΜΦΙ ΡΟΑΣ
ΛΙΜΟΝ Τ' ΑΙΘΩΝΑ ΚΡΥΕΡΟΝ Τ' ΕΠΑΓΟΝΤΕΣ ΑΡΗΑ
ΓΡΩΤΟΙ ΔΥΣΜΕΝΕΩΝ ΕΥΡΟΝ ΑΜΗΧΑΝΙΤΩ

Ἦν ἄρα κἀκεῖνοι ταλακάρδιοι, οἵ ποτε Μήδων
Γαισὶν, ἐπ' Ηϊόνι Στρυμόνος ἀμφὶ ῥοὰς,
Λιμὸν τ' αἴθωνα κρυερόν τ' ἐπάγοντες Ἄρηα
Πρῶτοι δυσμενέων εὗρον ἀμηχανίην.

Xylander.

Nempe fuere viri magni quoque pectoris illi,
Qui quondam Medos moenibus Ejonis
Afflixere fame, clauſos ad Strymonis undam,
Qui primi martis damna tulere gravis.

X X I V.

Ibid.

ΗΓΕΜΟΝΕΣΣΙ ΔΕ ΜΙΣΘΟΝ ΑΘΗΝΑΙΟΙ ΤΑΔ' ΕΔΩΚΑΝ
ΜΑΛΛΟΝ ΤΙΣ ΤΑΔ' ΙΔΩΝ ΚΑΙ ΕΠΠΕΣΣΟΜΕΝΩΝ ΕΘΕΛΗΣΕΙ
ΑΝΤ' ΕΥΕΡΓΕΣΙΗΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΩΝ ΑΓΑΘΩΝ
ΑΜΦΙ ΠΕΡΙ ΞΥΝΟΙΣ ΠΡΑΓΜΑΣΙ ΔΗΡΙΝ ΕΚΕΙΝ

Ἡγεμόνεσσι δὲ μισθὸν Ἀθηναῖοι τάδ' ἔδωκαν,
Μᾶλλον τις τάδ' ἰδὼν, καὶ ἐπεσσομένων, ἐθελήσει
Ἀντ' εὐεργεσίης καὶ μεγάλων ἀγαθῶν.
Ἀμφὶ περὶ ξυνοῖς πράγμασι δῆριν ἔχειν.

Haec vero ducibus retulerunt praemia grati
Cecropidae, factis quae meruere bonis.

Quo

Quo volet exemplo juvenis jam fortior iſto
Bella ſubire magis, pro patriaque mori.

X X V.

Ibid.

ΕΚ ΠΟΤΕ ΤΗΣ ΔΕ ΠΟΛΗΟΣ ΑΜ' ΑΤΡΕΙΔΗΣΙ ΜΕΝΕΣΘΕΥΣ
ΗΓΕΙΤΟ ΖΑΘΕΟΝ ΤΡΩΙΚΟΝ ΕΣ ΠΕΔΙΟΝ
ΟΝ ΠΟΘ' ΟΜΗΡΟΣ ΕΦΗ ΔΑΝΑΩΝ ΠΥΚΑ ΘΩΡΗΚ ΤΑΩΝ
ΚΟΣΜΗΤΗΡΑ ΜΑΧΕΣ ΕΞΟΧΟΝ ΟΝΤΑ ΜΟΛΕΙΝ
ΟΥΤΩΣ ΟΥΔΕΝ ΑΕΙΚΕΣ ΑΘΗΝΑΙΟΙΣΙ ΚΑΛΕΙΣΘΑΙ
ΚΟΣΜΗΤΑΙΣ ΠΟΛΕΜΟΝ Τ' ΑΜΦΙ ΚΑΙ ΗΝΟΡΕΗΣ

Ἐκ ποτὲ τῆς δὲ πόληος, ἅμ' Ἀτρείδησι Μενεσθεὺς
Ἡγεῖτο ζάθεον Τρωϊκὸν ἐς πεδίον.
Ὅν ποθ' Ὅμηρος ἔφη Δαναῶν πύκα θώρηκ τάων
Κοσμητῆρα μάχες ἔξοχον ὄντα μολεῖν.
Οὕτως ὐδὲν ἀεικὲς Ἀθηναίοισι καλεῖσθαι
Κοσμηταῖς πολέμου τ' ἀμφὶ καὶ ἠνορέης.

Agmina quum quondam Mneſtheus duxiſſet Atridis
Ex hac urbe virum lata per arva Phrygum,
Inceſſiſſe decus primus teſtatur Homerus
Inter Graecorum nomina clara ducum.
Sic etiam meritis primi dicentur ubique
Virtute inſigni marteque Cecropidae.

Cimon Thracibus ad amnem Strymonem, unde ad Perſas commeatus ferebatur, obſeſſis devictiſque, ad eas difficultates redegit Perſas Ejone incluſos, ut regius dux rebus deploratis oppidum ſuccenderit, ſeque cum rebus ſuis ac neceſſariis concremaverit. Tantam hinc Cimon ad gloriam venit, ut per populum ei licuerit Hermas cum tribus hiſce titulis publice collocare, & quanquam in iis nomen Cimonis omnino deſit, ejus tamen honor ſummus eſt habitus, cui ſimilem neque Themiſtocli, neque Miltiadi datum eſſe Plutarchus notat; imo huic coronam oleaginam poſtulanti Sochares Decelenſem publica in concione dixiſſe conſtat, ubi unus certaveris, Miltiades, & barbaros unus viceris, tunc etiam unus honorem pete. De hac Athenienſium ſeverita-

te vide *P. Eduardum Corſinum in Faſt. Attic.* in quo quidem opere, ad laudem mei Ordinis immortalem, tu plane ignoras, majoremne Graecae linguae peritiam, an eruditionem, ingenium, elegantiam, criticen admirere. Cauſam porro, cur fuerit Cimon ſingulariter honoratus, hanc a Plutarcho habe, quod Athenienſes ceteris ducibus de ſalute cum hoſtibus decertaſſent, hoc vero auſpice novas provincias adepti eſſent: addo etiam, ſi diis placet, quod Theſei cineres, ut ſupra dixi, in patriam retuliſſet juſſu oraculi jampridem Athenis editi, non illi abſimilis, cujus vi Thebanos fertur Hectoris oſſa Thebas ab Ilio deportaſſe. *Pauſan. in Boeotic. ſeu lib. IX.*

Θηβαῖοι Κάδμοιο πόλιν καταναιετάοντες,
Αἴκ' ἐθέλητε πάτραν οἰκεῖν σὺν ἀμύμονι πλούτῳ,
Ἕκτορος ὀστέα Πριαμίδου κομίσαντες ἐς οἴκους
Ἐξ Ἀσίης, Διὸς ἐννεσίῃς ἥρωα σέβεσθε.

Excelſa incolitis Cadmi qui moenia Thebas,
Si patriam optatis nunquam non eſſe beatam,
Ex Aſia transferte domum magni Hectoris oſſa:
Hic Jovis imperio heroem ſua juſta manebunt.

X X V I.

Narbone. *Ferret. Muſ. Lapidar. pag.* 121.

VT . BELLI . SONVERE . TVBAE . VIOLENTA . PEREMIT
HIPPOLYTE . TEVTHRANTA . LYCE . CLONVS . OEBALON . ALCE
OEBALON ENSE . CLONON . IACVLO . TEVTHRANTA . SAGITTA
OEBALVS . IBAT . EQVO . CVRSV . CLONVS . AT PEDE . TEVTHRAS
PLVS . PVERO . TEVTHRAS . PVER . OEBALVS . AT . CLONVS . HEROS
FIGITVR . ORA . CLONVS . LATVS . OEBALVS . ILIA . TEVTHRAS
EPICLI . TEVTHRAS . DERACLI . CLONVS . OEBALVS . IDAE
ARGOLICVS . TEVTHRAS . MOESVS . CLONVS . OEBALVS . ARCAS

Haec carmina Auſonius tribuit Hadriano imperatori: Ferrettius extitiſſe ait in codice Virgiliano, & quidem e vetuſto marmore exſcripta ab Antonio Molinio. Fides penes auctores eſto. Inter ſpuria ſi colloces, per me licet.

SY-

SYNOPSIS.

L*itteratorum funus in Graecia perhonorifi-
cum apud ſuos.* II. *Id decoris minus in
Italia frequens, quam in Graecia fuit.
Patavii honores habiti T. Livio hiſtorico-
rum principi memorantur.* III. *Graecorum
funus ſaepe ſplendidum quoque apud ex-
teros non modo populos, ſed etiam reges.* IV. *Latino-
rum doctrina illuſtrium extra Italiam cineres honorifice
conditi. Rejicitur Lignaminaei opinio de Ciceronis ſe-
pulcro.* V. *Diverſi generis parerga, quae demortui lit-
teras indicarent, in conditoriis annotantur tum Graeco-
rum, tum Latinorum. Inſculptus muſarum chorus non
certus in ſepulcris poeſeos typus. Ab hujuſmodi anagly-
phis minus recte argumentatur Flaminius Vacca.* VI. *Do-
ctorum imagines quanti olim habitae? quam late Home-
ri typus uſurpatus fuerit?* VII. *Paſſim apud veteres numiſ-
matum characteres erant ſapientum vultus. Cur hic mos
Athenis inuſitatus?* VIII. *Iiſdem ab imaginibus pretium
acceſſit gemmis; quarum & collectio, & explicatio ma-
gnis viris laudi tribuitur.* IX. *Latinorum vultus in gem-
mis celebres: Virgilius in ſarda, Cicero in nummis con-
ſideratur.* X. *Aeque Graecis, ac Latinis praeceptorum
effigies habere in annulis ſolemne fuit.* XI. *Ab hoc inſti-
tuto quomodo, & quandiu veteres Chriſtiani minime
alieni fuerint?* XII. *Sive in gemmis, ſive in ſtatuis non
ſemel hae imagines notis alieniſſimis proditae, & pro
aliis aliae vulgatae ſunt.* XIII. *Ex omni ſtatuarum ge-
nere uſitatiſſimi Hermae, ſaepe etiam bicipites; cur?* Epi-

curi , & *Metrodori Herma biceps laudatur* . XIV. *De multiplici ſtatuarum loco* , *ac decreto publico apud Athenienſes* . XV. *Romae in palatio* , *in aede Camoenarum* , *in comitio* , *in foris poſitae eruditorum ſtatuae* , *quas ſenatus a principe* , *interdum princeps a ſenatu impetrabat* . *In provinciis ſine imperatorum juſſu publice nemini hic honor datus* . XVI. *Cujus inventum in Urbe fuerit* , *in bibliothecis doctorum imagines dedicare*? *An Alexandriae* , & *Pergami haec decora in uſu fuerint*? *quomodo apud Latinos in bibliothecis collocata*? XVII. *Ab initio in bibliothecis publicis raro vivis haec data laus* , *deinceps ſaepe* , *quam habuere ipſi etiam Caeſares acceptiſſimam* . *Apud privatos facilis ad id honoris patebat aditus* . *Caligulae conſilium improbatur* . XVIII. *Eminentiſſimi Cardinalis Philippi Mariae Monti laudata pinacotheca* . XIX. *Magnis in Graecia philoſophis* , *ac poetis olim ſacella erecta* , *decretique divini honores* . XX. *Eadem haec ſuperſtitio apud Latinos tenuiſſe oſtenditur* .

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

De Gloria Litteratorum Poſtuma.

RODVLPHINO VENVTO
ANTIQVITATVM ROMANARVM PRAESIDI

RARUM hoc genus eſſe felicitatis, complures pariter in una domo litterarum gloria commendari, multo minus eodem & dicendi genere & ſcribendi, teſtis temporum hiſtoria docet. Quod vero ſolet tam raro exiſtere, ut multum habeat admirationis, ſiquando contigit, nobiliſſimae id genti tuae, Rodulphine optime, datum eſt, eadem ut familia tres ſimul fratres uno tempore nacta ſit, qui jucundiſſimo antiquitatis ſtudio incredibiliter delectentur, nec ſibi duntaxat eruditione excellant, ſed cum omnium utilitate quicquid doctrina poſſunt, & poſſe plurimum opera in lucem edita palam faciunt, una communicent. Singulorum enim egregie ſcripta aeque habentur jucunda doctis, ac inſcientibus, ſi velint ſapere, opportuna. Marchionis Venuti, ceteros ut praeteream ingenii foetus, feliciſſima de Herculano elucubratio, rerum, quae continet explicatque, vel ſpectes ordinem, vel gravitatem, ea profecto eſt, quae merito variis jam linguis tradita, & anxie conquiſita eruditorum in ore, in oculis habeatur. Philippus autem, vir ſumma praeditus ingenii gloria, verſus Gallice exaratos, ut

Ita.

Digitized by Google

Italice non dicam proprie, quanquam & ornamentum hoc eſt interpretis haud vulgare, ſed ut ornate, ut ſcite verterit; in voluminibus academiae Cortonenſis quo judicio, qua copia de rebus diſſerat & reconditis & involutis, neque is ego ſum, qui id poſſim dicendo perſequi, nec, ſi poſſim, a me oportet commemorari, quum praemii magnitudine, qua regalis eum academia Pariſiis donatum voluit, jam ſatis ubique gentium declaraverit, quae ſit ejuſdem virtus, quanta doctrinae laus. Haec, Rodulphine, fraterni eſt nominis commendatio, quae vero tui? ea nimirum, de qua me fateor dubitare, quid primum perſequar, quid poſtremum. Antiquitatis Romanae tua ſcilicet Collectanea ſunt, de quibus a me plura dici non poſſunt, quam quae doctorum conſenſu unanimi praedicantur. In numiſmatibus Vaticanis eruditionem, quae lucet, tuam ſi Romae tantum, aut in Italia probatam dixero, non ubicunque habentur in pretio litterae, amens ſim. Jam Roma vetus, ac recens multorum e ſcriniis in lucem venerat, ſic vero e tuis, ut nunquam antea: per te Scotti itinerarium & auctum legitur, emendatumque: per te nuper agri Romani edita deſcriptio eſt, quam ſi P. Eſchinardo V. Cl. ſic exornatam videre liceat, vix ſane putet, id operis fuiſſe ſui: multi praeterea lapides, ac cimelia doctiſſime abs te explicata nihil jam faceſſunt obſcuritatis. Nec muſea porro, quae celebrantur duo, Romanum ſcilicet, & Cortonenſe, non jure optimo cum laude tua conjuncta ſunt. Alterum quippe, pereximium Cauſei opus, multum ſentit ſibi a te additum & ſplendoris & dignitatis; alterum tametſi Gorio plurimum, & Valeſio debet, ſummo ingenio, ſumma doctrina viris, non minus tamen acceptum refert additamentis notiſque tuis.

Res

Res omnium praeclariſſima ſi eſt docte ſcribere, & ſcribendo prodeſſe, ſi poſſis, omnibus, ſin minus, patriae ſaltem laudibus deſervire, nae tute es magnus in primis vir, qui permulta omnibus jucundiſſima egregie ſcripſeris, patriae autem gloriae ſic ſtrenue inſervias, ut nemo magis. Nobiliſſimae enim urbis, quae te genuit atque aluit, antiquitatem eruditiſſime comprobatam abs te fuiſſe illuſtratamque, magnum hoc plane fuit; ſed illud, mea quidem ſententia, eſt multo majus, quod ejuſdem muſeum, ut modo dixi, in lucem dederis, & a Cortonenſibus academicis quotquot habitae diſſertationes ſunt, quae ſparſae huc illuc temere ferebantur, vel auctorum latebant in adverſariis, auro irreperto pares, tua jam diligentia & in unum collectae, & juris publici factae ſint. Florenti adhuc aetate quum iſta feceris, minus interdum illud mirari ſoleo, quod jure eſt omnibus admirandum. Mecum de ſtudiis agentem tuis te audivi id dicere, quod vix incredibile videatur, in hac urbe verſantem ita operam dediſſe litteris, ut Tuſculanas delicias, de quibus a Cicerone hoc ſcriptum eſt, ſibimetipſi tum placere denique, quum illo venerat, conſueviſſe, nunquam adieris, viginti praeterea annorum ſpatio extra portam Flaminiam extuleris ne pedem quidem: tanta eſt optimarum jucunditas diſciplinarum, tantaque vis, quum ſemel generoſas animas occupavit. Dicet hic vero fortaſſe quiſpiam, quum maxima, quicum agis, ſit viri virtus, cur ejus nomine inſignita haec prodit diſſertatio tua? Equidem, ut, quod ſentio, ingenue fatear, ſi mihi haud eſſet, quae in ore eſt omnium, perſpecta & cognita doctrina tua, nunquam id auderem, quod facio, ne cogitarem quidem. Quoniam vero te penitus recognoſco, ideo

ſum

ſum omni prorſus, ſiquem habere debui, timore vacuus. Etenim diuturno didicimus experimento, ſapientiae laudem, quum ſolida, quum vera eſt, humanitatis pleniſſimam eſſe rem. Neque enim alibi paratiorem, quam ubi inſcitia dominatur, ſtomachus habet locum. Haec igitur diſſertatio, ſi in lucem venerit auſpicio tuo, non eſt, cur verear, ne mihi id quiſpiam audaciae vertat; illud vereor, ne vitio tribuat, quod, quum de tui ſimilibus tacere praeſtet, quam pauca dicere, vix ego quicquam de tuis laudibus delibaverim. Is vero hoc ſecum animadvertat velim, decere maxime, quo verior eſt, eo breviorem eſſe commendationem. Nulla enim, quamlibet copioſa, eſt tanti oratio, quanti veritas.

I. Virorum ingenio, ac bonis artibus excellentium, qui, magna praeſertim ſapientium penuria, eruditionis & doctrinae ſuae perpetuum omnibus deſiderium reliquerunt, honores poſtumi, te Lector benevole, ad ſe invitant, in quibus recenſendis eundem, quem in toto hoc opuſculo, tenebo ordinem, daboque operam, ſeu potius ludam, primo ut cineres, deinde imagines, quam honorifice apud veteres litterarum amatores habitae ſint, intelligi aliqua ex parte facile poſſit. Atque ut a funere exordiar, dolendum eſt quidem vehementer, non multos olim doctrinae laude commemorabiles extitiſſe, quibus fuerit luctu civitatis publico parentatum: gloria vero eorum haberi & eſſe maxima debet, quorum cineribus non in patria ſolum, ſed in alieniſſimis etiam regionibus juſta ſoluta ſunt. Quibus patria in hoc officii genere ſe gratam praebuit, eorum ordinem ducunt Bias, Cleobolus, Pittacus; alterum ſcilicet Prienei, Lindii alterum, tertium Mitylenaei ſepulcri honore donarunt, laudeſque tumulo inſcripſe-

pſerunt, quas Laertius interire non ſivit. Pomponius Mela ſcribit, Aratum Aſtronomicum poetam, cujus phoenomena tranſtulit latinis verſibus Cicero, & Germanicus Caeſar, juxta Solos, ſive Pompejopolin Ciliciae, ejus patriam, ſepultum in parvo tumulo, ideo memorando, quod, ignotum quam ob cauſam, jacta ad id ſaxa deſilirent. Saltu deſcenderent? rem vere miram! ſi Pomponius vidit. Athenienſes, qui Tyrthaeum, atque Aſtydamantem aerea jam imagine honoratum, mentis impotes judicarunt, de Socrate autem audierunt ab Euripide in Palamede:

Occidiſtis occidiſtis ſumme ſapientem,
Innocuamque philomelam, muſam,

Athenienſes, inquam, tum Zenoni ſepulcrum in Ceramico, ubi tantum condebantur viri pro patria in bello extincti, auctoritate ſumtuque publico decreverunt [a]; tum per legatos Euripidis oſſa ab Archelao [b] Macedone poſtularunt. Nec ſane mirum: is enim & Athenarum decus, & theatri veluti luſcinia quaedam eſt appellatus, a quo ipſae etiam recrearentur Muſae: cujus propterea interitum Sophocles ita luxit, ut ipſe major natu amictus pulla veſte, mimos ſine coronis in ſcenam venire juſſerit: adeo ejus gloriae [c] non invidit. Sophocli Athenis habitus poſt mortem honor ex ejus ſepulcro, de quo inferius, facilis eſt conjectura. Iidem Athenienſes Lycurgum oratorem, ejuſque ex conſanguineis nonnullos ſepulcris publicis decorarunt, quae uſque ad Plutarchi [d] aetatem pervenerunt, coram deprecatrice Minerva in hortis Melanthii philoſophi. Platonis cadaver terrae mandatum in academia tanto quidem honoris cultu, ut funus [e] epitaphiis plurimis lu-

a *Laert. VIII.*
b *Idem in Socrat. vit.*
c *Vid. Gronov. Theſ. Antiq. Tom. II.*
d *Plutarch. de X. Orat.*
e *Carol. Patin de Num. Aug. & Platon.*

luxuriaret. Athenis in philoſophorum gymnaſiis ſepeliri magnus erat honor, ſummus in academia: iccirco Serv. Sulpicio, ut Marcellum, in quo vellet, gymnaſio conderet, quum permiſſum fuiſſet, ipſe academiam delegit, tanquam nobiliſſimum [a] orbis terrarum locum. Theophraſtus, quanquam Ereſi natus, quia tamen Athenis & probe vixit, & ſingulariter floruit, ab Athenienſibus, velut civis, ea frequentia elatus eſt, quae diſcipulorum numero reſponderet; hunc autem numerum fuiſſe accepimus [b] duorum millium, parem ſcilicet divino nomini, quod a ſuavitate dicendi Attica [c] nactus eſt. Nec Menandrum, Theophraſti auditorem, funeris & ſepulcri magnificentia caruiſſe reor, quem fruſtra reges Aegypti, & Macedoniae [d] claſſe, legatione, praemiis invitarunt, non quidem, uti exiſtimat Harduinus [e], Philadelphus, & Archelaus: ſiquidem regnante Ptolomaeo Sotere natantem in Piraeo ſubmerſum hiſtoria narrat, & inibi tumulatum. At jam ſatis de Athenis multa. Civitatem quippe litterarum parentem optimam extrema officia ſapientibus perſolviſſe ceteri honores docent, quibus breviter mox patebit eorum memoriam celebraſſe. Antequam e Graecia diſcedam, Archimedem adire libet. Non a patria quidem, quacum habuit commune fatum, in patria vero ſatis magnifice ſepultus eſt Marcelli juſſu, qui [f] propinquis etiam inquiſitis praeſidio eſſe voluit nomen ac memoriam tanti viri, quemadmodum Pindari fama & ſuis penatibus, Alexandro Thebas evertente, & Thebis ipſis, Lacedaemoniis in reliquam Boeotiam ſaevientibus, ſaluti fuit.

II. In

a *Cic. Epiſt. Fam. IV. 12.*

b *Laert. & Iſ. Caſaubon. in Prolegomen. Charact. Ethic.*

c *Cic. in Orat, 19.*

d *Plin. H. N. VII. 30.*

e *In Plin. loc. cit.*

f *Liv. Dec. III. V. 22.*

II. In Italia ſepulcri honore prae ceteris claruerunt artis poeticae ipſa lumina, Ennius, & Virgilius. Alterum etſi ex janiculo in patriam translatum nonnulli putent [a], tamen in monumento Scipionum fuiſſe conditum affirmare videntur Cicero [b], & Ovidius, non minus ejus de ſtatua, quam de cineribus illic ſitis uterque fortaſſe loquens, hic potiſſimum ubi ait: [c]

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni, Scipio magne, tibi:

alterius monumentum Neapoli Silius Italicus [d] veluti templum frequenter adire conſuevit. Hadrianus imperator Vocomium poetam [e] amicum ſuum ſingulari hoc honore proſequutus eſt, quod ejus tumulum ſuis ipſe verſibus exornavit. M. Aurelium praeceptoribus ſuis [f] L. Junio Ruſtico, Claudio Severo, Cinnae Catullo Stoicis, & Sexto Cherronenſi, Plutarchi nepoti pompam funeris ſuae in eos benevolentiae haud imparem decreviſſe, hinc conjicio, quod eorum ſepulcra non tantum hoſtiis, & floribus, ſed etiam aditu ſaepenumero honorabat. Quod ſi ſplendorem teſtantia in doctorum funeribus multa non extant vetera monumenta, haec ſane penuria non tempori potius, quam eorum ipſorum modeſtiae tribuenda eſt. Ac ne Graecorum teſtimoniis utar, inter Latinos id ſane probant exemplo ſuo Pomponius [g] Atticus, Annaeus [h] Seneca, & [i] Frontinus. Sed fuerint olim litteratorum cineres honorati, magnificeque conditi: nullum quidem ſpectaculum in hoc genere praeſtabilius tota vidit antiquitas, quam quod Pa-

a *Crinit. de Poet. Lat. I.*
b *Pro Arch. vid. Marlian. in Romae Topograph. V. 27.*
c *De Arte III.*
d *Plin. Epiſt. III. 7.*
e *Apul. Apol. I.*
f *Capitol. in vit.*
g *Corn. Nep in vit.*
h *Tacit. Ann. IV.*
i *Dio V.*

tavii, ſacrario muſarum maxime venerando, ſuperior aetas. Anno ſalutis MCDXIII. ad S. Juſtinae reperta eſt plumbea capſula, & ex T. Livii inſcriptione tum ſtatim habita & credita ubique fuit urna ſepulcralis Livii hiſtorici: itaque nulla interpoſita mora, conſenſu civitatis unanimi, & frequentia populi inuſitata, viris nobiliſſimis oneri ſuccedentibus & ſuccollantibus, inſigni ſpectabilique pompa, in foro judiciorum ad occidentalem partem cum inſcriptione, & effigie praeclariſſimi auctoris impoſita eſt ad cultum & memoriam ſempiternam. Quidam praeterea optimates privata pecunia nobiliſſimum monumentum Livio pollicebantur, ſi prope ſuas aedes tranſferre cineres licuiſſet: duo in primis hac de re acerrime contenderunt, Ludovicus Buzzacarinus, & Henricus Scrovinius: honore autem non impetrato, Scrovinius eques Cl. unus ex iis eſſe voluit, qui pretioſum, ut erat opinio, pondus in aulam praetorii ampliſſimam tranſportarunt. Theodorus [a] Zuingerus, Laurentius [b] Pignorius, Sertorius [c] Urſatus, Jacobus [d] Cavaccia, & alii rei magnificentiam praeclare deſcribunt, accurate & diligenter. Quanquam vero Marquardi Gudii doctrina deinde fecerit, ne quis in hac re hircum mulgeret, mulgentibuſve cribrum ſupponeret, is tamen error hoc boni habuit, quod & civi optimo urbs clariſſima, & hiſtoricorum principi viri nobilitate doctrinaque principes quaedam veluti juſta magnificentiſſime perſolverunt. Ceterum, ne diutius immorer extra rem, Graecorum, Latinorumque communem adnoto conſuetudinem. Siquis doctrina clarus interiret, ejus quidem ſectatores, ut ſapientes

a *Method. Apod. III.*
b *De Origin. XVII.*
c *Epiſt. VIII.*
d *Hiſt. S. Juſtinae Patav.*

tes decet, a femineis ululatibus abhorrebant, ſed tam erant in demortui laudibus, quam qui maxime, occupati. Hoc de Euripide apud Graecos, hoc de Sophocle paulo ante monui, atque hoc idem apud Latinos prae ceteris oſtendit Cicero [a] in morte Hortenſii oratoris, cujus laudes ita proſequutus eſt, ut vir graviſſimus aetatis noſtrae, Cardinalis Turnonii, cujus in aeternitate memoria eſt, ad Sinarum imperatorem in celeberrima legatione ſocius Abbas Corderius mihi haud ſemel dixerit, eam laudationem ſeſe perſaepe, vix nunquam ſine lacrimis percurriſſe. Idem hoc inſtitutum C. ille Cilnius Mecoenatis docet, ita dolorem ſuum teſtatus in morte Horatii Flacci:

Lugens te, mea vita, nec ſmaragdos,
Beryllos neque, Flacce, nec nitentes
Semper candida quaero margaritas,
Nec quos Thynica lima perpolivit
Annellos, nec jaſpios lapillos.

III. Inter eos, quorum funus alienigenae celebrarunt, Homerus principem habet locum, cujus ſepulcro Martianus Capella [b] dixit Naxon inſulam venerandam. Sed minus fortaſſe recte. Nam Herodotus [c] Homerum ſcribit e Samo ad Jon delatum, illic non aegritudine quidem, quod ridiculo nautarum aenigmati diſſolvendo impar fuiſſet, ſed gravi morbo enectum ab amicis in litore ſepultum eſſe, atque Jetas multo poſt tempore, quando ejus carmina jam erant omnibus admirationi, ſepulcrum verſibus exornaſſe. Ac ſicut ejus de natali ſolo non levis inter Graecos diſſenſio fuit, ita & de ſepulcro contentio interceſſit. Nam & Parentii civitas iu Iſtria hanc ſibi laudem

a *Initio in Bruto.*
b *Lib. VI.*
c *In libell. de vit. Homeri.*

dem vindicavit, ut conjecturam praebet inſcriptio quaedam, quam jure Muratorius [a] confictam ab aliquo exiſtimat illius civitatis aſſentatore. Herodoti opinionem ſequutus eſt M. Varro in libro de imaginibus [b] primo, ubi ſummi poetae imagini epigramma appoſuit, quod extat in ſeq. Claſſe. Poſt Homerum primas Chiloni defero, cui Piſae vita functo in complexu victoris filii, quotquot ad ludos Olympicos convenerant juſta ſolvere contenderunt: ſecundas Anaxagorae tribuendas puto, quem Lampſaci morti proximum principibus interrogantibus, nunquid fieri mandaret? petiiſſe ferunt, ut pueris quotannis, quo die defeciſſet, ludere [c] permitteretur; quod Lampſaceni fieri decreverunt, cineribuſque magno cum honore conditis impenſa publica, ejus quoque tumulum elogio illuſtrarunt. Ad Euripidis mortem cohoneſtandam aeque civium, atque alienigenarum benevolentiam concurriſſe fertur. Athenienſes enim, ut antea dixi, illius reliquias per legatos ab Archelao Macedone petierunt: hic vero eorum precibus repudiatis, tonſo crine publice poetam luxit, & ejus cineres Pellam [d] transferri juſſit, ac magnifice ſepeliri. Si fuit Euripidis haec magna laus, ſui veluti deſignatorem funeris habuiſſe regem, profecto neſcio, an Alcaeus multo glorioſior habendus ſit, cujus mortem non paſſo, non ſordidato, ſed uſque ad cutem attonſo crine luxiſſe Graeciam univerſam auctor eſt Antipater: [e]

Attonſo implexo vertice ad uſque cutim.

Demonactem natione Cyprium Athenienſes publice [f] ſepelie-

a *Theſaur. Ant. Tom. II. Cl. X. pag. DCCVII. 3.*
b *Gell. Noct. Att. III. 11.*
c *Laert. in vit*
d *Alex. Neap. Gen. Diar. III. 7. vid. Gronov. Theſ. Ant. Vol. II. ad ejus imag.*
e *Kirchmann. de Fun. II. 13.*
f *Lucian. in Demonact.*

pelierunt tam honorifica quidem pompa, ut nemo illius funus non ſit comitatus, ac potiſſimum ex philoſophis, quorum humeris cadaver ad ſepulcrum elatum eſt. Hactenus enumeratis aut philoſophis, aut poetis, in patria, vel peregre extinctis, hoc quidem honoris genere, jure Steſichorum antepono. Illi enim ad laudem poeſeos immortalem hoc datum fuit, ut Phalaridem tyrannum omnium immaniſſimum nonnihil permoverit, & [a] poſt mortem ab eodem fuerit ſplendidiſſime decoratus.

IV. De Latinis pauca ſubeunt, quae commemorem. Deſiderius Lignaminaeus [b] ſepulcrum M. Tullii Ciceronis in Zacyntho inſula apud ſacellum S. Mariae cognomento *Gratioſae* effoſſum narrat cum ejuſmodi epitaphio

M. TVLLI CICERO
HAVE
ET TV
TERTIA
ANTONIA

Addit inventas urnulas vitreas, in quibus cineres de more fuerint & amicorum lacrimae adſervatae: in fundo etiam majoris urnulae fuiſſe inſcriptum AVE MAR. TVL. In theatro funebri a Dodone Richea additur etiam tetraſticon [c], in quo princeps oratorum dicitur una cum conjuge tumulatus, quem ſane titulum aut ad oratorem non pertinere, aut nothis adſcribendum eſſe nemo non videt, qui probe noverit non dicam Terentiae nomen, divortium, ſecundas cum Salluſtio nuptias, ſed ejus aetatem, quae ad annum pervenit [d] tertium ſupra centeſimum. Ovidium in Ponto exulem pompa funeris non caruiſſe ſepul-

a *Gronov. Theſ. Antiq. Vol. II.*
b *Vid. Fabric. Rom. Topogr. XX.*
c *Theatr. Funebr. Parte III. Sc. VI.*
d *Plin. H. N. VII. 48.*

ſepulcrum indicat, quod verſibus elegiacis inſcriptum, ſed caprificis ac ſentibus coopertum [a] non longe ab Euxino mari prope Tomos, vulgo *Kioviam*, in amoena valle, hoſtem dum inſequerentur, Poloni milites invenerunt A. D. MDLXXXI. Gneſnam marmor delatum eſt, atque illinc erat Cracoviam ferendum reſtaurandumque, niſi mors regis Stephani interceſſiſſet. Illa inventio, quae Polonis militibus gaudio pariter, & laudi fuit, in mentem revocat honoris amplitudinem, qua vir bellicis artibus celeberrimus philoſophum aetatis ſuae clariſſimum jampridem mortuum exceptum voluit. Sigiſmundus Malateſta [b] Veneti exercitus imperator, rebus contra Turcas in Peloponneſo praeclare geſtis cum antiquorum gloria comparandus, pro ſingulari, quo in litteras, ac litteratos homines ferebatur, ſtudio, Themiſtii celebris ſua tempeſtate [c] philoſophi reliquias Ariminum perhonorifice deportavit, ubi ad ſiniſtrum latus S. Franciſci adhuc extat ſarcophagus, quem mihi olim Ariminenſes delicias inviſenti gratulabundus oſtendit, qui me hoſpitio perbenigne exceperat, Ludovicus Battaglinus patricius Ariminenſis, Joſephi frater, quorum ut amicitia mirum in modum gaudeo, maximeque glorior, ſic virtutis ac doctrinae famam collegio Nazareno, in quo uterque ſumma cum ingenii probitatiſque laude verſatus eſt, prodeſſe plurimum vehementer laetor. Praedicto ſarcophago additus hic eſt titulus quatuor lineis:

TEMISTII BYZANTII PHILOSOPHORVM SVA TEMPESTATE PRINCIPIS RELIQVVM

SIGISMVNDVS PANDVLPHVS MAL. PAN. F. BELLI PELOP. ADVERS. TVRCAR

RE-

a *Caeſar. Campan. Hiſt. & Anton. Poſſevin. Hiſt. Famil. Gonſag.*
b *Clementin. in vit. Sigiſm.*
c *Vid. Suid.*

REGEM IMP. OB INGENTEM QVO ERVDITORVM FLAGRAT
AMOREM
HVC EFFERENDVM INTROQ. MITTENDVM CVRAVIT
MCCCCLXV.

Hic ille Themiſtius [a] cognomento Euphrades, cui licet religio Chriſtiana defuit, eam tamen nonnihil [b] tutatus eſt, Valente imp. in Orthodoxos, quibus erat iratior, mitigato; praetor a Conſtantio, praefectus urbis Conſtantinopolitanae a Juliano creatus eſt; floruit a Conſtantio ad Theodoſium, & Arcadii primordia.

V. Litteratis hoc quoque datum, eorum ut ſepulcra doctrinae, qua quiſque claruerat, & facultatis ſymbolis ornarentur. Itaque Sophoclis, qui in poecile cum cithara pingi meruit, ſiren ſepulcro impoſita: Xenophontis monumentum noctua diſtinguebat: Lycurgi oratoris ibis, fortaſſe quia ut ibes avertunt ab Aegypto peſtem, nempe angues volucres ex [c] vaſtitate Libyae vento Africo invectos, ita Lycurgus reipublicae peſtem, facinoroſos ſcilicet ac nefarios homines profligavit, adeo ut Sophiſtarum ſcomma ſit tritum, Lycurgum non atramento, ſed fato [d] calamum contra improbos illinentem conſcribere. Iſocratis in cippo erat aries cubitorum ſex, ſupra quem apum domuncula [e] cubitis alta ſeptem, ad ejus in dicendo ſuavitatem ſignificandam, cujus gratia una ipſius oratio viginti talentis [f] fuit, ideſt XII. M. philippeis. Menſa praeterea ſepulcro inerat poetas continens, & Iſocratis praeceptores, in quibus Prodicus Chius, Tiſias Syracuſanus, ac Gorgias Leontinus ad ſphaeram aſtrologicam reſpiciens, & Iſocrates eam porrigens. De Archimedis ſepul-

a *Petav. Rationar. Temp. Part. I l. VI. 7.*
b *Briet. Chronic. Univerſ. Secul. IV.*
c *Cic. de Nat. D. I. 36.*
d *Plutarch. de X. Orat.*
e *Idem loc. cit*
f *Plin. H. N. VII. 30.*

pulcro facit mentionem Cicero [a], ubi ait: *nobiliſſima Graeciae civitas, quondam vero doctiſſima, ſui civis unius acutiſſimi monumentum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet*. Nam ad portas Agragianas deambulans illud dumetis ac vepribus circumſeptum vidit recognovitque, quod memoria teneret quoſdam ſenariolos columellae inſcriptos, ſignificantes ſphaeram eſſe ſepulcro appoſitam ac cylindrum, quae ornamenta Archimedem, dum adhuc viveret, ab amicis petiiſſe Plutarchus [b] tradit. Diogenis tumulo Laertius ſcribit columnam additam, & [c] canem deſuper ex lapide Pario inſculptum, Cynicae dicacitatis indicem. Socratis monumento Plutarchus [d] refert, columnam triginta cubitorum pro aeternitatis ſymbolo ſuperimpoſitam. Metellus Nepos Philagri praeceptoris ſui ſepulcro condito lapideum defixit corvum, ſymbolum longaevae aetatis [e]; Cicero autem in Metelli tenuitatem dixiſſe fertur: *hoc ſapienter* [f] *a te factum: volare magis te docuit, quam dicere*. Gallaeus ſcribit, Romae extra portam Aureliam poetae monumentum effoſſum eſſe, ſuper cujus reliquias erat Apollinis ſtatua cum imaginibus IX. muſarum, praeterea Homeri, Euripidis, Pindari, & Sophoclis. Exclamare hic liceat cum ſatirico, *ob quantum eſt in rebus inane!* Miſellus homo tot ſignis totque ornamentis conatus eſt artis ſuae praeſtantiam apud poſteros propagare: nos interea ejus etiam nomen deſideramus. At enimvero, poetae ut tumulus indicetur, vix quidem ſat eſſe arbitror ſarcophagum hoc typo inſignem, quorum unum praegrandi mole cum muſarum ſignis videre licet in Matthaejorum hortis, itemque alterum in muſeo

a *Tuſcul. V. 23.*
b *In vit. Marcell.*
c *In vit.*
d *De X. Orat.*
e *Diſſ. IV. num. XVI.*
f *Plutarch. in vit. Cic.*

ſeo capitolino cum imaginibus Socratis, & Homeri, quibus adſtant Philoſophia, & Poeſis, tum in monte Aventino Pythagoram, de more columella diſtinctum ſupra globum caeleſtem, in ſarcophago vides muſarum chorum belliſſime exprimente. Praeterea in aedibus Matthaejorum inſcriptio eſt ejuſmodi;

D . M
SACRVM MVSIS

atque alia non abſimilis in Vaticano inventa eſt ad S. Petri;

MVSIS SACRVM
D. M. SACRVM
SEX. IVLIO PVLINO
SCRIB. AEDIL. CVR.
AVTRONIA PRISCILLA
CONIVGI CARISSIMO

ex quibus inſcriptionibus tametſi haud temere ſuſpiceris, aliquando fuiſſe morem [a] litare pro vita functis non tantum Diis manibus, ſed etiam muſis; neque tamen in praedictis ſarcophagis, neque ubi hae inſcriptiones inventae ſunt, ibi poetas fuiſſe conditos, niſi indicium appareat aliquod multo certius, arbitrere. Non enim ubicunque muſae inſculptae ſunt, ibi poetam, aut philoſophum jacere conditum, judicari prudenter poſſe, hinc vel maxime conjicimus, quod & conditoria quandoque muſea dicta ſunt, & in nummis gentis Pomponiae ille Pomponius Muſa, qui nuſquam inter poetas eſt numeratus, muſas omnes in parte poſtica exhibet. Jam tute vides, quanti facienda ſit opinio, cujus eſt auctor Flaminius Vacca. Nam ubi narrat, aetate ſua urnas grandiores in Vaticano effoſſas, inſculptaſque figuris togatis, libros & volumina,

 mina,

a *Theſaur. Murator. T. I. Cl. I. pag. XCII.*

mina, vel ſerta manu geſtantibus, illic cenſet, olim ſepultos & philoſophos, & poëtas; etenim *Vaticanus*, ut ipſe ait, *a vatibus* derivatur. Quam quidem etymologiam auctoritate Gellii [a] merito rejicit Cl. Montfauconius [b]: ſertis autem & voluminibus, figuriſque togatis conditoria ſignificari philoſophorum, aut poetarum vix quiſquam credat neceſſe eſt, ſi in ſepulcralibus ornamentis multa tribuat marmorariorum arbitrio, tum ſertis ac voluminibus aliquod aut laudationis, ut ſupra [c] diximus, aut honoris genus denotari putet commune omnibus, nedum philoſophis, ac poetis. Haec hactenus, reliqua ordiamur.

VI. Socrates interrogatus, cujatem ſe eſſe diceret? MVNDANVM reſpondit: totius quippe, ut ait [d] Cicero, ſe mundi incolam & civem arbitrabatur. Ita profecto de viris omnibus doctrinae gloria immortalibus jure ſentire decet, quorum non modo fama iiſdem, quibus litteraria reſpublica, terminis continetur, verum etiam imagines in omnes terras mittuntur, ut ubique praeſentes eſſe, ac cerni poſſint: quin etiam quae olim relictae non fuerant poſteritati effigies, eas honeſto mendacio fingebant veteres, multoque honeſtius exiſtimabant ita mentiri, quam mereri, ne quis ſuas expeteret. Perbelle hoc Plinius [e]; at illud de Homeri aequalibus indecore, quod inter eos, quorum non ſunt traditi vultus, Homerum etiam collocavit. Quid porro tanti hominis coaevi indignius facere potuerunt, quam ejus effigiem non poſteris commendare, cujus gloriae nulla eſſet allatura finem aetas? Hoc tamen facinus ea tempora admiſerunt; ideo Aſi-

a *Noct. Att. XVI.* 17.
b *Diar. Italic. cap. XX.*
c *Vid. Diſſ. III. num. VII.*
d *Tuſcul. V.* 37.
e *H. N. XXXV.* 2.

Aſinius Pollio, quum in nobiliſſima bibliotheca, quam primus Romae de manubiis aperuit, auctorum imagines collocaſſet, Homeri fictam poſuiſſe [a] dicitur, quod veram minime nactus eſſet. Veram dico: pictorum enim, ſculptorumque arbitrio efformatae Homeri imagines paſſim vulgatae ſunt, poſtquam Graecia probe novit, quid poſſideret. Nec aliter eſſe omnino potuit, niſi arbitremur, quem Colophonii, Chii, Salaminii, permulti alii praeterea populi, nimirum Rhodii, Smyrnaei, Argivi, Athenienſes pugnantes inter ſe, atque acriter contendentes civem eſſe dicebant ſuum, illius imaginem ab iiſdem neglectam eſſe, aut Smyrnaeos [b] delubrum ejus in oppido, non in delubro effigiem dedicaviſſe. Hoc vero ne ſuſpicari quidem in mentem venit. Et quanquam res per ſe loquitur, quoquo modo tamen ut propoſitum urgeam, verſari paululum in nummis placet. Ariſtoteles [c], & Pollux [d] Chios affirmant in nummis ſuis Homeri typum adhibuiſſe, Fulvius Urſinus [e] Smyrnaeos probat eodem hoc typo uſos, quem, ſi Athenas exceperis, alias etiam civitates, quae de illius natalibus contenderunt, uſurpaviſſe opinor. Et certe [f] Nicaeenſes, Naxios [g], Amaſtrianos [h], aliosque populos Homeri imaginem, veluti praecipuum characterem in numiſmatibus expreſſiſſe compertum eſt. Amaſtriani quidem, quia eorum civitas, ex Urſini ſententia, Smyrnaeorum colonia erat, in nummis ſuis non modo ΟΜΗΡΟϹ inſcripſerunt, ſed etiam ΜΕΛΗϹ, nimirum Smyrnae flumen, ubi poeta natus eſt, & unde Meleſi-

a *Gronov. Theſ. Graec. Ant. Vol. II.*
b *Cic. pro Arch.*
c *Lib. II. Rhet.*
d *Lib. IX. 7.*
e *Ad Homer. imag.*
f *Morell. Specim. Num. Ant. Tab. IV.*
g *Gronov. loc. cit.*
h *Auguſtin. ex Fulv Urſin. Dial. III. pag.* 109.

leſigenes nuncupatus, donec in caecitatem ex [a] morbo incidit. Hac de cauſa, ni fallor, Cicero poſtquam retulit, Homerum a Colophoniis civem dici ſuum, a Chiis vendicari, a Salaminiis repeti, concludit dicens, *Smyrnaei vero ſuum eſſe confirmant*, momento ſcilicet, ac nota veluti certiſſima aſſeverant: quanquam non deſint, qui & hoc argumentum in controverſiam vocent. Quae ſummatim hic ego attigi, continuata honorum ſerie, de quibus inferius aliquid delibabo, copioſius explicata diſcere cupientibus adeſt & Leo Allatius, qui, acriter adverſante Daceria, patriam augere ſuam Homero cive conatur, & Spanhemius, cujus diligentia de poetarum principe complura ſcitu digniſſima ſcripta ſunt, tum Fulvius Urſinus, optime, ſiquis alius, de litteraria republica meritus, ob tot clarorum imagines diligentiſſime conquiſitas, notis etiam doctiſſimis illuſtratas.

VII. Urbes olim clariſſimas, tanquam ſingulari charactere, nummos voluiſſe ſuos imagine ſapientis cujuſpiam hominis inſignire, nemo in antiqua re nummaria tam novus eſt, quin plane noverit, nec ſingulatim id genus numiſmata recenſere mihi neceſſarium duco, neque audientibus utile. Non enim nobis de his hiſtoria propoſita eſt, ſed brevis tantum commemoratio. Hunc ergo honorem Mitylenaei [b] Sapphoni, itemque [c] Pittaco, & Alcaeo; Pompejopolitani Arato; Samii [d] Pythagorae; Smyrnaei [e] Polemoni, ac [f] Frontino; Locrenſes [g] Zaleuco Legiſlatori, quem per omnia Carondae ſimilem deſcribit Diodorus [h] Siculus. Nec modo Archytae [i], Socratis [k], Ana-

a *Herodot. loc. cit. & Vell. I. 5.*
b *Pollux loc. cit.*
c *Gronov ex Fulv. Urſin.*
d *Vaillant. pag. 307.*
e *Philoſtr. Vit. Soph.*
f *Jacob. Spon.*
g *Fulv. Urſin.*
h *Lib XII. 20.*
i *Num. aer. in Fulv. Urſ.*
k *Num. aen. in Gallaeo.*

Anacreontis [a], Hippocratis [b], Euclidis Megarenſis, aliorumque philoſophorum, ac poetarum effigies in numiſmatibus intuemur, ſed illius etiam praeſtigiatoris Apollonii Tyanaei videre cogimur, cujus ſycophantia quum Aurelianus [c], & Caracallus [d] delectati ſint, iis temporibus ſuſpicatur Fulvius Urſinus illius nummum aereum prodiiſſe, quem vero nos aevo poſteriore cuſum exiſtimamus, quum ſit ex eo numiſmatum genere, quae *conturniata* appellantur, in quibus quoque inveniuntur Ovidii, Salluſtiique imagines. Ea porro numiſmata praeter nomen ac imaginem, perſaepe notam quoque praeſeferunt illius rei, qua ſingulariter excelluit viri virtus: ſic in nummo M. Aurelii eſt talis Orpheus [e], qualis a Luciano [f] pingitur, in medio ſedens, canenti ſimilis, manibus lyram tenens, varia animalium multitudine circumſtante. Atque ut extat Archytas cum cylindro & cubo, itemque Ariſtomachus apum [g] ſpeculator in ſubjecto alveari apes circumvolantes [h] deſpicit; ita Pythagoras [i] radio globum caeleſtem, ſive ſphaeram in nummo tangit propter ſtellam Veneris, cujus naturam [k] is primus omnium deprehendit. Catanae quoque, & Metaponti urbes Carondam Pythagoricum in nummis impreſſere cornu habentem pro auricula, ad indicandam legum [l] ſeveritatem, aut divinam quandam venerationem inſtar Jovis Ammonis. Quanquam Graecia univerſa hunc honorem generatim doctrinae dederit, ſoli tamen Athenienſes, qui ſupra ceteros floruerunt, nullius vultum in nummis oſtendunt ſuis, ſed vete-

a *Num. aer. in Fulv. Urſ.*
b *Gronov. loc. cit.*
c *Vopiſc. in vit.*
d *Xiphil. in vit.*
e *Morell. Tab. I.*
f *Dialog. de Aſtrolog.*
g *Plin. H. N. XIII. 24.*
h *Gronovius ex Leonard. Auguſtin.*
i *Morell. ſpecim. Tab. IV. & Gronov.*
k *Plin. H. N. II.*
l *Gronov. ibid.*

veteris inſtituti ſupra fidem tenaces, nihil iis imprimere voluerunt, niſi quod praefectorum, vel archontum arbitrio ad ſacros ritus, aut praeclara majorum facinora referri poſſet, quemadmodum videre licet apud Vaillantium, alioſque viros Cl., quorum diligentiae plurimum nummaria debet antiqua res. Siquis forte mirabitur, Athenienſes ſuis civibus doctrinae gloria, bellicaeque virtutis laude praeſtantibus id honoris non detuliſſe, is mirari deſierit, ubi ſerio animadverterit, hanc eos praerogativam auguſtis quoque Romanorum imperatoribus denegaſſe, excepto [a] Veſpaſiano, qui libertate [b] Romanis legibus eos uti juſſit. Siquidem ille nummus vultu Hadriani inſignis non ad Athenienſium rempublicam, uti putabat Goltzius, ſed ad Scambonidarum populum omnino ſpectat, ſicut ex epigraphe evincit P. Eduardus Corſinus [c], cujus eruditione ac ſtudio complura in Faſtis Atticis ſive falſa rejiciuntur, ſive obſcura illuſtrantur, permulta etiam nova nec adhuc edita depromuntur. In primis vero, quod ad rem pertinet, qua auctoritatibus, qua conjecturis refellitur illa Haymi ſententia, qui quum legeret in quodam nummo [d] ΑΠΕΛΛΙΚΩΝ ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΣ, *Apellico* & *Ariſtoteles*, atque in hoc recognoſceret Peripateticorum principem, in illo Apellicontem Tejum grammaticum, hoc exemplo ſtatuit, nomina in Athenienſium nummis impreſſa non monetae praefectos, non archontes Eponymos, ſed cives tantum [e] illius reipublicae armis, aut litteris celeberrimos denotare: ſed falſo. Nihil enim aliud exſculpere exinde licet, quam vel archontum nomina, vel praefectorum. Alias porro imperitus grammaticus divi-

no

a *Vaill. pag. 20. & 325.*
b *Svet. Veſp. & Pauſan. in Achaic.*
c *Ibid.* vid. *P. Eduard. Corſin. in Faſt. Att. Diſſ. XII. num. II.*
d *Vol. I. pag. 216.*
e *Ibid.*

no philoſopho [a] antepoſitus non legeretur; nec praeclara illa nomina Homeri, Platonis, Socratis, Epicuri, aliorumque ſeu bellicis artibus, ſive litteris excellentium virorum deſiderarentur in Athenienſium nummis, quos certe Graecae antiquitatis conquiſitores, ac praeſertim Laertius, nunquam in ſilentio ac tenebris reliquiſſent.

VIII. Verum monetam Atticam ſi nullo vides ſapientum nomine, nedum imagine inſignitam, non ideo Athenis, quae maximum & ſtudiorum incitamentum eſt & laborum, gloriam laudemque poſtumam litterarum amatoribus defuiſſe exiſtimaveris, quin imo habeas pro certo velim, doctorum vultus in ſignis, atque picturis illic fuiſſe quamſtudioſiſſime adſervatos, quorum conſpectui plurimum ſane debuit Atticae ſapientiae laus. Sed infra de ſtatuis Atticis, nunc generatim de gemmis pauca. Utinam celebratiſſimae illae Scauri, Pompeji Magni, Caeſaris dictatoris, Marcelli Octavia geniti [b] Dactyliothecae nunquam intercidiſſent; ita enim fieret, ut facile quiſque poſſet philoſophorum, poetarum, oratorumque, quotquot antiquitas prodidit, libere conſpectu perfrui. At quoniam ea jactura minime impedimento fuit, quominus erudita cimelia, & eadem bene multa, vel ad doctas manus, vel in ſanctiora principum conditoria pervenerint, & uſque ad hanc diem integra conſervata ſint, hinc facile conjicimus, de excellentium virorum tradenda effigie quam ſoliciti eſſent majores noſtri, illud eſſe veriſſimum intelligentes, quod poeta cecinit: [c]

Crede mihi, plus eſt, quam quod videatur imago.

Hoc enim & ratio doctis, & natura barbaris indidit, ut

a *Corſin. loc. cit. num. XV. & XVI.* c *Ovid. Heroid. Laodam.*
b *Plin. XXXVII. 1.*

Digitized by Google

in qua re animadvertunt alios cum immortalitate nominis floruiſſe, in ea ipſi ſtudeant excellere, clareſcere, eminere. Iccirco poſt tot temporum anfractus adhuc viros, ac feminas clari nominis in gemmis intuemur, exempli cauſa Aſpaſiam Periclis, & Socratis magiſtram in jaſpide, Antiſthenem Cynicorum principem in amethyſto, Zenonem in gemma, italice *niccolo* nuncupata, Sophoclem in ſarda, Sappho in cameo, Ariſtippum in ſarda, atque in aliis alios, multoſque in plurimis, ut Pythagoram, Socratem, Ariſtotelem, praeſertim Platonem, cujus uti eruditione repleta ſunt omnia, ſic imaginem omnia amaverunt. Maxima vero gratia habenda eſt Fulvio Urſino, Gallaeo, Bellorio, Gevartio, Canino, Fabro, Cauſeo, Gronovio, Gorio, aliiſque viris Cl., qui communis omnium, ut ſapientes decet, utilitatis cupidi, haec muſarum praemia in cimeliarchiis deliteſcere non ſiverunt. Hujus beneficentiae nomine laus quoque danda eſt Cl. Praeſuli Jo. Bottario, cujus opera imagines virorum illuſtrium muſei capitolini eruditis annotationibus illuſtratae ſunt, tum Cl. Baroni Stoſchio, & jam toties commendato Abbati Rodulphino Venuto, qui [a] paucis abhinc annis Euripidem, hermae ſimillimum apud Fulvium Urſinum, & Fabrum, primus in gemma prodidit, cujus pretium raritas auget: nam inter gemmas Euripides hactenus ignotus erat. Gratus animus & olim docuit in cimeliis edere praeceptores cum auditoribus copulatos. Jo. Faber in ſarda Fulvii Urſini artificioſiſſime inciſa ait cum Platone Socratem extitiſſe: aliam quoque ſardam Gronovius memorat Petri Bembi Cardinalis cum capitibus Socratis, & Alcibiadis.

XI. La-

a *Collect. Ant. Rom. III. pag.* 42.

IX. Latinorum gemmae nummique non tot ſane ſuppetunt, quot Graecorum. Volumen Gronovii tertium nummos profert Horatii Flacci, Ovidii Naſonis, ac Junii Ruſtici, qui eſt diſtinctus epigraphe ΗΡΩΑ, ſive *Heros*, in gratiam ſcilicet M. Aurelii, a quo tanti eſt habitus, ut & iterum conſul deſignatus ſit, & ante praefectos praetorio [a] ſemper oſculo honoratus. Ibidem in gemmis onyce, & ſarda laudatur Cato major, cognomento Cenſorius, ſui ſeculi eloquentia primus, & in amethyſto cum Plautia uxore Papinianus, juris peritia nobilis. P. Virgilium habet in nummo Urſinus, in ſarda Faber, & Leon. Auguſtinus item in ſarda ſpectandum exhibet, capillis veluti ab occipite religatis, lemniſcis ab laurea dependentibus, cum velamenti genere, quod humeris adnectunt taeniae, ac cum larva ad humerum accedente. In Stephanonii gemma idem poeta laureatus ante larvam ſedet alloquenti ſimilis, non toga, ut Liceto placuit, neque pallio, ut Leonardo Auguſtino inſedit, ſed potius, Gronovio interprete, ſegeſtrio, ſeu lodicula involutus. Larvam nummo Virgilii aereo, gemmiſque inſculptam aegre cum Auguſtino pro memoriae ſymbolo interpretandam reor, quum poeta non invocanti quidem, ſed minitanti ſimilis videatur; multo minus pro larva poetarum ſcenica ſumenda eſt, propter pennas capiti ſuperſtantes, quibus nihil eſt cum poetarum larvis, nec antiquis cum hiſtrionibus, qui perſonati carmina recitabant. Acum, opinor, Gronovius invenit, ratus in Virgiliana larva ſpecimen deſignari manium, umbrarumque, quarum aſpectu nihil ille perterrefactus traditur, quum earum ſecreta aperuit; niſi mavis inibi aut triſtem latere imaginem, quae Aeneae apparuit,

 aut

a *Capitol. in M. Aurel.*

aut quid illorum ſimile denotari, *par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno*, itemque, *tenues ſine corpore vitas volitare cava ſub imagine formae*. Hoc ſi veriſimile eſt, Socratica me ſanna excipiet nemo exiſtimantem, haſce gemmas propter VI. Aeneidos librum, qui vere palmaris eſt, inciſas fuiſſe auctori pariter, & Octaviae gratificandi cauſa, quam ille, dum recitaret, & lacrimantem vidit, & ſatis beneficam expertus eſt, acceptis in ſingulos de Marcello verſus denis ſeſtertium millibus, ſeu Philippeis quinquagenis ſupra ducenos. Ciceronis gemmae ſuperſunt variae, quas Gronovius contemnit omnes prae duobus nummis, quos fideliſſimos exiſtimat, utpote congruentes cum vetere marmorea ſummi oratoris facie, in porticu celebratiſſima magni Etruriae ducis. Ejus item reſpuitur ſardonyx in muſeo Romano, quia videtur parum vigoris, ac laetitiae praeſerre, quae duo in Cicerone, ad jocos lepidiſſimo, maxima extitiſſe notat ex Plutarcho Faber. Rectene an ſecus, vide Num. XVIII.

X. Gemmarum haec conſuetudo tranſiit ad annulos, in quibus antiqui haereſum ſuarum magiſtros palam habebant. Licet enim aut ſuorum figuris, ut Lentulus, & Africani [a] filius, aut arbitrio quiſque caelatos geſtaret annulos, quod leone [b] ſignifero Pompeji M., Seleuci anchora, Mecoenatis rana, Auguſti ſphinge aperte oſtenditur; optimis tamen diſciplinis dediti anteſignanis hoc dabant ſuis, eorum ut imagines affabre inſculptas [c] annulis praeſeferrent; ſic [d] Stoici Zenonem, Academici Platonem, Peripatetici Ariſtotelem, Epicurum Epicurei, & alios alii in gemmis annularibus oſtentabant. Quem ſane

a *Alex. Neap. II. 19.*
b *Plin. H. N. XXXVII. 1.*
c *Cic. de Fin.*
d *Fortun. Licet. Schemmat. Gemm. Annul. & Philipp. Stoſck. Gemmae Antiq. Cael.*

ne honorem non tantum mortuis, ſed vivis etiam datum eſſe, abunde probat Ovidii epiſtola [a] ad amicos, qui ejus imaginem, nihil Auguſti indignationem veriti, auro incluſam habebant, ut illius conſpectu ſeſe de amici, aut praeceptoris exilio conſolarentur:

Siquis habes noſtris ſimiles in imagine vultus,
Deme meis hederas Bacchica ſerta comis;
Iſta decent laetos felicia ſigna poetas:
Temporibus non eſt apta corona meis.
Haec tibi diſſimulas, ſentis tamen optime, dici,
In digito, qui me ferſque referſque tuo,
Effigiemque meam fulvo complexus in auro,
Cara relegati, qua potes, ora vides.

Quicunque dederunt hanc Ovidio laudem, non iis frequens aditus eſſe debuit ad aulam Principis, ubi nihil horum, ut fit, aſſentatio ſibi fas eſſe arbitrabatur. Hinc, ſi Livium [b] exceperis, dum Auguſtus vixit, ſcriptores Ciceronem vix nominare auſi ſunt: imo Virgilius, ubi ejus laudes citra injuriam praeterire non potuit, more ut hominum faceret, ac principis auribus inſerviret, eloquentiae palmam, quam Graeci tradere Ciceroni [c] coacti fuerant, iiſdem reddidit: *orabunt* [d] *cauſas melius*. Quanquam enim Auguſtus, caedem ut M. Tullii totam in Antonium derivaret, hoc profligato, Ciceronem oratoris filium collegam in conſulatu [e] delegerit, litteris ad eundem datis de illius morte in ſenatu recitandis, cum decreto de Antonii ſtatuis ac monumentis omnibus abolendis, ac nequis in poſterum in ea familia Marcus nuncuparetur; ſummi tamen oratoris quam timida coram principe

a *Triſt. I. 10.*
b *Fragment. apud Senec. Suaſor. VI.*
c *Plutarch. in vit. Cic.*
d *Aen. VI. 849.*
e *Plutarch. loc. cit. Dio & Appian.*

cipe, quam periculoſa commemoratio eſſet, illud palam facit, quod hujus nepotes [a] illius ſcripta publice legere non auderent. Quorſum haec extra rem? ne quis mihi ſuccenſeat, ſi putem Ovidii opinionem, dum epiſtola Romam ſpectet, caute interpretandam, & perſuaſum habeam, in hac urbe, ubi mos erat civium, ſub Auguſtis praeſertim, fabulam fictam, falſam perhorreſcere, neminem praeceptoris effigiem publice in annulis geſtaviſſe, niſi quem certo ſciret, eſſe principi non ingratum.

XI. Quoniam annulorum hujuſmodi commemoratio cum grata diſcipulorum in praeceptores benevolentia conjuncta eſt, jure naſcentis Eccleſiae Chriſtifideles laudandi ſunt, qui Platonem quum ferre in annulis viderentur, divinum humani generis Reparatorem habebant. Aenei quippe ſuperſunt annuli, quorum nonnullos Franciſcus Ficoronius collegerat, cum effigie Platonis, cui multa ineſt Chriſti Domini ſimilitudo, facie nempe oblonga, barba non admodum prolixa, oculis totoque vultu ad majeſtatem compoſito, & quaqua verſus amabili, qualis apparet in nummo Auguſti, cujus Carolus Patinus & poſſeſſor, & illuſtrator [b] fuit. Joannes Marangonius praeclaris operibus in lucem editis memorabilis, haud rejiciendam judicat docti alicujus viri opinionem, veteres Chriſtianos hiſce annulis uſos eſſe, ut illa veluti teſſera [c] ſe ipſi mutuo recognoſcerent, ac fraterne complecterentur, quin inde ulla ſuſpicionis occaſio daretur Ethnicis, quibus, cum ex hiſtoria, tum ſtatuis, ac numiſmatibus compertum erat, Platonem vultu pulcherrimum extitiſſe. Cur vero ſanctiſſimi Chriſtifideles Platonem potius, quam alium

a *Plutarch. ibid.*

b *Vid. Graev. Ant. Vol. IX. pag. 1596.*

c *De reb. profan. ad Eccleſ. uſum & ornatum translat. 22.*

alium quemlibet philoſophum delegiſſent, hanc nemo ignorat fuiſſe cauſam, quod licet Tertullianus merito indoluerit, Platonem omnium haereticorum factum eſſe quoddam veluti condimentum, quum & Carpocras ille, omnis ſentina impuritatis, & alii haeretici ſe Platonicos nuncupaverint: tamen primi Chriſtianae fidei ſectatores doctrina ſpectabiles, quos Julianus Apoſtata [a] impie deridebat, philoſophia Platonica claruerunt, & Juſtinus philoſophus, poſtea martyr factus, ingenue fatetur, Platonis hypotheſes viam ſibi ad Chriſtianam ſapientiam aperuiſſe. Prudenter autem loco citato Marangonius ſentit, aequivocum hunc annulorum uſum in Eccleſia Catholica tum penitus abrogatum fuiſſe, quum A. D. CXXIX. haereſis Carpocratis exorta eſt. Nam ſicut Baſilidiani Deum, S. Michaelem Archangelum, Paulum Apoſtolum ſub Jovis, Mercurii, Pythagorae, alioſque haud aliter proponebant in tabulis, marmoribus, gemmis, quarum bene multas in unum congeſtas apud Chifletium videre licet: ita Carpocratiani ſanctiſſimam Chriſti imaginem cum Homeri, Platonis, Pythagorae, Ariſtotelis, reliquorumque philoſophorum imaginibus impudentiſſime proponebant coronabantque. *Imagines quaſdam depictas*, ita S. Irenaeus, *quaſdam autem de reliqua materia fabricatas* [b] *habent, dicentes formam Chriſti factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Jeſus cum hominibus, & eas coronant, & proponunt eas cum imaginibus philoſophorum mundi ...... & reliquam obſervationem circa eas ſimiliter, ut gentes faciunt*. Lampridius enim ſcribit Alexandrum Severum in Larario ſuo inter deos Abrahamum, Apollonium Tyanejum,

a *Vid Spon. T. III Itin poſt. pag. 156. Adhaerent. T. II. Acad. Corton. & Bajuliv. Red. Diſſ. de Deis* b *Lib. I. Haereſ. 24.*

nejum, & Salvatorem optimum collocaviſſe, quare is primus inter Chriſtianos principes a quibuſdam temere [a] recenſetur.

XII. Gemmis ac numiſmatibus addendae ſunt ſtatuae, tanto olim ſtudio viris philoſophia, aut eloquentia illuſtribus dedicatae, ut eorum vultibus fingendis ſculpendiſque certaviſſe videantur populi ac caelatores. Doctiſſimi antiquitatis inveſtigatores, quos paulo ante honoris gratia nominavi, multas hujus generis effigies ex ſtatuis, hermis, ac diſcis marmoreis exſculptas juris eſſe publici voluerunt: ſed quoniam errores aderunt, donec homines, non in omnibus eorum voluminibus, quanquam ſtudioſe accurateque elaboratis, tuto ſemper verſari licet, & oculo inoffenſo. Nam ut nihil dicam, quandoque oratorem pro philoſopho publicari, quemadmodum Aeſchinis oratoris effigies in herma percelebri apud magnum Etruriae Ducem, eſt in Laertii *libro II.* Aeſchini [b] Socratico philoſopho abſurde accommodata, non raro contigit, ut quorundam facies notis alieniſſimis proferantur. Exempli cauſa Boiſſardus, magnus in primis vir, Herodotum ex aere ſub vultu alieno produxiſſe [c] arguitur; Gallaeus Lyſiam, & Ariſtophanem, praeſertim vero Sophoclem in clypeo diadematum edidit, exemplari per Urſinum prodito diſſimillimum, quem merito Bellorius judicat rejiciendum. Ipſe Fulvius Urſinus inter cultores eruditae antiquitatis omnium linguis ac litteris memorandus, in ſarda [d], de qua dubitandum, Hippocratem habet capite, more [e] medicorum, tecto, quum nullo velo ob-

a *Vid. Chriſtophor. Cellar. Diſſ. de Primo Princip Chriſt.*

b *Vid. Gronov. in additam. ad fig. 94. vol. II.*

c *Ibid. fig. 71.*

d *Illuſtr. Vir. Imag. pag. 9.*

e *Lucian. in Philopſeude.*

obductus inveniatur in Gronovii Theſauro [a], & in Collectaneis Abb. Rodulphini Venuti [b], qui Hippocratem in marmore ſpectandum primus dedit, & Sophoclis hermam protulit vere ſingularem, quia nullus hactenus herma tragicorum principis notus erat. Quam facile olim in Graecia ſtatuarum honor, qui ſemper maximus habitus eſt, viris doctrinae ſplendore, vel armorum gloria praeſtantibus concederetur, opulentiſſima Thermi civitas in Aetolia probat, ubi Macedones eorum memores, quae Aetoli geſſerant in templo Jovis Dodonaei, pretioſiſſimis quibuſque bonis aſportatis, reliqua igni impoſuerunt, everteruntque [c] ſtatuas numero ultra duo millia, ab iis duntaxat, quae Deorum habebant aut figuras, aut titulos, abſtinentes. Athenienſes autem uni Demetrio Phalereo ex aere ſtatuas CCCLX. poſuere intra trecentos dies, quarum complures equeſtres erant, & in quadrigis, ac bigis ſtabant; quanquam mox eaſdem laceravere [d] nondum anno hunc numerum dierum excedente. Age vero quanti haec ornamenta a veteribus haberentur, hoc palam facit, quod Steſichori, ex cujus doctrina & ingenio Himera clara dicitur a Cicerone, imaginem Poeni poſt expugnationem ſatis celebrem Carthaginem detulerunt, & Himerenſes a Scipione Carthaginis everſore, ut ea in ſedem priſtinam reſtitueretur, ſtudiis omnibus poſtularunt, & ſibi redditam in magno beneficio [e] poſuerunt.

XIII. Ex omni ſtatuarum genere, quae ſolebant doctrinarum ſplendori dedicari, uſitatiſſimos fuiſſe hermas non mediocri eorum numero edocemur, qui tum alibi ſupereſt, tum Romae potiſſimum in procerum pinacothe-

a *Vol. II. fig. 58.*
d *Collect. Ant. Rom. pag. 9.*
c *Polyb. V.*
d *Plin. H. N. XXXIV. 6.*
e *Gronov. Vol. II. fig. 38.*

thecis, ac muſeo capitolino, ubi prae aliis Homeri herma fulget Eminentiſſimi Card. Alexandri Albani munus, capite diademato, barba criſpa & horridula, ac tali vultu, qualis perpetuo cernitur in nummis Chienſibus, Smyrnaeis, Amaſtrianis, & Nicaeenſibus, cujus rei teſtes habes Giſbertum [a] Cuperum, Raphaelem [b] Fabrettum, Rodulphinum [c] Venutum. Conſtantiſſima haec nummorum ſimilitudo facit, ut aliquando non ſine cauſa de Plinio dubitem, inter eos, quorum non ſunt traditi vultus, Homerum etiam collocante. Unanimis tot civitatum conſenſus in hac imagine, ſine ullo diſcrimine, efformanda tacite id probare videtur, poetam tanti nominis amicis non caruiſſe, qui ejus effigiem graphice deſcribendam curarent; etenim dum vixit, minori quidem, quam poſt mortem, magnae tamen admirationi fuit, ac praeter cerdones, non unum Mentorem nactus eſt [d] in ſe beneficum ac liberalem. Ceterum non modo hermae ſimplices, ſed & duplices inventi ſunt. Nam in potentum baſilicis, ac praeſertim bibliothecis, quarum, ut mox conſtabit, proprium erant doctorum ſtatuae ornamentum, hermae bicipites, qui eſſent utrinque ſpectabiles, in duplici pluteo collocabantur. Una porro inſculptos aut hiſtoricos, aut philoſophos eſſe duos opinor ad artis ſimilitudinem deſignandam, ut in Herodoti, & Thucididis, quorum exuvias vicina pariter monumenta in terra Attica [e] condiderunt, vel amicitiae declarandae cauſa, ut in Socratis, & Alcibiadis, aut utriuſque in laudis gratiam, ut muſeum capitolinum in Epicuri, & Metrodori herma pereleganti oſtendit, non ſine gloria aetatis noſtrae, cui fuit hujus in-

a *In Homer. Apoth.*
b *Ad Tab. Iliad.*
c *In Collectan. Rom. Ant. pag.* 8.
d *Herodot. in Homer. vit.*
e *Gronov. vol. II. fig.* 72.

inventio reſervata. Jampridem incertum erat, quae forma, qui vultus eſſet praeclari illius philoſophi Epicuri, continentia nobilis, cujus eximias laudes Lucretius [a], Cicero [b], Laertius [c], Themiſtius [d], Svidas, Euſebius, & alii praedicant, ac praeſertim Gaſſendus in ejus vita, magnum autem ſtatuarum numerum marmorearum, aerearumque abunde memorant [e] Plinius, & [f] Laertius. Poſt multa demum ſecula, quum A. D. MDCCXLII. Benedicti XIV. Pont. Max. juſſu atque impenſa ad Baſilicam Liberianam fundamenta porticus jacerentur, inventus inibi eſt antiquiſſimus herma biceps, Epicuri, & Metrodori vultibus ac nominibus oppido inſignis. Quae ſane inventio antiquitatis amatoribus perjucunda fuit, & eſſe debuit. Hinc enim ille Lampſacenus eſt probe cognitus, quem Cicero [g] *pene alterum Epicurum* vocat, diſtinctum a Metrodoris Stratoniceo, & Scepſio Carneadis [h] auditoribus. Deinde quoad Epicuri effigiem inveteratus evanuit error, ſpeſque haud incerta oborta eſt, aliarum ejus imaginum cognoſcendarum, quae inter ignota marmora, & cimelia deliteſcunt. Jamque ut ſcite adnotavit Cl. Abbas Bonaccurtius in epiſtola ad academiam Cortonenſem ſperati hujuſce lucri felix initium eſt pretioſa gemma potentiſſimi Galliarum regis, itemque imagines in Tab. IV. & XXV. voluminis I. muſei capitolini, & Tab. XXX. virorum illuſtrium ab Auguſtino Veneto inſculptorum. Nunc demum conſtat, illud eſſe veriſſimum, quod dicebat Cicero [i] vix poſſe unquam fieri, tanti

 ut

a *Lib. V.*
b *De Fin. II* 15. *&* 31. *&* *V.* 1.
c *Laert. X*
d *Orat IV.*
e *H. N. XXXV.* 2.
f *X ſeg.* 9.
g *De Fin. II.* 28.
h *Laert. loc. cit Cic. de Orat. II.*
i *Cic. de Fin. I.*

ut philoſophi memoria interiret, cujus vultus aetate ſua non in tabulis, non in marmoribus, non gemmis tantum, ſed ipſis quoque in poculis cernebatur, ut hinc fortaſſe conviviis parſimonia praeſcriberetur, cujus ille magiſter fuit, nihil huic laudi obſtantibus, qui ejus nomen indigniſſime uſurparunt, Cyrenaicis, ſive Haedonicis, aut potius patellariis philoſophis, a quorum improbitate ſatis hic noſter eſt vindicatus a Seneca[a] quamvis Stoico, & Juvenali, ubi dixit:[b]

Menſura tamen, quae
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam.
In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſſunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis ſuffecit in hortis.

Laudatum hermam nunc, ut dixi, in capitolio poſitum, nobiliſſimus Marchio Locatellius Mediolanenſis, muſei capitolini cuſtos, ita collocandum curavit, ut quaqua verſus agi pro ſpectatorum commodo perbelle poſſit.

XIV. Jam me locus ad ſe invitat, ubi haec ſtatuarum decora ad poſterorum memoriam ponebantur. Mos enim fuit eas in locis urbis celeberrimis collocare. Graeci quidem id genus hermas primo in academia, deinde in porticibus, ac demum in aliis locis publicis dedicarunt: quin etiam Athenis porticus ab hermis eſt appellata, in qua [c] Heroum capita Mercurios ſimulantia ſtatuebantur. Andocidi oratori [d] hoc datum eſt, ut a tribu Aegaeide ante ejus januam Herma collocaretur, & quum poſtea contigiſſet, ut Corinthiorum invidia omnes in foro Athenis Mercurii una nocte dejicerentur praeter illius unum, hinc Hermes Andocidis [e] vocatus eſt. Poecile, ſeu Stoi-

co-

a *De Vit. beat. XIII.*
b *Sat. XIV.*
c *Joann. Meurſ. Athen. Att. I. 3.*
d *Plutarch. de X. Orat.*
e *Corn. Nep. in vit. Alcib.*

corum porticus a Polignoto [a] Thaſio gratis picta, locus fuit Athenis ad ſtatuam quidem maxime honorificus, ubi Sophocles pingi meruit cum cithara, Solon autem ſtetit aeneus, teſte Pauſania. Barbarum illum regem, qui pedes mare tranſierat, exciderat que montes, nihil a Graecia, niſi haec porticus ſummoviſſe traditur, quippe quam Themiſtocles ſaepiſſime contemplatus ſeſe totum ad rempublicam, & arma contulerat. In prytaneo prope Anacreontem fuit ſtatua Sapphus, Silanionis [b] opus, cujus meminit Cicero contra Verrem. Socratis imago ex aere, Lyſippi opus, celeberrimo urbis loco poſita [c] eſt. Iſocratis imaginem Athenis pictam in pompio, & in arce Plutarchus tradit. Nec minoris habendum eſt, quod in Aeſopi gloriam [d]

Ingentem ſtatuam poſuere Attici,
Servumque collocarunt aeterna in baſi,
Patere honoris ſcirent ut cuncti viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.

Haec laudis monumenta quanquam ſaepe auditorum amicorumque ſtudio erigerentur, viris tamen illuſtribus decreto reipublicae ſtatuebantur, ut hujus generis decreta apud Plutarchum [e] praedicant; nam prae ceteris legimus a Lycurgo latum, ut Aeſchyli, Sophoclis, Euripidis ex aere ſtatuae erigerentur, eorumque tragoediae publicis mandatae tabulis adſervarentur. Statuarum materiam, ſi illae quidem decreto publico ſtatuerentur, aes perſaepe fuiſſe conſtat, nonnunquam etiam inauratum. Beroſo ob quaſdam praedictiones publice [f] Athenienſes in gymnaſio ſtatuam inaurata lingua poſuere: Gorgiae vero tantus eſt ho-

a *Plin. H. N. XXXV. 9.*
b *Tatian. lib. adverſ. gent.*
c *Laert. in vit.*
d *Phaedr. II.*
e *In vit. X. Rhetor.*
f *Plin. H. N. VII. 37.*

honor habitus, ut [a] uni ex omnibus non inaurata, ſed aurea Delphis ſtatua poneretur.

XV. Sapientum imaginibus hoc Romae datum, ut interdum imperatorum pompae funebri [b] praeferrentur, & in palatio ſervatae inter Caeſares eniterent; quare Hortalus magni illius Hortenſii nepos, quum [c] ſenatus in palatio haberetur, modo Hortenſii inter oratores ſitam, modo Auguſti imaginem intuens, ſupplex Tiberium, ut ſeſe ab inopia defenderet, obſecravit, quo non impetrato, domus quondam opibus florentiſſima pudendam ad paupertatem dilapſa eſt. Ante Caeſares bellicoſum hunc populum armorum quidem, nullam litterarum rationem habuiſſe video in ſtatuis publice decernendis. Invenio ſane & Pythagorae, & Alcibiadi in cornibus comitii poſitas, ſed eas juſſerat [d] Apollo Pythius ſapientiſſimo Graecorum, & alteri fortiſſimo dedicari. Poetae olim ſuas ipſi imagines in aede Camoenarum ponere videntur fuiſſe ſoliti: nam Plinius [e] notat L. Actium illic maxima forma ſibi imaginem poſuiſſe, quum ipſe brevis admodum extitiſſet. Sub Caeſarum dominatu praemium, de quo nunc agimus, late patere coepit ad vivos etiam, nedum ad mortuos. Ne Cejonii Rufi [f], aliorumque mentionem faciam, certe Claudianus ſenatuſconſulto ſtatuam in foro Trajani meritus eſt, quam ipſe memorat in belli Getici praefatione:

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,
Oraque patricius noſtra dicavit honos.
Annuit his princeps titulum, poſcente ſenatu;
Reſpice, judicium quam grave, muſa, ſubis.

Hinc

a *Cic. in Orat.*
b *Xiphil. in Severo.*
c *Tacit. Hiſt. II.*
d *Plin. H. N. XXXIV. 6.*
e *XXXIV. 5.*
f *Gruter. CCCLXXVII.*

Hinc porro ediſcimus , id honoris ſenatum a principe , & aliquando principem a ſenatu poſtulaviſſe , quod exemplo patet Antonini , quem [a] legimus Frontoni oratori illius aetatis praeſtantiſſimo dediſſe plurimum , cui & ſtatuam petiit a ſenatu . In provinciis pariter ſine imperatoris aſſenſu hic honor nemini concedebatur , cujus quidem prae ceteris , quae non deſunt , argumentis , teſtem proferre placet hanc inſcript. A. D. 1746. Alexandriae in Aegypto inventam , quam mihi perhumaniter dedit Abbas Rodulphinus Venutus , cujus ſi in hoc opuſculo frequens occurrit laus , ne mireris , obſecro , quia tanto mihi ejus amicitiam honori duco , quanto eidem ſua ipſius eſt eruditio .

DOMINI . NOSTRI . INVICTISSIMI . ET
VENERABILES . AC . PERPETVI . AVGV
STI . THEODOSIVS . ET . ARCADIVS
TOTO . ORBE . VICTORES
MATERNO . CYNEGIO . OMNIVM . VIRTV
TVM . VIRO . ET . AD . INSIGNEM . LAVDEM
GLORIAMQVE . PROGENITO . PER . OM
NES . HONORVM . GRADVS . MERITORVM .
CONTEMPLATIONE . PROVECTO
PRAEFECTO . PRAETORIO . PER . ORIEN
TEM . STATVAM . CIVILI . HABITV . AD . PETI
TVM . PRIMORVM . NOBILIVM . ALEXAN
DRINAE . VRBIS . IN . EADEM . SPLENDIDA . VRBE
AD . PERPETVITATIS . FAMAM . LOCO . CELEBER
RIMO . CONSTITVI . COLLOCARIQVE . IVSSERVNT
PER . CLARISSIMOS . ALEXANDRINAE
CIVITATIS

XVI. Sta-

a *Capitol. in M. Antonin.*

XVI. Statuarum ex auro, argentove, aut certe [a] ex aere, quae doctrinae gratia dicabantur, locus praecipuus erant bibliothecae tam publicae, quam privatae. Aſinii Pollionis, qui primus [b] *ingenia hominum rempublicam fecit*, fuit hoc Romae inventum, cujus diligentiam aemulati ſunt editis voluminibus Atticus ille Ciceronis, & M. Varro, non paſſi imagines intercidere doctorum hominum, nec vetuſtatem aevi eorum obeſſe vultibus, quorum ubique gentium triumphales animae loquebantur. Aequum porro erat, ſapientum imagines ibi potiſſimum inveniri, ubi eorum doctrina lucem benefice fundebat ſuam, in bibliothecis videlicet, quas hoc ornatu Alexandriae, & Pergami non caruiſſe, quanquàm ſubdubitare videtur Plinius, non difficile affirmabimus, ſi diligentiam ſpectemus, qua philoſophorum, poetarumque vultus adſervabantur id temporis, quum in ſupradictis civitatibus reges ampliſſimi, & magno quidem certamine, bibliothecas inſtituerunt. Romae hanc conſuetudinem teſtantur multi, quorum duntaxat unum, & alterum proferre libet. Ad Atticum ſcribens Tullius [c] malle ſe inquit in illa ejus ſedecula, quam habebat ſub imagine Ariſtotelis ſedere, quam in aliorum ſella curuli: Svetonius [d] ait Parthenii, Euphorionis, & Riani poetarum imagines inter veteres & praecipuos auctores in bibliothecis publicis dedicatas. Tacitus imperator Cornelium Tacitum, quem parentem dicebat ſuum, in omnibus bibliothecis [e] collocavit, ac ne ejus volumina deperirent, ea juſſit decies quotannis ſcribi. Hoc ſtatuarum inſtitutum adeo deinceps apud privatos valuit, ut, quibus paupertas id genus her-

mas

a *Plin. H N. XXXV. 2.*
b *Idem ibid.*
c *Lib. V. 9.*
d *In Tib. 70.*
e *Vopiſc. in vit.*

mas aut marmoreos, aut aeneos denegaret, eorum bibliothecas e gypſo paratae imagines exornarent: quare Satiricus [a]

Indocti primum, quanquam plena omnia gypſo
Chryſippi invenies: nam perfectiſſimus horum
Siquis Ariſtotelem ſimilem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

Atque ut alibi adnotavi, Deos agreſtes inter frondes [b] arborum fuiſſe adpoſitos, ita gypſeas litteratorum effigies ramis arborum in bibliothecis opinor quandoque inſertas. Marlianus enim in Urbis topographia, ubi de monte palatino ſermonem habet, libros tradit in bibliothecis olim ſupra arbores plumbeas collocari conſueviſſe, quarum unam lauri ſpecie cum foliis expanſis, quibus nondum aurum deceſſerat, Jo. Argolus [c] teſtatus eſt ſe vidiſſe, repertam in colle palatino, in vinea Ronciana, doluitque vehementer, quum eam igne conflatam audivit. His porro arboribus gypſeos philoſophorum, aut poetarum vultus fuiſſe impoſitos non invenio quid repugnet. Ceterum ut a gypſo ad marmora redeamus, certe ad vetus inſtitutum reſpexit Pius IV. Pont. Max. Aelii Ariſtidis ſtatua, cujus facundiam Syneſius laudat, in bibliotheca Vaticana cum hoc diſticho collocata:

ROMA TVVM NOMEN TOTVM LICET IMPLEAT ORBEM
MAIVS ARISTIDIS FIT TAMEN ELOQVIO

Atque hae quidem imagines non tantum in bibliothecis, ſed etiam in voluminibus pictae olim conſervabantur: itaque Fulvius Urſinus deprompſit Terentii imaginem ex antiquo bibliothecae Vaticanae libro, notis quoque vetu-

Ccc ſtiſ-

a *Juvenal. Sat. II.*
b *Vid. inſcr. I. Claſſ. I. not. IV.*
c *Thomaſin. de Donar. Vet. III.*

ſtiſſimis illuſtrato. Martialis[a] hunc honorem Virgilio datum frigida hac antitheſi teſtatus eſt:

Quam brevis immenſum cepit membrana Maronem!
Ipſius vultus prima tabella gerit.

XVII. Heroicis quidem temporibus maxima erat gloria, ſiquis adhuc vivens imaginem in loco publico meruiſſet, ut M. Varro, cujus unius adhuc ſuperſtitis in Aſinii bibliotheca[b] poſita effigies fuit. Poſtea vero facilior extitit haec quoque laus, quam Sidonius[c] ſibi in epiſtolis gratulatur:

Quum meis poni ſtatuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret
Inter auctores utriuſque fixam
Bibliothecae.

Utriuſque inquit, quia tametſi una eſſet bibliotheca Ulpia ab Ulpio Trajano condita, quum tamen caenaculis fortaſſe, ac porticu diſtingueretur[d], ideo Sidonius, &[e] Dio ſingulariter loquuti ſunt. Hujuſmodi laudem ipſi quoque Caeſares terrarum domini affectarunt. Nam & Germanicus acceptiſſimum habuit dicatum ſibi clypeum[f] inter auctores eloquentiae, & imperator Numerianus, cujus orationem quandam ingenioſiſſime elaboratam Flavius Vopiſcus celebrat, eadem in bibliotheca imaginem ſuam, imperatoriis omnibus ornamentis ac titulis ſpoliatam, magno ſibi honori tribuit ita[g] inſcriptam: NUMERIANO CAESARI ORATORI TEMPORIBUS SUIS POTENTISSIMO. Longe facilior ad hanc gloriam patebat aditus in privatorum bibliothecis. Agit hac de cauſa Martialis[h] gratias ami-

co

a *Lib. XIV.* 170.
b *Plin loc. cit.*
c *Epiſt. IX.* 16. *Vid. Edmund Frigellium de ſtat. Rom.*
d *Pitiſc. in V. Bibl.*
e *Lib. LVIII.* f *Tacit. Ann. II.*
g *Vopiſc. in Numerian.*
h *Lib. IX.* 1.

co ſuo, miſſis ad eundem verſibus ſuae imagini ſubſcribendis:

Ille ego ſum nulli nugarum laude ſecundus,
Quem non miraris, ſed puto, lector, amas.

Idem Martialis [a] ſequens diſticon appoſuit imagini Socratis in bibliotheca, ut ſuſpicor, Julii Rufi poetae Satirici, quem laudat non tam propter gravitatem, ut Caſaubonus [b] arbitratur, quam propter ironiam, uti ſentit Franciſcus Maria [c] Salvinus, ſatiricorum propriam, & Socrati perfamiliarem:

Si Romana forent haec Socratis ora, fuiſſent
Julius in Satyris qualia Rufus habet.

Pulcherrima haec litterarum praemia contemplanti occurrit Caligulae conſilium indigniſſimum, minus quidem triſte, re non perfecta, certe nihilominus vituperandum. Poſtquam in omnes ſtatuas non ferenda malignitate graſſatus eſt, parum abfuit, quin ex cunctis bibliothecis Virgilii, & Livii ſcripta, atque imagines amoverit, quorum alterum, ut *nullius ingenii, minimaeque doctrinae*, alterum, ut *verboſum in hiſtoria, negligentemque* [d] *carpebat*. Quin etiam cogitaverat de Homeri carminibus abolendis: *cur enim ſibi non licere, quod Platoni licuit, qui eum e civitate, quam conſtituebat, ejecerit?*

XVIII. Quemadmodum pictores poſtquam aliquandiu in tetris horridiſque coloribus verſati ſunt, ſolent ad vividos ſe convertere nitenteſque, ita rem fore non importunam arbitror, ſi Caligulae indignitati opponam Theodoſii magni illius imperatoris in litteratos benevolentiam ſingularem. Ad ejus enim tempora pertinent ea numiſ-

Ccc 2 ma-

a *Lib X.* *pag. 154.*
b *De Sat. Rom. III.*
c *Ad Caſaub. ſatir. italice explicat.*
d *Svet. Calig. 3.*

mata, quae *conturniata* dicuntur, ſeu mavis teſſerae, Chifletio interprete, quarum aliquae doctorum typo illuſtres ſunt, eo conſilio cuſae, ut, qui ingenii laude floruerant, eorum imagines quoquo modo ad omnem poſteritatem propagarentur. Dixi quoquo modo: neque enim pro archetypis habendae ſunt quotquot effigies inveniuntur in nummis poſterioris aevi, quorum certe numero Ciceronis, Horatii, Perſii, aliorumque ſive numiſmata, ſive teſſerae adſcribuntur. Quare Gronovius, qui, ut ſupra dixi, prae duobus nummis omnes Ciceronis gemmas rejiciendas putat, jure ne id ſentiat an injuria, ipſe viderit. Quod autem in ejuſdem ſardonyche cum Fabro & leporem deſideret & laetitiam Ciceronianam, quid dicam neſcio; hoc unum ſcio ſummi oratoris ſtatuas in capitolio duas non ad jocos, ſed ad gravitatem eſſe compoſitas, itemque in domo Matthaejorum, ubi omnium, quae Romae ſunt, elegantiſſima ſimul & antiquiſſima eſt Ciceronis protome. Quam quidem dum antiquiſſimam dico, non ad reipublicae tempora pertinere contendo, cui opinioni ipſa per ſe inſcriptio non parum obeſt. Quid ergo de M. Tullii, quae ſuperſunt, imaginibus ſentiendum eſt? eruditorum quidem judicio de omnibus dubitandum. At enimvero, ſicuti Theodoſio imperatori, viriſque ampliſſimis laus danda eſt, qui doctorum effigies, qualeſcunque per tempus licuit, poſteris tradiderunt, ita & Proceres aetatis noſtrae nobiliſſimi laudandi ſunt, qui e remotis etiam regionibus eorum imagines ſtudioſe colligunt, quotquot a multis ſeculis poſterioribus exquiſita doctrina & natura admirabili floruerunt. Quod quidem prae ceteris in Urbe vir princeps egregie facit, cujus multa in me promerita, & locus ipſe admonere videtur, ne illius curam

in

in hoc laudis genere tacitus praetermittam. Philippus Maria Monti Cardinalis Eminentiſſimus, quippe qui probe noverit, nihil viro principe tam eſſe dignum, quam doctrinae gloriam promovere, iccirco, quos praeſtantes ingenio viros poſtrema haec ſecula ediderunt, eorum effigies undique comparavit, iiſque tabulis non modo ex veterum inſtituto bibliothecam, ſatis per ſe ſplendidam multiplici ſelectaque librorum copia, & praeſertim antiquitatis monumentis omnibus refertiſſimam, verum etiam intima quaeque cubicula exornavit, ut totam ejus domum merito poſſis eruditiſſimam nuncupare pinacothecam. Delectant quidem oculos in ſuique ſpectaculum admirationemque convertunt illuſtria virorum principum domicilia, conchyliatis undique periſtromatis adornata, inſtructaque ſignis atque picturis ac rebus omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur: at domum Cardinalis ampliſſimi adeuntibus, & parietes magnorum virorum imaginibus, quibuſdam veluti praeclariſſimis ſapientiae inſignibus coruſcantes circumſpicientibus, non minus in mentem venit de doctrina, de litteris, de ſapientia habitatoris, quam de eorum, quorum effigies vident, in optimis quibuſque artibus ac diſciplinis aemulatione. Neque enim oculos tantum ſolent, ſed animos etiam menteſque paſcere, nec elingues ſunt, ut vulgo exiſtimantur, bonorum imagines, ſed ſuas & habent voces, vique arcana nervos ingenio addunt, & faces animo. Jam ſiquis tanti principis ſive ingenii vim, ſive doctrinae praeſtantiam ignoraret, domum duntaxat ejus ingrederetur, atque illam tam multam, tam variam, tam ſingularem imaginum pompam undique, & maximo quidem pretio, conquiſitam animadverteret, is profecto eundem & ingenua-

nuarum artium in gremio educatum, & ſine ulla dubitatione ſumma habere omnia exiſtimaret. Ac judicio ſane graviſſimo juſtiſſimoque. Id enim aſſequutus eſt, ut, quam ſemel inſtituit vivendi rationem, de ea non defatigatione poſſit, non infirma valetudine, non aetate depelli; conſpectus enim ille virorum doctrina principum, ac recordatio facit, ut etiam, quum ſolet animum a contentionibus relaxare, urgeat tamen propoſitum viro dignum, qui actionum conſiliorumque ſuorum veram ſapientiae laudem conſtituerit ſibi finem. Auguſtam ergo domum quicunque ingreditur, illud Plinii [a] libere uſurpet neceſſe eſt: *utinam nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulcrum, niſi imagines habeant*, & his quidem ſimiles, quae multo plus utilitatis afferunt, quam voluptatis.

XIX. Veterum ſuperſtitio ſupradictis honoribus, doctrinarum praeſtantiae dari ſolitis, hunc etiam addidit, pro illa temporum caecitate maxime familiarem, ut ſapientes nimirum Deorum ritu poſt mortem colerentur. Poetam Eutimum [b] ferunt ab hac lege fuiſſe immunem: oraculi enim juſſu vivens adhuc & conſecratus proditur, & inter Deos decreto civitatis publico numeratus. Secus ceteri, quibus hoc tantum obtigit jam vita functis. Dies me deficiet, ſi velim ſingulos recenſere. Praecipuos nominabo. Bianti philoſopho ſacellum [c] Prienei conſecraverunt, *Teutamium* nuncupatum. Ariſtoteles in templo aram Platoni dicavit, ſtatuamque hoc titulo inſignitam: *aram* [d] *Ariſtoteles hanc Platoni dicavit, viro, quem nefas a malis laudari*: eidem praeter Mithridatem, multi quoque reges, ac populi [e] aras & ſtatuas erexerunt: Ma-

gi

a *Lib. V. Epiſt.* 17.
b *Alex. Neap. Gen. Dier. VI.* 4.
c *Laert. in vit.*
d *Marſil. Ficin. in Vit. Platon.*
e *Diſſ. Carol. Patin. loc. cit.*

gi autem his honoribus non contenti ad ejus aras publice immolarunt, amplioris fuiſſe ſortis, quam humanae rati, quia conſummaviſſet numerum perfectiſſimum, quem novem novies multiplicata conficiunt: ejus demum aſſeclae natalitium, & poſtremum praeceptoris diem perpetuo ſacrum & ſolemnem publico dato epulo habuerunt, quem poſtea morem, ſed ab omni ſuperſtitione vacuum, teſte Marſilio Ficino, Laurentius Medices Florentinae reipublicae moderator, pro ſua in litteras ac litteratos munificentia convivio lautiſſimo renovavit. Quid Homerus? convertit Graeciam in ſui cultum ac ſpectaculum univerſam. Pauſanias [a] illius ſtatuam memorat in Jovis Olympici, & aliam aeneam [b] pro foribus templi Apollinis Delphici columnae impoſitam, inciſumque Apollinis reſponſum poetae redditum de ſua patria ſciſcitanti. Argivos Aelianus [c] ſcribit in ſacris advocare, velut hoſpites, Apollinem, & Homerum, ac utrunque pari honore proſequi conſueviſſe. Demum praeter urbes ejus de natalibus decertantes, alii quoque populi delubra eidem, & ſacra in templis pulvinaria [d] dedicaverunt. Singularis quoque is fuit honor, quod doctorum imagines juxta Deos collocarentur. Demoſthenis ſtatua ad aram duodecim Deorum extitit, manu atque opera Polyeucti, & ita inſcripta: *Demoſthenes* [e] *Antipatro ſalutem dicit*. Statuam Iſocratis aeream, Leocharis opus, in [f] Eleuſine poſuit Timotheus Cononis filius; Apharetus autem ſimulacrum quoque aeneum columnae ſuperimpoſitum in templo Rheae cognomento Olympiae [g] collocavit. At Demonactis memo-

a *In Eliac.*
b *In Phocic. vid. Fulv. Urſin. in Hom. imag.*
c *Lib. IX. Var. 15.*
d *Spanhem. Ill. & Leo Allat.*
e *Plutarch. de X. Orat.*
f *Ibid.*
g *Pauſan. in Attic.*

moriam ita Athenienſes [a] coluerunt, ut ſedem lapideam, ubi quieſcere conſueverat, adorarent coronarentque, rati ſacrum eſſe vel ipſum lapidem, in quo ſediſſet. Hippocrati honores, quos Herculi, decrevit Graecia [b], conſueta non viros modo, quorum doctrinam ſibi ſalutarem experta fuerat, ſed libertos etiam Caeſareos ſolo potentes vitio conſecrare.

XX. Epicuro aeque Graeci, ac Latini ſacra fecerunt, ejus vultus ſecum per cubicula circumferendo, natali ejus viceſima luna ſacrificando, feriaſque omni menſe, quas vocabant icadas, cuſtodiendo. Ex Latinis nemo tantum honoris, quantum Virgilius, nactus eſt, ac inter ſui cultores habuit obſequentiſſimos Silium Italicum, & Alexandrum Severum: ſiquidem alter Plinii [c] teſtimonio multum habebat ſtatuarum, multum imaginum, neque habebat ſolum, verum etiam venerabatur, Virgilii ante omnes, cujus natalem religioſius celebrabat, quam ſuum: alter ejuſdem auctoris, quem *Platonem poetarum* vocabat, imaginem cum Ciceronis ſimulacro in ſuo larario dicatam [d] quotidie ſalutabat. M. Antoninus philoſophus [e] tantum reverentiae habuit magiſtris ſuis, ut imagines eorum aureas in larario haberet, eaſdemque hoſtiis, & floribus honoraret. Neque praetermittendus eſt honor, quem Polla, femina apud Sidonium [f] doctrinae laudibus valde celebris, Lucano conjugi habuiſſe legitur.

Haec te non thyaſis procax doloſa
Falſi numinis induit figura;
Ipſum ſed colit, & frequentat ipſum
Imis altius inſitum medullis,

Ac

a *Lucian. in Demonact.*
b *Plin. H N. VII. 37. & XXXV. 2.*
c *Epiſt. III. 7.*
d *Lamprid. in vit.*
e *Jul. Capitol. in vit.*
f *Silv. II. 7.*

Ac ſolatia vana ſubminiſtrat
Vultus, qui ſimili notatus auro
Stratis praenitet, incubatque ſomno.

Mos quoque Romanorum, uti Graecorum fuit, in alicujus merito honorando, ponere illius ſtatuam juxta deos. Hoc medico Antonio Muſae datum eſt, cujus opera Auguſtus ex ancipiti morbo convaluerat, ideoque ejus ſtatuam ex aere collato [a] juxta ſignum Aeſculapii poſitam Tranquillus narrat. Hactenus enunciata, quaecunque ſint, in ſtomacho tamen ridere ſinunt; quod autem ſequitur, erumpere ſtomachum plane jubet. Apollonii Tyanei, qui magicas fraudes ſuas veris Chriſti miraculis impudentiſſime opponebat, imaginem in multis templis fuiſſe poſitam Vopiſcus tradit, qui [b] ſi illius vitam, ut promiſerat, memoriae tradidiſſet, mendacia erat, ut inquit praeclare [c] Voſſius, *magnis follibus ſpiraturus*. Nam hominum, quotquot ea aetas tulit, improbiſſimum, *amicum Deorum* nuncupat, & *quo nihil ſanctius, venerabilius, divinius inter homines fuit*, additque vitam mortuis reddidiſſe, & alia ultra homines dixiſſe plurima, & feciſſe. De honoribus, qui in homines olim doctrina celebres domi foriſque tum privatorum judicio, tum regum liberalitate collati ſunt, alia recenſeri facile poſſent aeque volentibus obvia, ac nolentibus: ſed ego haec tantum pauca ad eorum ſepulcra, vel imagines pertinentia commemoravi, quia inſcriptiones, quae ſequuntur, eorundem aut ſepulcris, aut imaginibus inſculptae ſunt. Interea porro nonnihil vereor, ne quis mihi ſuccenſeat, quum ſervorum libertorumque titulos in II. Vol. in aliam claſſem congeſſerim, aliquos in hanc ipſam ſervili e genere adſciſcere

a *Suet. Aug.* 59. b *In Div. Aurel. init.* c *De Hiſtor. Latin. II.* 7.

non dubitaverim. At cur, obſecro, jugo a natura impoſito ſubjacentes liberorum conſortio indignos exiſtimemus? quum praeſertim eorum ſervitus non voluntati, ſed neceſſitati tribuenda ſit, quarum altera ut ludibrio, ſic laudi altera verti ſolet, ſi quantum habuit a fortuna dedecoris, tantum ſibi gloriae comparaverit ab optimis diſciplinis, quas ideo liberales nuncupavere majores noſtri, quod animum efficiant liberum ab omni anguſtia & turpitudine. Liber igitur & haberi, & eſſe debet, qui libero animo ſervus eſt, ac prudentia poteſt hominibus etiam liberis imperare. Ex hoc porro fuiſſe numero Phaedonem, Menippum, Epictetum, & alios minime ignoramus, qui nati ſervili e genere [a] philoſophi nobiles extiterunt. Si carum praeterea Cicero Tyronem habuit, eundemque ſibi delegit in litteris adjutorem, libris de uſu ac ratione linguae latinae, itemque de variis quaeſtionibus praeclariſſimum: ſi jucundiſſimus fuit Antiſtio Veteri Tullius Laurea, qui & unus e Ciceronis libertis fuit, & quantum politiore litteratura praeſtiterit, illud oſtendit carmen in Cl. IX. ita elegans, ut ipſo quoque in miniſterio eluceat Ciceroniana majeſtas: ſi M. Varro Menippi librum in ſatiris aemulatus eſt, quas ideo, quum alii Cynicas, ipſe [b] Menippeas appellavit: ſi demum divinus ille Plato doctiſſimum de animae immortalitate librum Phaedonis nomini dedicavit, quid ego verear libertos aliquos eloquentia doctrinaque ſpectabiles e grege mancipiorum viliſſimo ſegregare? Verum plura in hanc rem congeri vetat Minucius Felix, cujus eſt ſententia plane aurea: *Faſcibus & purpuris gloriaris? vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpura, mente ſordeſcere*.

CLAS-

a *A. Gell. Noct. Att. II. 18.* b *Gell. loc. cit. & Caſaubon. de Sat. Rom. II.*

CLASSIS V.

Virorum Feminarumque Doctrina Illuſtrium Monumenta.

I.

Ad Muſaei ſepulcrum. *Ex Laert. Prooem. init.*

ΕΥΜΟΛΠΟΥ ΦΙΛΟΝ ΥΟΝ ΕΧΕΙ ΤΟ ΦΑΛΗΡΙΚΟΝ ΟΥΔΑΣ
ΜΟΥΣΑΙΟΝ ΦΘΙΜΕΝΟΝ ΣΩΜ' ΥΠΟ ΤΩΙ ΔΕ ΤΑΦΩΙ

Εὐμόλπου φίλον υἱὸν ἔχει τὸ φαληρικὸν οὖδας,
Μουσαῖον φθίμενον σῶμ' ὑπὸ τῷ δὲ τάφῳ.

Sic vertit Frater Ambroſius.

Eumolpi exanimem Muſaeum terra Phalera
Claudit in hoc tumulo pignora cara patris.

Muſaeus Eumolpi filius Sphaeram primus, & Deorum geneſim verſibus explicavit, atque facta omnia ex uno in idem reſolvi docuit. Diodorus filium Orphei, Svidas Eumolpi patrem, & filium Antipheni fuiſſe memorant, aliique alia. Voſſius *lib. de Muſica* hunc diſtinguit a Muſaeo, qui fuit Orpheo aequalis, de quo Ariſtoteles *Polit. VIII.* & *Virg. Aen. VI.* Vid. *Aegid. Menag. in Laert. loc. cit.*

I I.

Lini cippo. *Ibid. p.* 3.

ΩΔΕ ΛΙΝΟΝ ΘΗΒΑΙΟΝ ΕΔΕΞΑΤΟ ΓΑΙΑ ΘΑΝΟΝΤΑ
ΜΟΥΣΗΣ ΟΥΡΑΝΙΗΣ ΥΟΝ ΕΥΣΤΕΦΑΝΟΥ

Ὧδε Λίνον Θηβαῖον ἐδέξατο γαῖα θανόντα,
Μούσης Οὐρανίης υἱὸν ἐϋστεφάνου.

Idem *pag.* 3.

Candida purpureis redimitum tempora ſertis
Thebanum Uraniae continet urna Linum.

Laertius Linum Mercurio, & Urania genitum, Virgilius *Eclog. IV.* filium dicit Apollinis. Multa de mundo, de

 fide-

ſideribus, de animantibus, frugibuſque ſcripſit, & operi hoc initium fecit:

Tempus erat, quo cuncta ſimul ſunt edita quondam.

Hunc ſequutus Anaxagoras omnia ſimul condita adſeruit. Vid. *Cic. de Univerſ. & II. Quaeſt. Academ.* Varias de Lino opiniones Menagius ibidem colligit.

III.

Ibidem.

ΘΡΗΙΚΑ ΧΡΥΣΟΛΥΡΗΝ ΤΗΔ' ΟΡΦΕΑ ΜΟΥΣΑΙ ΕΘΑΨΑΝ
ΟΝ ΚΤΑΝΕΝ ΥΨΙΜΕΔΩΝ ΖΕΥΣ ΨΟΛΟΕΝΤΙ ΒΕΛΕΙ.

Θρήϊκα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα μοῦσαι ἔθαψαν,
Ὃν κτάνεν ὑψιμέδων. Ζεὺς ψολόεντι βέλει.

Ambroſius *p.* 4.

Orphea candenti trajectum fulmine Thracem
Cum aurata Aonides hic poſuere lyra.

Quem hic fulmine tactum legis, alii ab Hercule, a canibus alii, alii a Maenadibus dilaceratum ferunt. A philoſophorum albo deletus fuiſſe dicitur, quod Diis tribuerit humanas perturbationes.

IV.

Ad Thaletis imaginem. *Ex Laert. lib. I. p.* 9.

ΤΟΝΔΕ ΘΑΛΗΝ ΜΗΛΗΤΟΣ ΙΑΣ ΘΡΕΨΑΣ' ΑΝΕΔΕΙΞΕΝ
ΑΣΤΡΟΛΟΓΟΝ ΠΑΝΤΩΝ ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΝ ΣΟΦΙΑΙ

Τόνδε Θαλῆν Μήλητος Ἰὰς θρέψας, ἀνέδειξεν
Ἀστρολόγον πάντων πρεσβύτατον σοφίᾳ.

Idem *p.* 20.

Hunc quoque nutrivit Mileſia terra Thaletem:
Aſtrologum primi nominis ipſa facit.

V.

Ad ejuſdem ſepulcrum. *Ibid.*

Η ΟΛΙΓΟΝ ΤΟ ΔΕ ΣΗΜΑ ΤΟ ΔΕ ΚΛΕΟΣ ΟΥΡΑΝΟΜΗΚΕΣ
ΤΩ ΠΟΛΥΦΡΟΝΤΙΣΤΩ ΤΟΥΤΟ ΘΑΛΗΤΟΣ ΟΡΗ.

Ἦ ὀλίγον τὸ δὲ σῆμα, τὸ δὲ κλέος οὐρανόμηκες
Τῷ πολυφροντίστῳ τοῦτο Θάλητος ὅρη.

Idem

Idem. *p.* 23.

Nempe hic exiguus tumulus, ſed ſidera ſcandit
Gloria, ſunt cujus haec monumenta Thalae.

Primus hic ſapiens vocatus eſt, urſa minore, ſolis curſu ac defectu, orbis lunaris magnitudine, animae immortalitate cognita celebratus, & in dimidio circulo trigoni rectanguli deſcriptione, quam Cicero de N. D. III. Pythagorae tribuit. Ipſius haec habe monita. *Noſce te ipſum. Amicorum praeſentium, & abſentium memor eſto. Optime ac juſtiſſime vitam ages, ſi, quae in aliis reprehendis, ipſe non facias.*

V I.

Solonis imagini. *Laert. Lib. I. p.* 15.

Η ΜΗΔΩΝ ΑΔΙΚΟΝ ΠΑΥΣΑΣ ΥΒΡΙΝ ΗΔΕ ΣΟΛΩΝΑ
ΤΟΝ ΔΕ ΤΕΚΝΕΙ ΣΑΛΑΜΙΣ ΘΕΣΜΟΘΕΤΗΝ ΙΕΡΟΝ.

Ἡ Μήδων ἄδικον παύσας ὕβριν, ἥδε Σόλωνα
Τόν δε τεκνεῖ Σαλαμὶς θεσμοθέτην ἱερόν.

Idem *p.* 57.

Quae dudum inſanas Medorum propulit iras,
Legiferum Salamis pulcra Solona parit.

Solonis haec in primis feruntur ſapienter dicta. *Nihil nimis. Amicos cito noli parare, quos autem paraveris, ne rejicias. Conſule non quae ſuaviſſima, ſed quae ſunt optima. Tunc rege, quum primum didiceris obedire.*

V I I.

Ad Chilonis imaginem. *Ibid. p.* 18.

ΤΟΝ ΔΕ ΔΟΡΥΣΤΕΦΑΝΟΣ ΣΠΑΡΤΑ ΧΕΙΛΩΝ' ΕΦΥΤΕΥΣΕΝ
ΟΣ ΤΩΝ ΕΠΤΑ ΣΟΦΩΝ ΠΡΩΤΟΣ ΕΦΥ ΣΟΦΙΗΙ

Τόν δε δορυστέφανος Σπάρτα Χείλων' ἐφύτευσεν,
Ὃς τῶν ἑπτὰ σοφῶν πρῶτος ἔφυ σοφίῃ.

Ambroſ. *p.* 45.

Hic ſapiens forti natus Lacedaemone Chilon,
Qui è numero ſeptem maximus unus erat.

Chilonis inter ceteras ea maxime ſententia placuit: *lapideis cotibus examinari aurum; auro mentem hominum, cujuſmodi ſit, comprobari.*

VIII.

V I I I.

In Pittaci ſepulcro . *Ibid. p.* 20.

ΟΙΚΕΙΟΙ ΔΑΚΡΥΟΙΣΙ ΛΙΓΑΙΝΟΜΕΝ Η ΚΑΤΑΚΛΑΙΕΙ
ΕΝΘΑΔΕ ΠΙΤΤΑΚΟΝ ΗΔ᾽ ΙΕΡΑ ΛΕΣΒΟΣ

Οἰκεῖοι δακρύοισι λιγαίνομεν, ἢ κατακλαίει
Ἐνθάδε Πιττακὸν ἠδ᾽ ἱερὰ Λέσβος.

Idem *p.* 49.

Condidit hoc tumulo lacrimis te, Pittace, Lesbos
Sacra ſuis, obitu languida facta tuo.

Pittacus armis & prudentia clarus, Croeſi pecunia recuſata clarior, filii ſui interfectorem abſolvit poena, ſcripſitque ad ſexcentos elegos verſus, & civibus leges tulit. Praecipue feruntur ejus iſtae ſententiae. *Principatus virum declarat. Depoſitum quum acceperis, redde. Amico noli maledicere, ne inimico quidem. Tempus noſce.*

I X.

Biantis tumulo. *Ibid. p.* 22.

ΚΛΕΙΝΗΣ ΕΝ ΔΑΠΕΔΟΙΣΙ ΠΡΙΗΝΗΣ ΦΥΝΟΤΑ ΚΑΛΥΠΤΕΙ
Η ΔΕ ΒΙΑΝΤΑ ΠΕΤΡΑ ΚΟΣΜΟΝ ΙΩΣΙ ΜΕΓΑΝ

Κλεινῆς ἐν δαπέδοισι Πριήνης φυνότα καλύπτει
Ἡ δὲ Βίαντα πέτρα, κόσμον Ἴωσι μέγαν.

Ambroſ. *p.* 54.

Petra Prienenſem tegit haec bene culta Biantem,
Ornamentum ingens qui fuit Joniis.

Bias patriae defenſor egregius, & vehemens orator, dicendi vim ſemper in bonam partem ſolitus exercere, feliciter cauſa pro amico dicta, nepotis in gremio efflavit animam. Impiis inter maris procellas Deos invocantibus, *ſilete*, inquit, *ne vos hic illi navigare ſentiant.*

X.

In Cleobuli ſepulcro. *Ibid. p.* 24.

ΑΝΔΡΑ ΣΟΦΟΝ ΚΛΕΟΒΟΥΛΟΝ ΑΠΟΦΘΙΜΕΝΟΝ ΚΑΤΑΠΕΝΘΕΙ
ΗΔΕ ΠΑΤΡΑ ΛΙΝΔΟΣ ΠΟΝΤΩΙ ΑΓΑΛΛΟΜΕΝΗ

Ἄνδρα σοφὸν Κλεόβουλον ἀποφθίμενον καταπενθεῖ
Ἥδε πάτρα Λίνδος, πόντῳ ἀγαλλομένη.

Idem

Idem *p.* 60.

Extinctum luget Cleobulum patria Lindus,
Patria quae medio eſt undique cincta mari.

Cleobulus philoſophiae gratia Aegyptum adiit: filiam habuit Cleobulinam, exametrorum aenigmatum vatem: ſcripſit ad tria millia verſuum. Ejus habe perbrevem hanc ſententiam. *Modus optimus.*

X I.

Corinthii in Periandri honorario ſepulcro.

Laert. ibid. p. 25.

ΠΛΟΥΤΟΥ ΚΑΙ ΣΟΦΙΗΣ ΠΡΥΤΑΝΙΝ ΠΑΤΡΙΣ ΗΔΕ ΚΟΡΙΝΘΟΣ
ΚΟΛΠΟΙΣ ΑΓΧΙΑΛΟΙΣ ΓΗ ΠΕΡΙΑΝΔΡΟΝ ΕΧΕΙ

Πλούτου καὶ σοφίης πρύτανιν πατρὶς ἥδε Κόρινθος
Κόλποις ἀγχιάλοις γῆ Περίανδρον ἔχει.

Ambroſ. *p.* 62.

Et ſophia & nummis Periandrum terra Corinthus
Clarum litoreo continet alma ſinu.

Periandros legitur fuiſſe duos, tyrannum alterum, & Corinthium, alterum vero ſapientem, & Ambraciotem. Ariſtoteles tyrannum a ſapiente non diſtinguendum aſſerit, Plato negat. Illius quidem crudelitas vix videtur in virum ſapientem cadere potuiſſe: ſiquidem & conjugem gravidam calcibus necavit, & puerum Lycophronem matri fletu juſta ſolventem abdicavit. Ejuſdem mors, & quae de ſepulcro traduntur, a ſapiente abhorrent; hoc autem epitaphium ad philoſophum, & Corinthium pertinere res ipſa loquitur.

X I I.

Anaxagorae cippo. *Ibid. lib. II.*

ΕΝΘΑΔΕ ΠΛΕΙΣΤΟΝ ΑΛΗΘΕΙΑΣ ΕΠΙ ΤΕΡΜΑ ΠΕΡΗΣΑΣ
ΟΥΡΑΝΙΟΥ ΚΟΣΜΟΥ ΚΕΙΤΑΙ ΑΝΑΞΑΓΟΡΑΣ

Ἐνθάδε πλεῖστον ἀληθείας ἐπὶ τέρμα περήσας
Οὐρανίου κόσμου κεῖται Ἀναξαγόρας.

Idem *p.* 89.

Hic ſitus ille eſt, cui rerum patuere receſſus,
Atque arcana poli, magnus Anaxagoras.

Ana-

Anaxagoras philoſophus, hiſtoricus, & dux nobilis fuit, cujus opus de Oeconomia M. Cicero latinitate donavit. Dicitur Thucididis libros, quum facile ſubducere, aut ſibi tribuere poſſet, in lucem primus omnium edidiſſe. Vid. plura apud *Gell. XIV.* 3. & *Laert.*, qui hunc muſam Atticam appellatum ſcribit, & ſeptem numerat Anaxagoras.

XIII.

Platonis cippo. *Laert. lib. III. p.* 80.

ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΙ ΠΡΟΦΕΡΩΝ ΘΝΗΤΩΝ ΗΘΕΙ ΤΕ ΔΙΚΑΙΩΙ
ΕΝΘΑΔΕ ΔΗ ΚΕΙΤΑΙ ΔΙΟΣ ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΗΣ
ΕΙ ΔΕ ΤΙΣ ΕΚ ΠΑΝΤΩΝ ΣΟΦΙΗΣ ΜΕΓΑΝ ΕΣΧΕΝ ΕΠΑΙΝΟΝ
ΤΟΥΤΟΝ ΕΧΕΙ ΠΛΕΙΣΤΟΝ ΚΑΙ ΦΘΟΝΟΣ ΟΥΧ' ΕΠΕΤΑΙ

Σωφροσύνῃ προφέρων θνητῶν ἤθει τε δικαίῳ,
Ἐνθάδε δὴ κεῖται δῖος Ἀριστοκλέης.
Εἰ δέ τις ἐκ πάντων σοφίης μέγαν ἔσχεν ἔπαινον,
Τοῦτον ἔχει πλεῖστον, καὶ φθόνος οὐχ' ἕπεται.

Ambroſ. *p.* 188.

Juſtitia cunctis praeſtans vitaque modeſta
Hoc ſitus in tumulo divus Ariſtoclees.
Si quenquam ad magnos ſapientia vexit honores,
Hunc citra invidiam vexit & ipſa virum.

XIV. *Ibid.*

ΓΑΙΑ ΜΕΝ ΕΝ ΚΟΛΠΩΙ ΚΡΥΠΤΕΙ ΤΟΔΕ ΣΩΜΑ ΠΛΑΤΩΝΟΣ
ΨΥΧΗ Δ' ΑΘΑΝΑΤΟΝ ΤΑΞΙΝ ΕΧΕΙ ΜΑΚΑΡΩΝ
ΥΙΟΥ ΑΡΙΣΤΟΝΟΣ ΤΟΝ ΤΙΣ ΚΑΙ ΤΗΛΟΘΙ ΝΑΙΩΝ
ΤΙΜΑΙ ΑΝΗΡ ΑΓΑΘΟΣ ΘΕΙΟΝ ΙΔΟΝΤΑ ΒΙΟΝ

Γαῖα μὲν ἐν κόλπῳ κρύπτει τόδε σῶμα Πλάτωνος,
Ψυχὴ δ' ἀθάνατον τάξιν ἔχει μακάρων·
Υἱοῦ Ἀρίστωνος, τόν τις καὶ τηλόθι ναίων·
Τιμᾷ ἀνὴρ ἀγαθὸς θεῖον ἰδόντα βίον.

Idem *p.* 189.

Corpus habet gremio contectum terra Platonis,
Mens ſed habet ſuperum tecta beata Deum.
Divinum quem jam veneratur quiſquis honeſtus,
Et probus eſt, cujus vel procul eſt regio.

XV.

X V.

Aliud recentius *ibid.*

ΑΙΕΤΕ ΤΙΠΤΕ ΒΕΒΗΚΑΣ ΤΠΕΡ ΤΑΦΟΝ Η ΤΙΝΟΣ ΕΙΠΕ
ΑΣΤΕΡΟΕΝΤΑ ΘΕΩΝ ΟΙΚΟΝ ΑΠΟΣΚΟΠΕΕΙΣ
ΨΤΧΗΣ ΕΙΜΙ ΠΛΑΤΩΝΟΣ ΑΠΟΠΤΑΜΕΝΗΣ ΒΙΣ ΟΛΤΜΠΟΝ
ΕΙΚΩΝ ΣΩΜΑ ΔΕ ΤΟΤ ΓΗΓΕΝΕΣ ΑΤΘΙΣ ΕΧΕΙ

Αἰετὲ, τίπτε βέβηκας ὑπὲρ τάφον; ἢ τίνος, εἰπὲ,
Ἀστερόεντα θεῶν οἶκον ἀποσκοπέεις;
Ψυχῆς εἰμὶ Πλάτωνος ἀποπταμένης εἰς ὄλυμπον
Εἰκὼν, σῶμα δὲ τῦ γηγενὲς Ἀτθὶς ἔχει,

Ambroſ. *p.* 189.

Quid monumenta ſuper, volucrum regina volaſti?
Tu mibi dic ſuperum quam tueare domum?
Diva ego ſublimi in caelum feror umbra Platonis,
At corpus terrenum Attica ſervat humus.

Platoni aram, & hunc titulum dicavit Ariſtoteles oblitus veterum diſſidiorum, quorum cauſam Aelianus tribuit barbae, & capillis, quod Plato tonderi radique mallet, longiuſculis propexiſque gauderet crinibus Ariſtoteles. Inter alia epitaphia hoc etiam fertur: Phoebus Aeſculapium genuit, & Platonem, ut ille corporibus, hic animis mederetur. Platonis imaginem, cui ſimilem neque Urſinus, neque Cauſeus, neque Gronovius praebuerunt, videre ſi cupias, adi Collect. Antiq. Rom. Abb. Rodulphini Venuti, ubi magnus philoſophus extat capite diademato, & coma nitidiſſime culta, barbaque ad pectus prolixa, qualis deſcribitur ab Aeliano.

X V I.

Aeneae Diogenis ſtatuae.

Laert. lib. VI. pag. 156.

ΓΗΡΑΣΚΕΙ ΚΑΙ ΧΑΛΚΟΣ ΤΠΟ ΧΡΟΝΟΤ ΑΛΛΑ ΣΟΝ ΟΤΤΙ
ΚΗΔΟΣ Ο ΠΑΣ ΑΙΩΝ ΔΙΟΓΕΝΕΣ ΚΑΘΕΛΕΙ
ΜΟΤΝΟΣ ΕΠΕΙ ΒΙΟΤΑΣ ΑΤΤΑΡΚΕΑ ΔΟΞΑΝ ΕΔΕΙΞΑΣ
ΘΝΗΤΟΙΣ ΚΑΙ ΖΩΗΣ ΟΙΜΟΝ ΕΛΑΦΡΟΤΑΤΑΝ

Γηράσκει καὶ χαλκὸς ὑπὸ χρόνε· ἀλλὰ σὸν ὅτι
Κῦδος ὁ πᾶς αἰὼν Διόγενες καθελεῖ·

Μοῦνος ἐπεὶ βιοτᾶς αὐτάρκεια δόξαν ἔδειξας
Θνητοῖς καὶ ζωῆς οἶμον ἐλαφροτάταν.

Ambroſ. *p.* 357.

Aera quidem abſumit tempus, ſed tempore nunquam
Interitura tua eſt gloria Diogenes.
Quandoquidem ad vitam miſeris mortalibus aequam
Monſtrata eſt facilis te duce & ampla via.

Diogenes Sinope relicta patria, vix Antiſtheni adhaeſit Cynicorum principi, dolio pro domo uſus in canis & nomen, & indolem degeneravit. Tametſi ab ejus latratu nemo immunis eſſet, eum tamen Philippus, Alexander, Antipater, Euclides, Plato, Demoſthenes familiariter adierunt, incertum ridendine, ac cognoſcendi cauſa ſpecimen hominis memorandum.

XVII.

Syracuſis ad ſtatuam Epicharmi philoſophi.

Laert. lib. VIII. p. 232.

ΕΙ ΤΙ ΠΑΡΑΛΛΑΣΣΕΙ ΦΑΕΘΩΝ ΜΕΓΑΣ ΑΛΙΟΣ ΑΣΤΡΩΝ
ΚΑΙ ΠΟΝΤΟΣ ΠΟΤΑΜΩΝ ΜΕΙΖΟΝ ΕΧΕΙ ΔΥΝΑΜΙΝ
ΦΗΜΙ ΤΟΣΟΥΤΟΝ ΕΓΩ ΣΟΦΙΑΙ ΠΡΟΕΧΕΙΝ ΕΠΙΧΑΡΜΟΝ
ΟΝ ΠΑΤΡΙΣ ΕΣΤΕΦΑΝΩΣ ΑΔΕ ΣΥΡΗΚΟΣΙΩΝ

Εἴ τι παραλλάσσει Φαέθων μέγας ἅλιος ἄστρων
Καὶ πόντος ποταμῶν μεῖζον ἔχει δύναμιν·
Φημὶ τοσοῦτον ἐγὼ σοφίᾳ προέχειν Ἐπίχαρμον
Ὃν πατρὶς ἐστεφάνωσ᾽ ἅδε Συρηκοσίων.

Idem *p.* 514.

Quantum ſol vincit ſublimis ſidera caeli,
Quanta vis pelago major ineſt fluviis:
Tantum ego profiteor ſophia praeſtare Epicharmum,
Cui Syracuſa comis patria ſerta dedit.

Epicharmus Cous Pythagorae auditor commentaria cum notis de rerum natura, de ſententiis, de medicina reliquit; obiit anno aetatis nonageſimo.

XVIII.

Chryſippi imagini. *Plutarch. de Stoic. Repugn. p.* 1033.

ΤΟΝ ΔΕ ΝΕΟΝ ΧΡΥΣΙΠΠΟΝ ΑΡΙΣΤΟΚΡΕΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ
ΤΩΝ ΑΚΑΔΗΜΙΑΧΩΝ ΣΤΡΑΓΓΑΛΙΔΩΝ ΚΟΠΙΔΑ

Τὸν δὲ νέον Χρύσιππον Ἀριστοκρέων ἀνέθηκε
Τῶν Ἀκαδημιαχῶν στραγγαλίδων κοπίδα.

Xylander.

Hunc Academiacos ſolitum diſcindere nexus
Chryſippum juvenem ponit Ariſtocreon.

Ariſtocreon Chryſippi diſcipulus perfamiliaris aeream ejus imaginem in columna his elegis inſcriptam poſuit. Hic ille Chryſippus ſtoicorum princeps, qui regiam & civilem laudabat vitam, nihil ſcholaſticam a voluptaria differre ratus: ejus de morte diſſenſio eſt, aliis eam vino tribuentibus, aliis riſui: demortuo ſtatuam in Ceramico Athenis poſitam fuiſſe teſtatur Cicero *l. de Fin.*

XIX.

Iſocratis ſtatuae. *Plutarch. de X. Orat. p.* 838.

ΤΙΜΟΘΕΟΣ ΦΙΛΙΑΣ ΤΕ ΧΑΡΙΝ ΞΕΝΙΗΝ ΤΕ ΠΡΟΤΙΜΩΝ
ΙΣΟΚΡΑΤΟΙΣ ΕΙΚΩ ΤΗΝ Δ' ΑΝΕΘΗΚΕ ΘΕΑΙΣ
ΛΕΩΧΑΡΟΙΣ ΕΡΓΟΝ

Τιμόθεος φιλίας τε χάριν, ξενίην τε προτιμῶν
Ἰσοκράτοις εἰκὼ τὴν δ' ἀνέθηκε Θεαῖς.
Λεωχάροις ἔργον.

Xylander.

Dedicat Iſocratis ſtatuam ſacratque Deabus
Hoſpitii & ſtudii nomine Timotheus.
Leocharis opus.

XX.

In columna. *Plutarch. ibid. p.* 839.

ΙΣΟΚΡΑΤΟΙΣ ΑΦΑΡΕΥΣ ΠΑΤΡΟΣ ΕΙΚΟΝΑ ΤΗΝ Δ' ΑΝΕΘΗΚΕ
ΖΗΝΙ ΘΕΟΙΣ ΤΕ ΣΕΒΩΝ ΚΑΙ ΓΟΝΕΩΝ ΑΡΕΤΗΝ

Ἰσοκράτοις Ἀφαρεὺς πατρὸς εἰκόνα τὴν δ' ἀνέθηκε
Ζηνὶ, Θεοῖς τε σέβων καὶ γονέων ἀρετήν.

Xylander.

Iſocratis Aphareus patris hoc poſuit ſimulacrum,
Divos, atque Jovem venerans, meritoſque parentes.

De Iſocratis honoribus jam ſatis multa in diſſert.

XXI.

Plutarch. in Demoſthenis vit.

ΕΙΠΕΡ ΙΣΗΝ ΡΩΜΗΝ ΓΝΩΜΗΙ ΔΗΜΟΣΘΕΝΕΣ ΕΙΧΕΣ
ΟΥ ΠΟΤ᾽ ΑΝ ΕΛΛΗΝΩΝ ΑΡΞΕΝ ΑΡΗΣ ΜΑΚΕΔΩΝ.

Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ Δημόσθενες εἶχες,
Οὔ ποτ᾽ ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν ἄρης Μακεδών.

Xylander.

Hic ſi quantum animo, tantum valuiſſet & armis,
Graecorum haud Macedo perdomuiſſet opes.

Ita inſcriptum Athenis fuit ſtatuae potentiſſimi oratoris, cujus imago, tam olim celebris in bibliothecis, non eſſet reliqua, niſi una in Hiſpaniis Tarraco interceſſiſſet, cujus in ſuburbano inventa eſt in diſco marmoreo, & ad Fulvium Urſinum miſſa ab Antonio Auguſtino. Apud Rodulphinum Venutum elegantiſſimi marmoris ſpecimen adſervatur, in quo Demoſthenes ſedet more philoſophico indutus in ſella cum epigraphe: ΔΗΜΩΣΘΕΝ. ΕΠΙΒΟΜΙΩΣ. In Sicilia eſt ejuſdem haec inſcriptio inventa: ΔΗΜΟΣΘΕΝΗ ΑΡΧΕΒΟΥΛΑΣ ΧΑΙΡΕ, *Demoſthenes princeps ſenatus vale. Murat. T. II. Cl.X.*

XXII.

Ex marmoribus Taurinenſibus *p.* 169.

ΟΜΗΡΟΣ

ΗΡΩΩΝΚΑΡΥΚΑΑΡΕΤΑΣΜΑΚΑΡΩΝΤΕΠΡΟΦΗΤΑΝ
ΕΛΛΑΝΩΝΔΟΞΗΣΔΕΥΤΕΡΟΝΑΕλΙΟΝ
ΜΟΥΣΕΩΝΦΕΓΓΟϹΟΜΗΡΟΝΑΓΗΡΑΤΟΝϹΤΟΜΑΚΟΣΜΟΥ·
ΠΑΝΤΟΣΟΡΑΣΤΟΥΤΩΝΔΑΙΔΑΛΟΝΑΡΧΕΤΥΠΟΝ

ΟΥΧΕΟΟΣΕΣΤΙΝΕΜΟΙΦΡΑΖΕΙΝΙΕΝΟΣΟυΔΟΝΟΜΑΥΤΟ·
ΝυΝΔΕΝΕΚΑΙΑΤΑΝΟΥΠΑΝΤΑΣΑΟΩΣΕΡΕΩ
ΠΑΤΡΙΣΜΟΙΧΟΩΝΠΑΣΑΤΟΔΟΥΝΟΜΑΦΑΣΙΝΟΜΗΡΟΝ
ΕΣΤΙΔΕΜΟΥΣΑΩΝΟΥΚΕΜΟΝΟΥΔΕΝΕΠΟΣ.

ΕΙΜΕ-

ΕΙΜΕΝΟΝΗΤΟΣΕΦΥΣΠΩΣΑΘΑΝΑΤΟΝΣΕΕΠΟΙΗΣΑΝ
ΜΟΥΣΑΙΚΑΙΜΟΙΡΩΝΝΗΜΑΑΝΕΚΛΩΣΑΝΑΝΑΞ
ΕΙΔΗΣΘΑΑΘΝΑΙΟΣΠΩΣΕΝΘΝΗΤΟΙΣΣΕΑΡΙΘΜΟΥΣΙΝ
ΟΥΜΑΣΕΤΑΥΤΕΧΡΗΝΣΕΜΝΕΠΟΙΗΤΑΦΡΟΝΕΙΝ
ΗΑΛΛΕΙΝΩΝΤΟΑΛΗΘΕΣΕΠΕΙΤΟΣΑΦΕΣΔΙΑΘΕΥΓΕΙ
ΑΝΘΡΩΠΟΝΦΑΣΙΝΘΕΙΕΣΕΟΜΗΡΕΠΕΛΕΙΝ

Hangenbuchius in *Epiſt. Epigraph. p.* 152. ita emendat: paulo aliter in *marm. Taurinenſ.*

Ὅμηρος.

Ἡρώων κάρυκ᾽ ἀρετᾶς μακάρων τε προφήταν,
Ἑλλάνων δόξης δεύτερον ἀέλιον,
Μουσέων φέγγος, Ὅμηρον ἀγήρατον στόμα κόσμου
1. Παντὸς ὁρᾷς, τοῦτον δαίδαλον ἀρχέτυπον.

Οὐκ ἔθος ἐστὶν ἐμοὶ φράζειν γένος, οὐδ᾽ ὄνομ᾽ αὐτό,
2. Νῦν δ᾽ ἕνεκ᾽ Αἰλιανοῦ πάντα σαφῶς ἐρέω.
Πατρίς μοὶ χθὼν πᾶσα, τὸ δ᾽ οὔνομα φάσιν Ὅμηρον·
Ἐστὶ δὲ Μουσάων, οὐκ ἐμὸν οὐδὲν ἔπος.

Εἰ μὲν θνητὸς ἔφυς, πῶς ἀθάνατον σ᾽ ἐποίησαν
Μοῦσαι, καὶ μοιρῶν νῆμ᾽ ἀνέκλωσαν; ἄναξ.
Εἰ δ᾽ ἦσθ᾽ ἀθάνατος, πῶς ἐν θνητοῖς σ᾽ ἀριθμοῦσιν;
Οὐ μά σε ταῦτ᾽ ἐχρῆν, σεμνὲ ποιητά, φρονεῖν.
Ἀλλ᾽ ἔγνων τὸ ἀληθὲς, ἐπεὶ τὸ σαφὲς διαφεύγει·
Ἄνθρωπον φάσιν, θεῖε σ᾽, Ὅμηρε, πέλειν.

Ita vertunt Cl. Ant. Rivautella, & Jo. Paul. Ricolvius *p.* 180.

Praeconem heroum virtutis, Grajugenum, quo
Inclyta tanquam alio gloria ſole nitet,
Muſarum vocem, atque os totius orbis Homerum
Haec par archetypo daedala imago refert.

Non genus, aut nomen conſuevi farier: at nunc
Perſpicue Aeliano cuncta jubente loquar.
Patria mi tellus eſt omnis, nomen Homerus;
Muſarum omnia ſunt carmina, nulla mea.

Si-

Si mortalis eras, cur fati ſtamine rupto,
Muſae immortalem, te voluere Deum?
Quod ſi immortalis, mortalibus annumerari
At non debueras, magne poeta, pati.
At verum novi: mortalem dicere mavult
Vulgus: namque an homo ſis, latet, anne Deus.

1. Homeri imago, quae hic archetypo ſimilis enunciatur, probare videtur quod ſupra dixi in diſſ. V. num. XIII.

2. Gruterus *pag.* 419. Homeri, & Menandri capitibus inſignes terminos ſcribit fuiſſe duos in Auguſti mauſoleo. Ex hoc verſu Fulvius Urſinus illius Aeliani, qui de animalibus & varia hiſtoria Graece ſcripſit, in villa, & via Oſtienſi Homeri imaginem Menandro proximam extitiſſe arbitratur.

XXIII.

A. Gell. Noct. Att. III. 11.

CAPELLA . HOMERI . CANDIDA . HAEC . TVMVLVM . INDICAT
QVOD . HAC . IETAE . MORTVO . FACIVNT . SACRA

M. Varro *in lib. de Imagin. I.* hanc epigraphen inſcripſerat ſummi poetae imagini. Varroni favet ſequens titulus.

XXIV.

Delphis pro templi foribus ad aeneam Homeri ſtatuam.

Pauſan. X. p. 341.

ΟΛΒΙΕ ΚΑΙ ΔΥΣΔΑΙΜΟΝ ΕΦΙΣ ΓΑΡ ΕΠ' ΑΜΦΟΤΕΡΟΙΣΙ
ΠΑΤΡΙΔΑ ΔΙΖΗΑΙ ΜΗΤΡΙΣ ΔΕ ΤΟΙ ΟΥ ΠΑΤΡΙΣ ΕΣΤΙΝ
ΕΣΤΙΝ ΙΟΣ ΝΗΣΟΣ ΜΗΤΡΟΣ ΠΑΤΡΙΣ Η ΣΕ ΘΑΝΟΝΤΑ
ΔΕΞΕΤΑΙ ΑΛΛΑ ΝΕΩΝ ΠΑΙΔΩΝ ΑΙΝΙΓΜΑ ΦΥΛΑΞΑΙ

Ὄλβιε καὶ δύσδαιμον (ἔφυς γὰρ ἐπ' ἀμφοτέροισι)
1. Πατρίδα δίζηαι· μητρὶς δέ τοι, οὐ πατρίς ἐστιν.
Ἔστιν Ἴος νῆσος μητρὸς πατρίς, ἥ σε θανόντα
2. Δέξεται· ἀλλὰ νέων παίδων αἴνιγμα φύλαξαι.

Amaſaeus *p.* 288.

Felix atque miſer (nam ſors te ad utrunque vocavit)
De patria quaeris; tibi matria, non patria illa eſt.
Inſula Ios matris patria eſt, quae colliget oſſa
Exanguis: ſed enim puerorum aenigma caveto.

1. Jetae

1. Jetae Homeri matrem, cujus & ſepulcrum oſtendebant, Clymenen nuncupavere, ſed Cyprii Themiſto feminam indigenam. *Pauſan. ibid.*

2. Ex Herodoto in Homeri vita ſatis eſt notum pediculare aenigma, cui ſolvendo quum ille fuiſſet impar, fertur prae aegritudine interiiſſe: merito quidem rejicitur haec opinio; ſed contra ſentientibus hic lapis ſuffragatur.

XXV.

Ex Marm. Taurinenſ. ibid.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ

ΕΧΡΗΝΜΕΝΣΓΑΙΣΥΝΕΡΩΤΙΦΙΛΩΣΕΜΕΝΑΝΔΡΕ
ΩΣΤΝΖΩΝΕΤΕΛΕΙΣΟΡΓΙΑΤΕΡΠΝΑΘΕΟΥ
ΔΗΛΟΣΔΕΙΦΟΡΕΩΝΑΙΕΙΟΕΟΝΟΠΠΟΤΕΚΑΙΝΥΝ
ΣΗΝΜΟΡ ΗΝΚΑΤΙΔΩΝΑΥΤΙΚΑΠΑΣΣΕΦΙΛΕΙ

ΦΑΙΔΡΟΝΕΤΑΙΡΟΝΕΡΩΤΟΣΟΡΑΣΣΕΙΡΗΝΑΘΕΑΤΡΩΝ
ΤΟΝΔΕΜΕΝΑΝΔΡΟΝΑΕΙΚΡΑΤΑΠΥΚΑΖΟΜΕΝΟΝ
ΟΥΝΕΚΑΡΑΝΟΡΟΝΟΥΣΙΑΛΡΟΝΒΙΟΝΕΞΕΔΙΔΑΞΑ
ΗΔΩΝΑΣΣΚΗΝΗΝΔΡΑΜΑΣΙΠΑΣΙΓΑΜΩΝ

ΟΥΦΑΥΛΩΣΕΣΤΗΣΑΚΑΤΟΦΘΑΛΜΟΥΣΣΕΜΕΝΑΝΔΡΕ
ΤΗΣΔΕΙΟΜΗΡΕΙΗΣΦΤΑΤΑΤΕΜΟΙΚΕΦΑΛΗΣ
ΑΛΛΑΣΕΔΕΥΤΡΑΕΤΑΞΕΣΟΦΟΣΚΡΕΙΝΜΕΤΕΚΕΙΝΟΝ
ΡΜΜΑΤΙΚΟΣΚΛΕΙΝΟΣΠΡΟΣΘΕΝΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ

Μένανδρος.

Ἐχρῆν μὲν στῆσαι σὺν ἔρωτι φίλῳ σὲ, Μένανδρε,
Ὦ σὺν ζῶν ἐτέλεις ὄργια τερπνὰ Θεοῦ.
Δῆλος δ' εἶ φορέων αἰεὶ Θεὸν ὁππότε καὶ νῦν
Σὴν μόρφην κατιδὼν αὐτίκα πᾶς σε φιλεῖ.

Φαῖδρον ἑταῖρον ἔρωτος ὁρᾷς, σειρῆνα θεάτρων,
Τὸν δὲ Μένανδρον ἀεὶ κρᾶτα πυκαζόμενον.
Οὕνεκαρ ἀνθρώπους ἱλαρὸν βίον ἐξεδίδαξα,
Ἡδύνας σκήνην δράμμασι πᾶσι γάμων.

Οὐ

Οὐ φαύλως ἕςησα κατ᾽ ὀφθαλμοὺς σὲ, Μένανδρε,
Τῆς δέ γ᾽ Ὁμηρείης φίλτατε μοὶ κεφαλῆς.
Ἀλλά σε δευτέρ᾽ ἔταξε σοφὸς κρίνειν μετ᾽ ἐκεῖνον
Γραμματικὸς κλεινὸς πρόσθεν Ἀριστοφάνης.

Ita vertit Marchio Scip. Maffejus in Muſ. Veron. *p.* 229.

Te decuit caro ſociare, Menander, amori,
Cujus ſacra tibi dulcia ſemper erant.
Ferre Deum ſemper te conſtat, quandoquidem & nunc
Confeſtim omnis amat, qui videt ora tua.

Sirenen ſtenae, comitemque cupidinis, ornat
Quem ſemper capiti fixa corona, vides.
Namque homines docui jucundam degere vitam,
Perpetuo exhilarans dramata connubiis.

Haud importune, mihi care Menander, Homeri
Ante oculos, tua quae eſt, effigiem ſtatui.
Nam te poſt illum ſedem obtinuiſſe ſecundam,
Grammatica eximius tradit Ariſtophanes.

De Ariſtophane ſcripſit Plato, Gratias ſibi templum quaerentes illius mentem atque ingenium delegiſſe.

XXVI.

Menandri ſepulcro Diodorus inſcripſit hoc epigramma, quod extat in Anthologiae *lib. III.* 6.

ΒΑΚΧΩΙ ΚΑΙ ΜΟΥΣΗCΙ ΜΕΜΗΛΟΤΑ ΤΟΝ ΔΙΟΠΕΙΘΟΥΣ
ΚΕΚΡΟΠΙΔΗΝ ΥΠ᾽ ΕΜΟΥ ΞΕΙΝΕ ΜΕΝΑΝΔΡΟΝ ΕΧΩ
ΕΝ ΠΥΡΙ ΤΗΝ ΟΛΙΓΗΝ ΟΣ ΕΧΕΙ ΚΟΝΙΝ ΗΝ ΔΕ ΜΕΝΑΝΔΡΟΝ
ΔΙΖΙΑΙ ΔΗΕΙΣ ΕΝ ΔΙΟΣ Η ΜΑΚΑΡΩΝ

Βάκχῳ καὶ Μούσησι μεμηλότα τὸν Διοπείθους
Κεκροπίδην ὑπ᾽ ἐμοῦ ξεῖνε Μένανδρον ἔχω.
Ἐν πυρὶ τὴν ὀλίγην ὃς ἔχει κόνιν ἢν δὲ Μένανδρον
Δίζιαι δήεις ἐν Διὸς ἢ Μακάρων.

Ita vertit Jo. Meurſius.

Hic ego Cecropiden natum Diophite Menandrum,
Bacchi, & muſarum delicias teneo,

Exi-

Exiguos cineres: quod ſi quaeſiveris ipſum,
Caeleſtum in regno, vel Jovis invenies.

Poeta Comicus Theophraſti auditor, ſcripſit ſabulas 70., & nonnulla ſoluta oratione. Quintilianus *X.* 1. Menandrum ait ad cuncta, quae ars dicendi praecipit, efficienda ſufficere: tanta in eo inveniendi copia, eloquendi facultas fuit: ita omnibus rebus, perſonis, affectibus accommodatus extitit. Primus olim a pueris legebatur: Auſonius *in Idyl. IV.* 44.

Perlege quodcunque eſt memorabile. Prima monebo
Conditor Iliados, & amabilis orſa Menandri
Evolvenda tibi.

Plura de ſummi hujus poetae laudibus erudite congeſta ſunt in marmora Taurinenſia, quae auſpicio auguſtiſſimi Sardiniae regis Caroli Emanuelis, cujus in ditione Pedemontana glorior me natum eſſe, copioſe illuſtraverunt Cl. Antonius Rivautella, & Jo. Paulus Ricolvius.

XXVII.

Heſiodi cippo.

Pauſan. lib. IX. p. 312.

ΑΣΚΡΗ ΜΕΝ ΠΑΤΡΙΣ ΠΟΛΥΗΙΟΣ ΑΛΛΑ ΘΑΝΟΝΤΟΣ
ΟΣΤΕΑ ΠΛΗΞΙΠΠΩΝ ΓΗ ΜΙΝΥΩΝ ΧΑΤΕΧΕΙ
ΗΣΙΟΔΟΥ ΤΟΥ ΠΛΕΙΣΤΟΝ ΕΝ ΕΛΛΑΔΙ ΚΥΔΟΣ ΟΡΕΙΤΑΙ
ΑΝΔΡΩΝ ΚΡΙΝΟΜΕΝΩΝ ΕΝ ΒΑΣΑΝΩΙ ΣΟΦΙΗΣ

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυήϊος, ἀλλὰ θανόντος
Ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν χατέχει
Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν Ἑλλάδι κῦδος ὄρειται
Ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης.

Amaſaeus *p.* 264.

Heſiodi patria eſt frumenti fertilis Aſcra,
Sed bello inſignes oſſa tenent Minyae:
Hujus in Argolicis excellit gloria terris,
Judicium quibus eſt, ingeniumque ſagax.

Saeviente peſtilentia reſponſum ferunt ab oraculo, illud fore remedium, ſi ex Naupactio agro in Orchomenium Heſiodi oſſa deportarentur, quod factum fuit oſſibus condi-

tis cornicis indicio in ſaxi latebra ſuperaddita inſcriptione. Sequens titulus huc alludit.

XXVIII.

E ſchedis Barberinis. *Fabrett. Ant. Inſcr. X. p. 675.*

ΧΑΙΡΕ ΔΙΣ ΗΒΗΣΑΣ ΚΑΙ ΔΙΣ ΤΑΦΟΝ ΑΝΤΙΒΟΛΗΣΑΣ
ΗΣΙΟΔ᾽ ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ ΜΕΤΡΟΝ ΕΧΩΝ ΣΟΦΙΗΣ

Χαῖρε δὶς ἥβησας καὶ δὶς τάφον ἀντιβόλησας
Ἡσίοδ᾽ ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.

Sic vertit Fabrett. ex Bibliotheca Vaticana.

Salve pubeſcens iterum, ac bis condite ſalve
Heſiode, humanae qui modus es ſophiae.

Poemata, Theogoniam, fabulam, verſuſque de agricultura ſcripſit, quos Virgilius imitatus eſt. Vid. *Quintilian. V. 11. Vell. I. 7. Gell. III. 11. & XVII. 21. Plutarch. in conviv. ſept. ſapient.*

XXIX.

Pergami Aſiae. *Inſcr. Donian. Cl. VIII. n. 91. p. 336.*

ΟΥΝΟΜΑ ΜΕΥ ΣΑΠΦΩ ΤΟΣΣΟΝ Δ᾽ ΥΠΕΡΕΣΧΩΝ ΑΟΙΔΩΝ
ΘΗΛΕΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ ΟΣΣΟΝ Ο ΜΑΙΟΝΙΔΗΣ

Οὔνομα μεῦ Σαπφὼ τόσσον δ᾽ ὑπερέσχων ἀοιδῶν
Θηλειῶν ἀνδρῶν ὅσσον ὁ Μαιονίδης

Latinam reddidit Cl. Salvin. inter Donian. *Inſcr. VIII. 91.*

Femineos cantus ſuperavi maſcula Sappho,
Quantum hominum vicit carmina Maeonides,

Decima haec *Muſa* non, uti Herma ſtatuit, in inſula Lesbo, ſed Mitylaenis nata eſt, ut ſentit Urſinus Ariſtotele, & Polluce auctoribus. Multa ſcripſit, ſed pauca ſuperſunt, a Dione, & Rhetore Longino ſervata. Elegia Ovidii, ſub nomine Sapphus, criticis videtur prae aliis inſignis, quia ex ejus carminibus contextam putant. Vid. plura apud *Voſſ. II. 3.*

XXX.

Herophiles ſepulcro in Smithei luco. *Pauſan. X. p. 328.*

ΑΔ᾽ ΕΓΩ ΑΙΦΟΙΒΟΙΟ ΣΑΦΗΓΟΡΙΣ ΕΙΜΙ ΣΙΒΥΛΛΑ
ΤΩΙ Δ᾽ ΥΠΟ ΛΑΙΝΕΩΙ ΣΑΜΑΤΙ ΠΥΘΟΜΕΝΑ

ΠΑ-

ΠΑΡΘΕΝΟΣ ΑΥΔΑΕΣΣΑ ΤΟΠΡΙΝ ΝΥΝ Δ' ΑΙΕΝ ΑΝΑΥΔΟΣ
ΜΟΙΡΑΙ ΥΠΟ ΣΤΙΒΑΡΗΙ ΤΗΝ ΔΕ ΛΑΧΟΥΣΑ ΠΕΔΗΝ
ΑΛΛΑ ΠΕΛΑΣ ΝΥΜΦΑΙΣΙ ΚΑΙ ΕΡΜΗΙ ΤΩΙ Δ' ΥΠΟΚΕΙΜΑΙ
ΜΟΙΡΑΝ ΕΧΟΥΣ ΕΚΑΤΩΙ ΤΗΣ ΤΟΥ' ΑΝΑΚΤΟΡΙΗΣ

Ἁδ' ἐγὼ ἁ Φοίβοιο σαφηγορὶς εἰμὶ Σιβύλλα,
Τῷ δ' ὑπὸ λαϊνέῳ σάμᾳτι πυθομένα·
Παρθένος αὐδάεσσα τοπρὶν, νῦν δ' αἰὲν ἄναυδος
Μοίρᾳ ὑπὸ ϛιβαρῇ τὴν δὲ λαχοῦσα πέδην.
Ἀλλὰ πέλας Νύμφαισι καὶ Ἑρμῇ τῷ δ' ὑπόκειμαι
Μοῖραν ἔχουσ' Ἑκάτῳ τῆς τότ' ἀνακτορίης.

Amaſaeus *p.* 277.

Illa ego ſum Phoebi interpres non vana Sibylla,
Hic quae marmoreo contineor tumulo:
Vocalis quondam, aeternum nunc muta puella,
Heu nimis hac fati compede preſſa gravi.
Mercurio tamen & Nymphis ſociata quieſco,
Phoebo quod fuerim grata ferens pretium.

Herophilen ajunt Apollinis Sminthei fuiſſe aedituam, & Hecubae ſomnium ita interpretatam, ut rei eventus probavit. Magnam vitae partem Sami egiſſe dicitur, & poſtquam Delon, & Delphos, & Claron adiit, tandem in Troade interiiſſe, ad cujus ſepulcrum erectus eſt Mercurius figura quadrangula, ad laevam aqua in receptaculum delabens, ubi Nympharum ſigna. Ceterum Sibyllarum oracula tuentur Juſtinus Martyr *Apolog.* 2. Clemens Alexandrinus *VI. Stromat.* Origenes *VII. contr. Celſ.* Lactantius *de vera Sapient. l.* 6. *IV.* 15. S. Auguſtinus *XVIII. de C. D.* Reſpuunt vero Auctor *Biblioth. Criticae T. I.* 34. Dupinus *in nova Biblioth. Tom. I.* Voſſius, Blondellus, & alii. Vid. *Honorat. Animadverſ. in Regul. & uſum Critic. T. II. lib. II. diſput.* 2.

XXXI.

Euripidis. In urbe Pella, alias Beraea.

Ex Praefat. Joſuae Barnes in vit. Euripid. pag. 32.

ΕΙ ΚΑΙ ΔΑΚΡΥΟΕΙΣ ΕΥΡΙΠΙΔΗ ΕΙΛΕ ΣΕ ΠΟΤΜΟΣ
ΚΑΙ ΣΕ ΛΥΚΟΡΡΑΙΣΤΑΙ ΔΕΙΠΝΟΝ ΕΘΕΝΤΟ ΚΥΝΕΣ

ΤΟΝ ΣΚΥΝΗΙ ΜΕΛΙΓΗΡΥΝ ΑΝΔΟΝΑ ΚΟΣΜΟΝ ΑΘΥΝΩΝ
ΤΟΝ ΣΟΦΙΗΙ ΤΡΑΓΙΚΥΝ ΜΙΞΑΜΕΝΟΝ ΧΑΡΙΤΑ
ΑΛΛ' ΕΜΟΛΕΣ ΠΕΛΛΑΙΟΝ ΥΠ' ΗΡΙΟΝ ΩΣ ΑΝ Ο ΛΑΤΡΙΣ
ΠΙΕΡΙΔΩΝ ΝΑΙΗΣ ΑΓΧΟΘΙ ΠΙΕΡΙΔΩΝ

Εἰ καὶ δακρυόεις, Εὐριπίδη, εἷλε σὲ πότμος,
Καὶ σὲ λυκορραισταὶ δεῖπνον ἔθεντο κύνες,
Τὸν σκηνῇ μελίγηρυν ἀηδόνα, κόσμον Ἀθηνῶν,
Τὸν σοφίῃ Τραγικὴν μιξάμενον Χάριτα·
Ἀλλ' ἔμολες Πελλαῖον ὑπ' ἠρίον· ὡς ἂν ὁ λατρεὶς
Πιερίδων ναίῃς ἀγχόθι Πιερίδων.

Ibid.

Dira licet tibi mors, Euripides, abſtulit auras,
Et lupicida tua carne repleta canis,
Cecropiae decus, & dulcis philomela theatri,
Qui ſophia tragicas miſcueras Charites;
Ceſpite Pellaeo aſt tegeris: ſic nempe miniſter
Pieridum cumbis jam prope Pieridas.

Primum diſtichon praeclare ſatis evincit, quod fruſtra negat Dionyſius Byzantinus *Antholog. III.* 31., Euripidem a canibus laceratum interiiſſe, ſicut copioſe probatum legitur in *praefat. Barnes loc. cit.* Prope Pierides jacere dicitur, quia ſepultus in terra Pieria, unde muſae Pierides nuncupatae. Sepulcrum fuit ex marmore Pyrropoecilo, impoſita Euripidis ſtatua, cum Bacchi ornatu, & toto tragico apparatu, interque duos rivos, quorum alterum ſaluberrimum, alterum mortiferum fuiſſe profert Lilius Gyraldus *in hiſt. Poet. Dial. VII.*

XXXII.

Ejuſdem in Cenotaphio Athenis.

Ibid.

ΟΥ ΣΟΝ ΜΝΗΜΑ ΤΟΔ ΕΣ' ΕΥΡΙΠΙΔΗ ΑΛΛΑ ΣΥ ΤΟΥΔΕ
ΤΗΙ ΣΗΙ ΓΑΡ ΔΟΞΗΙ ΜΝΗΜΑ ΤΟΔ' ΑΜΠΕΧΕΤΑΙ

Οὐ σὸν μνῆμα τόδ' ἔσ', Εὐριπίδη, ἀλλὰ σὺ τοῦδε·
Τῇ σῇ γὰρ δόξῃ μνῆμα τόδ' ἀμπέχεται.

Ibid.

Ibid.

Hoc tibi non monumentum, Euripides, illius aſt tu:
Namque tui hoc famâ nominis irradiat.

Athenienſes ab Archelao non impetratis Euripidis cineribus, ſicut in diſſertatione dictum eſt, ei cenotaphium, quod perduravit uſque ad Pauſaniae tempora, erexerunt juxta viam, qua deſcendebatur ad Piraeeum, ubi poſtea & Menandri monumentum fuit. Habe & hoc jambicum:

X X X I I I. *Ibid.*

ΑΠΑΣ' ΑΧΑΙΗΣ ΜΝΗΝΑ ΣΟΝ Γ' ΕΥΡΙΠΙΔΗ
ΟΥΚΟΝ ΑΦΩΝΟΣ ΑΛΛΑ ΚΑΙ ΛΑΛΗΤΕΟΣ.

Ἅπασ' Ἀχαιΐς μνῆμα σὸν γ' Εὐριπίδη·
Οὔκον ἄφωνος, ἀλλὰ καὶ λαλητέος.

Sic vertit Barnes.

Graecia tota tuum monumentum, Euripides, extat:
Haud igitur mutus, ſed magis ore viget.

X X X I V:

Athenis. *Ex Barn. loc. cit.*

ΜΝΗΜΑ ΜΕΝ ΕΛΛΑΣ ΑΠΑΣ' ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΟΣΤΕΑ Δ' ΙΣΧΕΙ
ΓΗ ΜΑΚΕΔΩΝ Η ΓΑΡ ΔΕΞΑΤΟ ΤΕΡΜΑ ΒΙΟΥ
ΠΑΤΡΙΣ Δ' ΕΛΛΑΔΟΣ ΕΛΛΑΣ ΑΘΗΝΑΙ ΠΛΕΙΣΤΑ ΔΕ ΜΟΥΣΑΣ
ΤΕΡΨΑΣ ΕΚ ΠΟΛΛΩΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΕΠΑΙΝΟΝ ΕΧΕΙ

Μνῆμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου· ὀστέα δ' ἴσχει
Γῆ Μακεδὼν· ᾗ γὰρ δέξατο τέρμα βίου.
Πατρὶς δ' ἑλλάδος ἑλλὰς Ἀθῆναι· πλεῖστα δὲ Μούσας
Τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει.

Ibidem.

Graecia tota quidem monumentum Euripidis: *oſſa*
Terra tenet Macedum; quae fera fata dedit.
Patria Cecropidum tellus: ſed plurima Muſas
Delectans, tumulo carmina plura refert.

Hic titulus tribuitur Thucididi hiſtorico, vel Theophilo comico, vel Timotheo muſico & poetae nobili. Vid. *Barn. & Thom. Magiſtr. in vit. Euripidis.* Extat & alia inſcr. ſepulcro appoſita, poſtquam fulmine tactum fuit, quod ab

Digitized by Google

ab ethnicis tanquam divinitatis indicium habebatur, teſte Plutarcho in vita Lycurgi, cujus tumulo idem contigiſſe traditur.

XXXV.

In finibus Graeciae & Valachiae. *Ibid.*

SISTE QVOD IPSE VELIM ROGITO COGNOSCE VIATOR
EVRIPIDIS TRAGICO CARMINE CLARVS HOMO *ſic*
HAC IACEO ISTVD ERAM *ſic* QVOD TE COGNOSSE VOLEBAM
ERGO DIV FELIX CHARE VIATOR ABI

Latinum hoc epitaphium Euripidis cenotaphio adpoſitum fuit, ad illius imitationem, quod Pacuvius reliquit incidendum ſepulcro ſuo: ſed HOMO pro *humo* & ERAM pro *erat*, tum Euripidis ſecunda ſyllaba contra regulam correpta, judicio Barnes videtur ad aetatem barbaram pertinere.

XXXVI.

Bartholom. Marlianus in Vrb. Rom. Topograph. V. 27.

1. ASPICITE . O . CIVES . SENIS . ENNII . IMAGINIS . *a* FORMAM
b HEIC . VOSTRVM . *c* PANXIT . *d* MAXVMA . FACTA . PATRVM
NEMO . ME . *e* LACRVMIS . DECORET . *f* NEQVE . FVNERA . FLETV
2. FAXIT . CVR? VOLITO . VIVV . PER . ORA . VIRVM

Ferrettius *pag.* 217. legit *a* VRNAM. *b* HIC. *c* PINXIT. *d* MAXIMA. *e* LACRIMIS. *f* NEC.

Q. Ennius, cujus ſtatua hunc habuit titulum in ſepulcro Scipionum extra portam capenam, ſecundum Euſebium Tarentinus, ſed auctore Cicerone *pro Arch.* Rudius fuit, atque ideo Sil. Italicus:

Miſerunt Calabri; Rudiae genuere vetuſtae.

1. Laus Ennii maxima, ni fallor, haec una fuit, quod ejus & Cato jam ſenex auditor fuit, & Virgilius imitator. De poetis conſule Crinitum, & Lil. Gyraldum.

2. VIVV. pro *vivus* in uſu apud veteres. *Lucret. V.* 1265.

Vt ſibi tela parent, quibu ſilvas caedere poſſint.

XXXVII.

Naevii. *Ex A. Gell. I.* 23.

MORTALES IMMORTALES SI FORET FAS FLERE
1. FLERENT DIVVAE CAMOENAE NAEVIVM POETAM

ITA-

ITAQVE POSTQVAM ORCINO TRADITVS THESAVRO
2. OBLITEI SVNT ROMAE LOQVIER LATINA LINGVA

1. Hoc, & duo, quae ſequuntur, epigrammata illuſtres poetae ſuo incidenda tumulo reliquerunt. Naevius militavit primo bello Punico, cujus hiſtoriam ſcripſit: varias fabulas docuit: ſtylo uſus eſt ſatirico: ideo inviſus Scipioni Africano, & Metello in carcerem conjectus eſt, ubi duas fabulas exornavit Hariolum, & Leontem, ad quas reſpicit Plautus *in Mil. A. 2. Sc. 2.*

Nam os columnatum poetae ineſſe audio barbaro,
Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.

Ceterum e vinculis liberatus, Scipione, & Metello iterum provocatis, Roma pulſus, Uticae obiit.

2. Merito inquit *loc. cit.* Gellius: *epigramma plenum ſuperbiae Campanae, quod teſtimonium eſſe juſtum potuiſſet, niſi ab ipſo dictum eſſet.*

XXXVIII.

M. Pacuvii. Tarenti.

1. ADOLESCENS TAMETSI PROPERAS HOC TE SAXVM ROGAT
VT SE ASPICIAS DEINDE QVOD SCRIPTVM EST LEGAS
HEIC SVNT PACVVII POETAE MARCI SITA OSSA
2. HOC TE VOLEBAM NESCIVS NE ESSES VALE

1. Pacuvius poeta tragicus, Ennii ex ſorore nepos, picturam exercuit, & fabulas vendidit: Tarenti obiit 90. annos natus. *Omnes*, inquit Cic. in orat., *apud hunc ornati ſunt*. Quintilianus *gravitate ſententiarum, pondere verborum, auctoritate perſonarum illuſtriſſimum* vocat.

2. Epitaphium hoc Gellius *verecundiſſimum* & *puriſſimum* dicit, *dignumque Pacuvii elegantiſſima gravitate*. Hujus imitationem accipe ex Andrea Dactio in P. Criniti laudem.

Heus audi, properes licet viator.
Criniti tumulo teguntur iſto,
Dilecti cineres ſacris Camoenis.
Hoc ſcires volui: recede felix.

XXXIX.

XXXIX.

Publ. Terentii.

Ex Theatr. Funebr. Part. III. Sc. VI. p. 357.

NATVS . IN . EXCELSIS . TECTIS . CARTHAGINIS . ALTAE
ROMANIS . DVCIBVS . BELLICA . PRAEDA . FVI
DESCRIPSI . MORES . HOMINVM . IVVENVMQ. SENVMQ.
QVALITER . ET . SERVI . DECIPIANT . DOMINOS
QVID . MERETRIX . QVID . LENO . DOLIS . QVID.FINGAT.AVARVS
HAEC . QVICVNQVE . LEGIT . SIC . PVTO . CAVTVS . ERIT

Nihil Terentianae puritatis hic habet lapis; ſi genuinus, poſterioribus, opinor, ſeculis ſepulcro adſcriptus eſt, ſi ſpurius, hoc loco utcunque ferendus, ne cum veteribus poetis in Latio illuſtribus, illius memoria deſideretur, qui Scipionem, & Laelium amicos habuit, adjutoreſque, Ciceronem autem non laudatorem modo, verum etiam imitatorem. Vid. prae ceteris *Donat. in Prologomen. Andriae*; & *Dan. Heinſ. diſſert.*

XL.

Plauti.

POSTQVAM EST MORTE CAPTVS PLAVTVS
COMOEDIA LVGET SCENA EST DESERTA
DEINDE RISVS LVDVS IOCVSQVE ET NVMERI
INNVMMERI SIMVL OMNES COLLACRIMARVNT

Plautum patria Sarſinatem ita laudavit M. Varro, ut Muſas dixerit Plautino ſermone loquuturas, ſi Latine eſſent loquuturae. Honorificum de Plauto judicium habe ex Volcatio apud *Gell. XV. 23.*

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetae comico qnoi deferant.
Eum meo judicio errorem diſſolvam tibi,
Ut contra ſiquis ſentiat, nihil ſentiat.
Caecilio palmam ſtatuo de Comico,
Plautus ſecundus facile exſuperat ceteros.

X L I.

Puppii Tragici. *Ex Syllog. Aguil. Fleetwod. pag.* 324.

FLEBVNT . AMICI . ET . BENE . NOTI . MORTE . IN . MEA
NAM . POPVLVS . ETIAM . VIVO . ME . LACRVMATVS . EST

Puppius, teſte Acrone ſpectatores uſque ad lacrimas movit: hinc *Horat. I. Ep. I. lacrimoſa poemata Puppj*.

Lector benevole, Terentii lapidem cedere loco jube, ac Plauti titulum antepone: vix typis traditus ſero apparuit error.

X L I I.

Pub. Virgilii. *Ex Ferrett. p.* 115.

MANTVA . ME . GENVIT . CALABRI . RAPVERE . TENET . NVNC
PARTHENOPE . CECINI . PASCVA . RVRA . DVCES

Ferrettius refert hoc epitaphium Neapoli inventum via Puteolana ad II. lapidem. Boxornius habet ſequenti modo.

X L I I I.

QVI . CINERES . TVMVLI . HAEC . VESTIGIA . CONDITVR . OLIM
ILLE . HOC . QVI . CECINIT . PASCVA . RVRA . DVCES

Facilis eſt conjectura, poſtquam barbaries jam Italiam invaſerat, hanc inſcriptionem fuiſſe affixam ſepulcri ruinis. Interrogationem adde poſt CINERES, & ſupple *cujus* ante TVMVLI, tum iterum interrogationem poſt VESTIGIA, & omnis faceſſet obſcuritas. De poetarum principe hoc habe epigramma Aproniani in unum ejus archetypum.

Purpureos ſparge in frontem, atque in cornua flores,
Albaque ter plenis lilia da manibus.
Namque vides ſecli monumentum inſigne prioris,
Quo neque nobilius, nec prius extat opus.
Felix ſorte tua, & vita, Maro, dignior, unum
Hoc ſupereſt de tot millibus archetypum.
Mecoenas, ne tu cum re ſimul ipſe perires,
Arma feri juſſit militis eſſe procul.
Et tua, Rodulfi, quae non oblitteret aetas
Ulla, piae ſervant haec monumenta manus.

Cardinalis Carpenſis voluminis poſſeſſor fuit, quod nunc extat in Biblioth. Medic. Vid. *Card. Noris in Cenot. Piſ. p.* 676.

XLIV.

Ovidii Naſonis. *Ferrett. pag.* 113.

HIC . SITVS . EST . VATES . QVEM . DIVI . CAESARIS . IRA
AVGVSTI . LATIA . CEDERE . IVSSIT . HVMO
SAEPE . MISER . VOLVIT . PATRIIS . OCCVMBERE . TERRIS
SED . FRVSTRA . HVNC . ILLI . FATA . DEDERE . LOCVM

Vivens aliud ſibi epitaphium paraverat *III. Triſt.* Ab Ovidio, quanquam exule, familia Naſonia nuncupata eſt.

XLV.

Senecae Philoſophi. *Ferrett. pag.* 176.

CVRA . LABOR . MERITVM . SVMPTI . PRO . MVNERE . HONORES
ITE . ALIAS . POST . HAC . SOLLICITARE . ANIMAS
ME . PROCVL . A . VOBIS . DEVS . EVOCAT . ILLICET . ACTIS
REBVS . TERRENIS . HOSPITA . TERRA . VALE
CORPVS . AVARA . TAMEN . SOLEMNIBVS . ACCIPE . SAXIS
NAMQVE . ANIMAM . CAELO . REDDIMVS . OSSA . TIBI

Ferrettius hoſce verſus morientis Senecae fuiſſe foetum exiſtimat, ejuſdemque ad S. Paulum, Paulique ad ipſum Epiſtolas genuinas credit: temerene, an perperam, quis non videt? Seneca mortis optione accepta, quum ſectis venis ſanguis tardior mearet, cicutam ebibit, quae exſucco corpori nihil obfuit: ideo balneum ingreſſus, aqua proximos aſperſit, Jovi Liberatori ſe libare dicens, ibique obiit. Ita Tacit. in Annal., ſed Svet., Gell., & Xiphilin. aliter.

XLVI.

Lucani. *Ex Ferrett. pag.* 291.

CORDVBA . ME . GENVIT . RAPVIT . NERO . PRAELIA . DIXI
QVAE . GESSERE . PARES . HINC . SOCER . INDE . GENER
CONTINVO . NVNQVAM . DIREXI . CARMINA . DVCTV
QVAE . TRACTIM . SERPANT . PLVS . MIHI . COMMA . PLACET

In Theatro Funebri *Part. III. pag.* 357. ſupra inſcr. legitur: M. ANNAEO . LVCANO . CORDVBENSI . POETAE . BENEFICIO . NERONIS . CAE. FAMA . SERVATA . In fine poſt tetraſtichon additur:

FLVMINIS IN MOREM QVAE SVNT MIRANDA CITENTVR
HAEC VERE SAPIAT DICTIO QVAE FERIET

Lu-

Digitized by Google

Lucanus Graecis, ac Latinis litteris clarus, a Nerone ad Quaeſturam provectus, & in Coll. Augurum cooptatus, in Piſoniana conjuratione deprehenſus interfici juſſus eſt. Praeter Opus Pharſalicum, in cujus emendatione uſus dicitur conſilio uxoris Pollae feminae doctiſſimae, alia quoque ſcripſit, inter Poetas, & Oratores enumeratus. Quoniam & his temporibus Plutarchus florere coepit, & multa in hoc opus ex ejus voluminibus adducta ſunt, placet Agathiae in ejus laudem perelegans hoc epigramma afferre.

XLVII.

In Plutarchi parallela. *Ex Anthologiae lib. V.*

Σεῖο πολυκλήεντα τύπον στήσαντο, Χαιρωνεῦ
Πλούταρχε, κρατερῶν, υἷες Αὐσονίων·
Ὅττι παραλλήλοισι βίοις Ἕλληνας ἀρίστους
Ῥώμης εὐπολέμοις ἥρμοσας ἐνναέταις.
Ἀλλὰ τεοῦ βιότοιο παράλληλον βίον ἄλλον
Οὐδὲ σύ γ᾽ ἂν γράψαις· οὐ γὰρ ὅμοιον ἔχεις.

Interpres Henricus Stephanus.

Aera tui, Plutarche, decus ſpirantia vultus,
Spectaclum hic ſtatuunt nobile Romulidae:
Quod vitas hominum, genuit quos Graecia fortes,
Martigenum vitis junxeris Auſonidum.
Ipſe tuae nullam poteras conjungere vitam:
Huic nullam poſſes quod reperire parem.

Magni hujus philoſophi ſumma laus eſt, quod doctorum alii, *Gaſſend. de vit. Epicur. III.* 7., ſi veterum ſcriptis carendum ſit, ſe Plutarcho quam aegerrime carituros, alii, *Theod. Gaza praef. Bibl. Hiſtoricae*, ſi profani auctores in mare abjiciendi ſint, Plutarchum poſtremo loco ſervandum eſſe, alii nemini ex ethnicis, ſi liceret, ſalutem magis ſe a Chriſto expetere affirmarunt, quam Plutarcho, & Platoni. *Fabr. Bib. Graeca T. III. lib. IV.* 11. Ejus vita nuper ex academia Piſana in lucem prodiit cúm Placitis philoſophorum, Opus a Cl. Fabricio *loc. cit.* optatum vehementer, & a P. Eduardo Corſino Cl. Reg. Scholarum Piarum eruditiſſime exornatum.

Digitized by Google

XLVIII.

Statii. *Ex Theatr. Funebr. loc. cit. p.* 336.

STATIVS . HIC . SITVS . EST . IVVENEM . QVEM . CYPRIS . ADEMIT
PRAECONEM . AENEAE . CARMINE . QVOD . PREMERET
STATIO . STATII . FIL. DVLCIS . CHRISTOPHORA . M
PIENTIIS . P. VIXIT . ANN. XXXIII.

Statii Silvarum, ac Thebaidos libri aeque noti ſunt, ac ejuſdem paupertas, quam Juvenalis ita deplorat *Sat. VII.* 82.

Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicae
Thebaidos, laetam fecit quum Statius urbem,
Promiſitque diem; tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi:
Auditur: ſed quum fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.

XLIX.

Romae, in domo quondam Pomponii Laeti in Quirinali.
Grut. CCCXCI. 5.

a CL. CLAVDIANI . V. C
CL. CLAVDIANO . V. C. TRI
BVNO . ET . NOTARIO . INTER . CETERAS
b VIGENTES . ARTES . PRAEGLORIOSISSIMO
POETARVM . LICET . AD . MEMORIAM . SEM.
PITERNAM . CARMINA . AB . EODEM
SCRIPTA . SVFFICIANT . ADTAMEN
TESTIMONII . GRATIA . OB . IVDICII . SVI
FIDEM . DD. NN. ARCADIVS . ET . HONORIVS.
c FELICISSIMI . AC . DOCTISSIMI
IMPERATORES . SENATV . PETENTE
STATVAM . IN . FORO . DIVI . TRAIANI
ERIGI . COLLOCARIQVE . IVSSERVNT
ΕΙΝ ΕΝΙ ΒΙΡΓΙΛΙΟΙΟ ΝΟΟΝ
ΚΑΙ ΜΟΥΣΑΝ ΟΜΗΡΟΥ
ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΝ † ΡΩΜΗ ΚΑΙ † Ω *d*
ΒΑΣΙΛΗΣ ΕΘΕΣΑΝ

a Cl. deeſt in Urſin., Codex Palatin. aliter diſtinguit.

b In

b In eod. Cod. INGENTES. *c* Ibid. FILICISSIMI.

d † ῳ Urſin. non habet. Ita Holthenus *p. CCCXXXIII.*

1. Εἰν ἑνὶ Βιργιλίοιο νόον καὶ Μοῦσαν Ὁμήρου

2. Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ ῳ βασιλῆς ἔθεσαν.

1. Hagenbuchius in *Epiſt. Epigr. ad Nob. Blaurerum p.* 62. & 86., tres hujuſce diſtichi verſiones profert, primam Laurentii Gambarae ex *Vrſin. imag. p.* 48., qui habet *Maronio* pro *Maeonio*, ſecundam Barthii more lapidis exaratam, tertiam ex libro Heinſiano; ſed in omnibus pentameter clauditur voce *Claudianum*, cujus A longa eſt; itaque Hagenbuchius graecae linguae peritiſſimus poſtquam *pag.* 53. exemplis probavit ΚΛΑΥΔΙΑ, ſive *Claudia* per ſynizeſin ſpondaeum poſſe fieri, non vero dactylum, ita vertit *p.* 86.

Virgilii mentem ſimul, & Phoebeum pectus Homeri,
Claudianum Domini, Romaque rite locant.

In Diario Veneto *T. XXII. p.* 400. hic lapis tanquam ſpurius exploditur, quaſi foetus Pomponii Laeti, qui ab Auguſtino, Reineſio, Grutero, & aliis male audit ob confictum *teſtamentum L. Cuſpidii*: ſed Mazochius, Smetius, Caſtalio, Urſinus, qui lapidem & viderunt & exſcripſerunt, de ejus antiquitate dubitari non ſinunt. An obſtant accentus, quos Smetius, & Gruterus retinent? hi vero in Mazochio, & Caſtalione deſiderantur, alibi in exſcribendo adpoſiti, non inventi. Num lapides Graeci pariter ac Latini, ſeu διγλώττους pro ſpuriis habendi ſunt? multo minus: negas? vide Reineſium ad *V.* 45. *pag.* 382., Hagenbuchii *Diatr. p.* 32. 33. & *cit. Epiſt. p.* 62. & *Epiſt. Epigr.* 347.

2. Barthius in *Adverſar. XLIX.* 1. Claudiano ſtatuam Arcadii & Honorii juſſu in foro Trajani poſitam ideo fuiſſe exiſtimat, quod poetarum mos eſſet, illic laudes virorum principum recitare. At Claudianus, quod Hagenbuchius notat *loc. cit. p.* 74., nuſquam in ſuis panegyricis hujuſce moris mentionem facit. Cur illic ſtatuam meruerit, cauſa non alia fuit, quam, ut modo in *diſſ. num. XIV.*, loci ipſius celebritas. Id enim temporis quis locus fuit ad ſtatuam clarior

rior foro Ulpio? quo Conſtantinus quum adveniſſet, *haere-bat*, inquit Ammianus Marcellinus, *attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rurſus mortalibus appetendos*. Et jure quidem: nam Trajani forum, Caſſiodoro teſte *lib. I. Var. Epiſt.* 3. *vel ſub aſſiduitate miraculum* erat.

L.

Romae in domo quondam Auguſt. Maffaei
Gru.. CCCXCIX. 3.

CRONIO . EVSEBIO . V. C. AEMILIA . AD
DITA . PRAEDICTAE . PROVINCIAE
CONTVITV . VIGILANTIAE
ET . IVSTITIAE . EIVS ET . RA
VENNATENSIVM . CIVITATE
QVAE . ANTEA . PICENI . CAPVT . PRO
VINCIAE . VIDEBATVR . VICARIO
ITALIAE . QVAE . POTESTAS . SVPRA
DICTO . VIRO . OB TESTIMO
NIVM . ANTEACTI . HO
NORIS . EST . ADTRIBVTA

Inferius.

PETITIONE . SENATVS . CON
TEMPLATIONE . VITAE . ATQVE
ELOQVENTIAE . EIVS . AB . INVICTIS
PRINCIPIBVS . EST . DELATA

Inferius.

HMIHC APXONTAC AOTITO AINECTHCANTO
BOYAH KAI BACIAEYC
TON COΦON EYCEBION

A tergo marmoris.

DEDICATA . V. IDVS . NO
VEMBRIS . COS. FL. MALLIO
THEODORO . V. C

Graecum ita emendat, & vertit Hagenbuchius *Epiſt. ad Nob. Blaurerum p.* 85.

Τιμῆς

Τιμῆς Ἄρχοντος λογίου χάριν ἐστήσαντο,
Βουλὴ καὶ Βασιλῆς τὸν σοφὸν Εὐσέβιον.
Facundus Praeſes meruit poſcente Senatu
A Dominis ſtatui vir catus Euſebius.

Ejuſdem, ac ſuperior, aevi tibi ſe offert lapis, qui, ſi quis alius, id evincit, quod obiter dictum eſt in *diſſ. num. XV.*, imperatores magnis viris *petente ſenatu* ſtatuas poſuiſſe. Siquidem ex quo Caligula vetuit, *Svet. in vit.* 34., cuiquam viventium *ſtatuam aut imaginem, niſi conſulto ſe & auctore poni*, populo quidem ac ſenatui licuit, aliquem ſtatua dignum judicare, eandem vero decernere penes imperatores fuit, ut Figrelius admonet in *Syntagmate de ſtat. illuſtr. Roman.*, & Falconerius *ad inſcr. athlet. T. VIII. Gronov.* Igitur quum *pag.* 383. Antonini exemplo fultus dixi, quandoque imperatores, cujuſpiam ut gloriam poſteris teſtatam facerent, a ſenatu ſtatuam petiiſſe, in eam partem id accipias velim, ut principis moderationem, non jus decernendae ſtatuae a me obſervatum putes. Nuſquam enim is honor, niſi auctore principe, decretus eſt, ac ubi a ſenatu ſtatuas decretas legimus, neceſſaria eſt Barthii interpretatio, *ſenatum decreviſſe ſtatuas, conceſſiſſe imperatores.* Perfamiliares quippe ſunt in lapidibus illae phraſes, nimirum *ſenatu petente*; *ob petitionem ſenatus ampliſſimi, populique Romani*; *petitu populi Romani, teſtimonio ſenatus*; *petitione ſenatus*; *ſenatus ampliſſimus decretis frequentibus*; *adprobante ampliſſimo ſenatu*; quas formulas ex Grutero contractas apud eruditiſſimum Hagenbuchium *loc. cit. p.* 71. 72. videre licet.

L I.

Aeſchyli epitaph.

Plutarch. de Exilio p. 604.

ΑΙΣΧΥΛΟΝ ΕΥΦΟΡΙΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΝ ΤΟΔΕ ΚΕΥΘΕΙ
ΜΝΗΜΑ ΚΑΤΑΦΘΙΜΕΝΟΝ ΠΥΡΟΦΟΡΟΙΟ ΓΕΛΑΣ
Αἴσχυλον Εὐφορίωνος Ἀθηναῖον τόδε κεύθει
Μνῆμα καταφθίμενον πυροφόροιο Γέλας.

Xy-

Xylander.

Aeſchylus Euphorionis, Athenis natus, in arvis
Frugiferae jacet hic poſt ſua fata Gelae.

Aeſchylus, quem, ubi vino incaluiſſet, tragoedias ſcribere conſueviſſe Plutarchus tradit in *Sympoſ. I. qu.* 5., victus Athenis a juvene Sophocle, indignabundus in Siciliam ſeceſſit, ubi, quum aquila in illius caput teſtudinem dejeciſſet, vita functus & circa Gelam humatus eſt, teſte eodem Plutarcho in Cimone. Sicut exciderat Aeſchyli titulus ex Plutarcho, ſic tria, quae ſequuntur, nuperrime ob oculos inciderunt.

L I I.

Ex Fabricii Bilioth. Graec.

Tom. I. pag. 704.

ΑΙ ΧΑΡΙΤΕΣ ΤΕΜΕΝΟΣ ΤΙ ΛΑΒΕΙΝ ΟΠΕΡ ΟΥΧΙ ΠΕΣΕΙΤΑΙ
ΖΗΤΟΥΣΑΙ ΨΥΧΗΝ ΕΥΡΟΝ ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΟΥΣ

Αἱ Χάριτες τέμενος τι λαβεῖν ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

Ibid.

Trina ſibi aeternum quaerebat Gratia templum,
Unius invenit pectus Ariſtophanis.

Ariſtophanem comicum ſive Naucratitem, ſive Aeginetam, ſive denique Aegyptium, civitate Athenienſem, philoſophus Plato mortuum hoc epitaphio proſequutus eſſe dicitur; ita enim & Ariſtophane, & Sophrone delectatus fertur, ut horum ſcripta in ejus defuncti lectulo reperta fuerint.

L I I I.

Ad Oppiani monumentum.

Ex Fabricii Bibliotb. Graec. T. III. lib. IV. 20. *p.* 626.

ΟΠΠΙΑΝΟΣ ΚΛΕΟΣ ΕΙΛΟΝ ΑΟΙΔΕΩΝ ΑΛΛΑ ΜΕ ΜΟΙΡΗΣ
ΒΑΣΚΑΝΟΣ ΕΞΗΡΠΑΣΕ ΚΙΤΟΣ ΚΡΥΕΡΟΣ Δ' ΑΙΔΗΣ ΤΕ
ΚΑΙ ΝΕΟΝ ΟΝΤΑ ΚΑΤΕΣΧΕ ΤΟΝ ΕΥΕΠΙΗΣ ΥΠΟΦΗΤΗΝ
ΕΙ ΔΕ ΠΟΛΥΝ ΜΕ ΧΡΟΝΟΝ ΖΩΗΣ ΜΙΜΝΕΙΝ ΦΘΟΝΟΣ ΑΙΝΟΣ
ΕΙΑΣΕΝ ΟΥΚ ΑΝ ΜΟΙ ΤΙΣ ΙΣΟΝ ΚΛΕΟΣ ΕΛΛΑΧΕ ΦΩΤΩΝ

Ὀππιανὸς κλέος εἷλον ἀοιδέων, ἀλλά με μοίρης
Βάσκανος ἐξήρπασε κίτος, κρυερός δ' αἴδης τε

Καὶ

Καὶ νέον ὄντα κατέχε τὴν Λεπίης ὑποφήτην,
Εἰ δὲ πολιώ με χρόνον ζωῆς μιμνεῖν φθόνος αἰνὸς
Εἴασεν, ὐκ ἄν μοί τις ἴσον κλέος ἔλλαχε φωτῶν.

Ibidem Fabricius.

Oppianus palmam vatum rapui, invida ſed me
Fati immaturo rapuit vis funere in orcum;
Ac juvenem me morte tenet ſuadaeque ſequeſtrem.
Nempe pepercißet noſtris livor malus annis,
Nulli hominum mecum par gloria lauſque fuißet.

Oppianus Cilix, patris in exilio comes, poemate de piſcatione oblato imperatori ſive Severo, ſive Caracallae, non modo patri veniam impetravit, ſed & pro ſingulis verſibus ſingulos nummos aureos, nempe non vicies mille, ut Suidas putat, ſed 5648., quot verſus in quinque libris Halieuticon continentur. In patriam reverſus anno aetatis triceſimo extinctus eſt. Praeter Halieutica ſcripſit & Cynegetica *de venatione*, & ſecundum nonnullos Ixeucticon libros duos, qui lucem non adſpexerunt. Vid. *Fabric. loc. cit.*

L I V.

Ex Fabric. *Tom. IV. lib. IV.* 22.

ΟΥΤΟΣ ΤΟΙ ΔΙΟΦΑΝΤΟΝ ΕΧΕΙ ΤΑΦΟΣ Ω ΜΕΓΑ ΘΑΥΜΑ
ΚΑΙ ΤΑΦΟΣ ΕΚ ΤΕΧΝΗΣ ΜΕΤΡΑ ΒΙΟΙΟ ΛΕΓΕΙ
ΕΚΤΗΝ ΚΟΥΡΙΖΕΙΝ ΒΙΟΤΟΥ ΘΕΟΣ ΩΠΑΣΕ ΜΟΙΡΗΝ
ΔΩΔΕΚΑΤΗΙ Δ' ΕΣΠΙΘΕΙΣ ΜΗΛΑ ΠΟΡΕΝ ΧΛΟΑΕΙΝ
ΤΗΙ Δ' ΑΡ' ΕΠ' ΕΒΔΟΜΑΤΗΙ ΤΟ ΓΑΜΗΛΙΟΝ ΗΨΑΤΟ ΦΕΓΓΟΣ
ΕΚ ΔΕ ΓΑΜΩΝ ΠΕΜΠΤΩΙ ΠΑΙΔ' ΕΠΕΝΕΥΣΕΝ ΕΤΕΙ
ΑΙ ΑΙ ΤΗΛΥΓΕΤΟΝ ΔΕΙΛΟΝ ΤΕΚΟΣ ΗΜΙΣΥ ΠΑΤΡΟΣ
ΤΟΥ ΔΕ ΚΑΙ Η ΚΡΥΕΡΟΣ ΜΕΤΡΟΝ ΕΛΩΝ ΒΙΟΤΟΥ
ΠΕΝΘΟΣ Δ' ΑΥ ΠΙΣΥΡΕΣΣΙ ΠΑΡΗΓΟΡΕΩΝ ΕΝΙΑΥΤΟΙΣ
ΤΗΙ ΔΕ ΠΟΣΟΥ ΣΟΦΙΗΙ ΤΕΡΜ' ΕΠΟΡΗΣΕ ΒΙΟΥ

Οὗτος τοὶ Διόφαντον ἔχει τάφος, ὢ μέγα θαῦμα,
Καὶ τάφος ἐκ τέχνης μέτρα βίοιο λέγει.
Ἕκτlω κυρίζειν βιότυ Θεὸς ὤπασε μοίρην,
Δωδεκάτῃ δ' ἐσπιθεὶς μῆλα πόρεν χλοάειν.

Τῇ δ' ἄρ' ἐπ' ἑβδομάτῃ τὸ γαμήλιον ἥψατο φέγγος
'Εκ δὲ γάμων πέμπτῳ παῖδ' ἐπένευσεν ἔτει.
Αἶ αἶ τηλύγετον δειλὸν τέκος, ἥμισυ πατρὸς
Τοῦ δὲ καὶ ἡ κρυερὸς μέτρον ἑλὼν βιότου.
Πένθος δ' αὖ πισύρεσσι παρηγορέων ἐνιαυτοῖς,
Τῇ δὲ πόσου σοφίῃ τέρμ' ἐπόρησε βίου.

Ibidem.

Hic Diophantus habet tumulum, qui tempora vitae
Illius mira denotat arte tibi.
Egit (a) *ſextantem, juvenis lanugine malas*
Veſtire hinc coepit parte duodecima. (b)
Septante uxori (c) *poſt haec ſociatur, & anno*
Formoſus quinto (d) *naſcitur inde puer.*
Semiſſem (e) *aetatis poſtquam attigit ille paternae,*
Infelix ſubita morte peremtus obit.
Quattuor (f) *aeſtates genitor lugere ſuperſtes*
Cogitur; hinc annos illius aſſequere.

Diophanti, quem alii Neronis, alii Antoninorum tempore floruiſſe tradunt, aetas incerta eſt. Vixit annos 84., ut ex ejus epitaphio conſtat, quod ex anthologia inedita Bachetus addit in notis ad *lib. V.* (a) 14. annos. (b) 7. (c) 12. (d) 5. (e) 42. (f) 4. *ſumma* 84. Diophantum ſtatura puſillum ſic lepide ridet Lucilius poeta, ſub extremum ſeculi *IV.* poſt natum Chriſtum illuſtris:

Βουλόμενος ποθ' ὁ λεπτὸς ἀπαγξάσθαι Διόφαντος,
Νῆμα λαβὼν ἀράχνης αὐτὸν ἀπηγχόνισεν.
Quum parvus vellet laqueo Diophantus obire,
Penſilis eſt filo factus araneoli.

L V.

Spon. Miſcell. Antiq. Sect. IV. 11.

D. SERVILII . D. L. APOLLONII
MEDICI SERVILIA D. L.
AMBROSIA FECIT PATRONO
SVO ET SIBI ET SVIS

Ω. Δ'

Ω. Δ᾽. ΕΠΑΦΟΥ. ΓΕΝΝΗΜΑ. ΣΟΦΟΙΣ. ΕΠΙΕΙΚΕΛΟΣ. ΑΝΗΡ
ΚΕΙΜΑΙ. ΡΩΜΑΙΩΝ. ΣΠΕΡΜΑ. ΠΟΛΥΚΤΕΑΝΩΝ
ΚΛΗΤΟΜΕΝΟΣ. ΔΕΚΙΜΟΣ. ΣΕΡΟΥΙΛΙΟΣ.ΕΙΔ᾽. ΕΤΗ.ΕΛΘΩΝ
ΕΝΝΕΑ. ΠΟΥ. ΔΕΚΑΔΩΝ. ΚΑΙ. ΤΡΙΑ. ΩΣ. ΕΛΕΓΟΝ

Ω δ᾽ Ἐπάφου γέννημα, σοφοῖς ἐπιείκελος ἀνὴρ,
Κεῖμαι Ῥωμαίων σπέρμα πολυκτεάνων,
Κλητόμενος Δέκιμος Σερουίλιος εἰδ᾽ ἔτη ἐλθὼν,
Ἐννέα πȣ̃ δεκάδων καὶ τρία ὡς ἔλεγον.

Sic vertitur apud Reineſ. *p.* 612.

Hic Epaphi ſoboles, ſapientum Adſecla Virorum,
Et Romanorum divite gente ſatus
Hic jaceo, Decimus Serviliu nomine vixi,
Annorum decades cum tribus uſque novem.

Hoc monumentum repertum in via eſt, quae Neapoli Nolam ducit propter Veſuvium, ubi ſitam fuiſſe Paleopolim ſcribit Ambroſius Nolanus.

LVI.

Romae in aedibus Barberinis.

Theſ. Murator. T. IV. p. MMLXXV. 1.

ΗΛΙΚΙΗ ΜΟΡΦΗ ΦΡΕΣΙ ΜΟΥΣΑΙΣ ΣΩΦΡΟΣΥΝΗ ΤΕ
ΕΝ ΠΑΣΙΝ ΠΡΕΠΟΥΣΑ ΚΑΤΑΦΡΟΝΙ ΦΩΣ ΛΙΠΕΣ ΗΟΥΣ
ΚΑΜΕ ΦΥΓΕΣ ΠΟΘΕΟΝΤΑ ΚΑΙ ΟΥΚ ΕΣΑΡΘΡΗΣΑΣΙ ΟΥΣΑ
ΤΟΙ ΓΑΡ ΕΓΩ ΤΟΔΕ ΣΗΜΑ ΦΙΛΟΙΣ ΣΤΑΔΙΟΙΣΙΝ ΕΤΕΥΞΑ
ΟΦΡΑ ΣΕ ΚΑΝ ΝΕΚΡΥΝ ΟΥΣΑΝ ΕΜΟΙΣ ΜΕΛΑΦΡΟΙΣΙΝ ΟΡΟΙΗΝ
ΟΥΝΟΜΑ ΜΟΙ ΓΛΥΚΥ ΜΕΣΣΙΑ ΑΙΜΝΗΣΤΗ ΠΑΡΑΚΟΙΤΙ

Ἡλικίῃ μορφῇ φρεσὶ Μȣ́σαις σωφροσύνῃ τε
Ἐν πᾶσιν πρέπȣσα καταφρόνι φαὸς λίπες ἠȣ̃ς,
Κἀμὲ φύγες ποθέοντα καὶ ȣ̓κ ἐσαρθρήσασι ȣ̓̃σα.
Τοὶ γὰρ ἐγὼ τόδε σῆμα φίλοις σταδίοισιν ἔτευξα,
Ὄφρα σὲ καν νέκρυν ȣ̓̃σαν ἐμοὶς μελαφρόισιν ὁροίην
Οὔνομα μοὶ γλυκὺ Μεσσία αἰμνήστη παράκοιτι.

Ita vertit ibid. Dominicus Bricherius
Columbus J. C.

Eetate ac forma, ingenio ſimul & probitate
Prorſus par muſis, lucem inſperata relinquis,

Meque fugis cupidum, neque te inſpicientibus adſtas.
Fors ego dilectis tumulum hunc fabricatus amicis,
Vt noſtra te, & ſi morereris, in aede viderem,
Meſſia, perpetuo nomen mihi dulce marito.

L V I I.

Theſ. Grut. DCXCIX.

VT . TE . PALLADI . RAPTVM . FLEVERE . CAMENAE *ſic*
FLEVERVNT . POPVLI . QVOS . CONTINET . OSTIA . DIA.
IVLIVS . NICEPHORVS . PATER . INFELIX . FECIT

L V I I I.

Ad S. Laurentii in Lucina.

ACCIPE SVPREMOS QVIS TE DONAMVS HONORES
CARE MACRE ET LONGVM ME CARITVRE VALE
1. FELIX QVI COMMVNE MALVM NEC TANTA VIDEBIS
FVNERA QVAE NOSTRA BARBARVS IN PATRIA
PATRABIT FELIX TRIBVIT CVI ROMA SEPVLCRVM
CVI TOT AMICORVM IVSTA DEDERE MANVS
TE GRAECAE LATIAEQVE SIMVL FLEVERE CAMOENAE
2. ET MEDICINA TVO MAESTA SEDET TVMVLO

Cl. Praeſul Philippus Maria Monti, nunc Eminentiſſimus Cardinalis mihi olim MS. dedit hoc epigramma, quod jam pridem eſt typis editum a Cl. Muratorio.

1. Ita Cic. in Bruto ſe de Hortenſii interitu conſolatur. *Perpetua quadam felicitate uſus ille ceſſit e vita, ſuo magis, quam ſuorum civium tempore, & tum occidit, quum lugere facilius rempublicam poſſet, ſi viveret, quam juvare.*

2. Nimis medicinae favet Reimannus, qui Mathuſalemum ex vi nominis (idem enim eſt, ac *mors & ablegavit*) medicinam conjicit profeſſum eſſe, & artis ſuae praeſidio ad eam aetatis diuturnitatem feliciter perveniſſe.

L I X.

Iguvii. *Ferret.* 302

L. SABINVS . L. L. PRIMIGENIVS

1. ORTVS . AB . IGVVIO . MEDICVS . FORA . MVLTA . SECVTVS
ARTE . FEROR . NOTA . NOBILIORE . FIDE

ME.

ME . CONSVRGENTEM . VALIDA . FORTVNA . IVVENTA
DESTITVIT . RAPIDIS . IMPOSVITQVE . ROGIS
2. CLVSINO . CINERES . ELAMMAE . CESSERE . SEPVLCRO
PATRONVS . PATRIO . CONDIDIT . OSSA . SOLO

1. Sabinus Lucii Libertus multo jucundior patrono fuit, quam Atimetus ille, cui C. Vius reſtem, & clavum reliquit, ut ſibi collum alligaret, quia ejus dolo filiam amiſerat. *Syll. Fleet.pag.* 258. Non qui unius duntaxat morbi curam ſuſciperent, ſed qui morbis omnibus mederentur, ii proprie *Medici* nuncupabantur, & *Archiatri*, ac *ſupra Medicos*, ut *ſupra Cubicularios*, *ſupra Velarios &c.* Fabrett. *Ant. Inſcr. I. pag.* 59. & *IV.* 300. & 399. Pignor.*pag.* 37. Blanchin. *in ſepulcr. Famil. Aug.pag.* 37.

2. *Cluſinum* ſepulcrum non tam ab oppido dictum reor, quam a verbo *Cludo*, ſicut *Janus Cluſinus*.

L X.

Apud Calmadulenſes in Villa Tuſculana Eminentiſſimi Cardinalis Paſſionei.

ANEPECOIΠAPOCATCONIΩN
ΠΕΔΟΝΕΙΚΕΤΕΞΕΙΝΟΙ
ΒΑΙΟΝΕΠΙΓΡΑΦΕΡΗΧΘΟΝΙΔΕΡ
ΚΟΜΕΝΟΙΤΟΔΕΔΩΜΑ
ΑΝΔΡΟCΟΠΙΖΟΜΕΝΟΤΖΗΝΟC
ΝΟΟΝΑΙΓΙΟΧΟΙΟ
ΟCΠΟΤΕΔΕΙΞΕΒΡΟΤΩΝΙΙΟΛΤ
ΠΛΑΓΚΤΟΙCΙΝΠΡΑΠΙΔΕCCΙΝ
ΨΤΧΗΝΑΘΑΝΑΤΗΝΚΑΓΗΡΑΟΝ
ΕΚΔΙΟCΑΙCΗC
ΜΑΡΤΤΡΑΦΟΙΒΟΝΑΜΤΜΝΙCΙΝ
ΕΝCΕΛΙΔΕCCΙΧΑΡΑΞΑC
ΟΤΔΑΡΑΘΝΗΤΟCΕΗΝΤΠΑΝΑΓ
ΚΗCΑΤΨΙΜΕΔΟΝΤΟC
ΤΤΜΒΩΕΙΝΑΛΕΩΠΕΠΕΔΗΜΕ
ΝΟCΗΝΤCΕΝΟΙΜΟΝ

ΕΚ

ΕΚΡΕΘΕΩΝΔΑΜΑϹΤΕΙΧΩΝϹΕ
ΜΝΟΝΕΒΗΔΙΟϹΟΙΧΟΝ
ΛΗΤΟΙΔΗΚΑΙΜΟΥϹΑΙϹΒΩΜΟΝ
ΥΠΗΕΡΙΤΕΥΞΑϹ
ΕΙΗΤΗΡΔΑΜΑϹΚΛΗΠΙΑΔΗϹΜΑ
ΚΑΡΩΝΤΡΙΒΟΝΗΕΙ
ΧΡΗΜΟϹΥΝΗΝΔΕΛΙΠΕΝΠΟΛΥΚΗ
ΡΙΟΝΕΝΝΕΚΥΕϹϹΙΝ

1. Ἀνέρες οἳ πάρος Αὐσονίων πέδον ἥκετε ξεῖνοι
Βαιὸν ἐπὶ ξαφερῇ χθονὶ δερκόμενοι τόδε δῶμα
2. Ἀνδρὸς ὀπιζομένου Ζηνὸς νόον Αἰγιόχοιο,
Ὅς ποτ᾽ ἔδειξε βροτῶν πολυπλάγκτοισιν πραπίδεσσιν
3. Ψυχὴν ἀθανάτην, κ᾽ ἀγήραον ἐκ Διὸς αἴσης,
Μάρτυρα Φοῖβον ἀμύμοσιν ἐν σελίδεσσι χαράξας.
Οὐ δ᾽ ἄρα θνητὸς ἔην, ὑπ᾽ ἀνάγκης δ᾽ ὑψιμέδοντος
Τύμβῳ εἰν ἀλίῳ πεπεδημένος ἤνυσεν οἶμον
4. Ἐκ ῥεθέων δ᾽ ἅμα στείχων σεμνὸν ἔβη Διὸς οἶκον
Λητοΐδῃ καὶ μούσαις βωμὸν ὑπ᾽ ἠέρι τεύξας
Εἰήτηρ δ᾽ ἅμ᾽ Ἀσκληπιάδης μακάρων τρίβον ἤει
5. Χρημοσύνην δ᾽ ἔλιπεν πολυκήριον ἐν νεκύεσσιν.

Sic ego vertebam iratis muſis.

Auſonidum quicunque ſubis novus advena terram,
Illius in bibula cernens breve marmor arena,
Qui Jovis Aegiochi mentem eſt veneratus, & olim
Corda hominum docuit curis erratica habere
Immortalem animam, ſenii expertemque, jubente
Sic Jove, te innocua teſtatus pagina, Apollo:
Non mortalis erat: ſed fato urgente, marino
In tumulo confecit iter: jam corporis expers
Nunc Jovis auguſtum felix aſcendit in orbem,
Et Phoebo, & muſis aram fabricatus in aethra.
Porro Aſclepiades ſuperum pia regna ſubivit
Aeſque alienum orco paupertatemque reliquit.

1. Hanc inſcriptionem, quae extat in cippo marmoreo litteris perelegantibus & quadratis primus edidit Cl. Murato-

torius in novo ſuo theſauro *Claſſ. X. T. II. p.* 696. 5., tum inter ephemerides litterarias Typographus Palearinus.

2. Jupiter dictus Αἰγίοχος, vel cum Lactantio a capellae Amaltheae corio, quo ille tanquam ſcuto uſus eſt, vel cum Hygino ab Aega Panos uxore, vel quod aegide, ſicut Pallas, armatus eſſet. Lilius Gyraldus *Syntagm. II.* veriſimilius putat, ita appellatum a ventorum ac turbinum converſionibus, quas Graeci dicunt αἰγίδας, & καταιγίδας.

3. Hinc Muratorius de animae immortalitate Aſclepiadem ſcripſiſſe conjicit, de medicina affirmat Cl. Doctor Brunettus, cujus arti & amicitiae poſt Deum me quidem fateor debere vitam.

4. Vide quae in *Diſſ. II. num. XVIII.* de animarum e caelo delapſu, & ad Deos reditu dicta ſunt.

5. Cur Aſclepiades reliquiſſe in inferis dicitur paupertatem *multis ceris obaeratam*? an quia ipſo vivo penuria mortuorum fuerat apud inferos? Ita rem prudenter interpretatur doctiſſimus Muratorius huc traducens Hippocratis elogium in Anthologia ἦν σπάνις ἐν Ἀΐδῃ, *erat penuria* mortuorum *in inferno*.

L X I.

Ex marmoribus Piſaurenſibus 74.

D . M

PETRONII . ANTIGENIDIS

1. TV . PEDE . QVI . STRICTO . VADIS *a* . PER . SENTA . VIATOR
SISTE . ROGO . TITVLVMQVE . MEVM . NE . SPREVERIS . ORO
BIS . QVINOS . ANNOS . MENSESQVE . DVOS . DVO . SOLES
IN . SVPEROS *b* . FECI . TENERE . NVTRITVS . AMATVS
DOGMATA . PITHAGORAE . SENSI . STVDIVMQVE . SOPHORVM
ET . LIBROS . LEGI . LEGI . PIA . CARMINA . HOMERI
SIVE . QVOT *c* . EVCLIDES . ABACO . PRAESCRIPTA . TVLISSET
DELICIAS . HABVI . PARITER . LVSVSQVE . PROCACES *d*
HAEC . HILARVS *e* . MIHI . CONTVLERAT . PATER . IPSE . PATRONVS
SI . NON . INFELIX . CONTRARIA . FATA . HABVISSEM *f*
NVNC . VERO *g* . INFERNAS . SEDES . ACHERONTIS . AD . VNDAS
2. TETRAQVE . TARTAREI . PER . SIDERA *g* . TENDO . PROFVNDI

EFFV-

EFFVGI . TVMIDAM *i* . VITAM . SPES . FORMA . VALETE
NIL . MIHI . VOBISCVM . EST . ALIOS . DELVDITE . QVAESO
3. HAEC.DOMVS.AETERNA.EST.HIC.SVM SITVS.HIC ERO.SEMPER

Fabrett. (*a*) *in* 1. *verſu leg.* PERGIS . *idem* (*b*) SVPERIS . (*c*) *idem* QVOS . *&* MS. QVOD . (*d*) *Alib.* CONESQVE , *vel* IOCOSQVE . (*e*) *Fabr.* HYARVS . *Cod.* IRRVS . (*f*) *Grut.* HABVISSET . (*g*) *Fabr.* NVNC . VERO.AD . (*h*) *idem* SYDERA . (*i*) *alib.* TIMIDAM .

1. STRICTO . i. e. ſuſpenſo ob loci religioſi venerationem , niſi mavis *calceato* propter locum ſentibus ac ſpinis obſitum : viatores enim per vepres , aut ſcrupoſas vias ituri calceis pedes ſtringunt & muniunt ; hinc metaphoram ducit Plautus *Capt. I.* 2. *v.* 84. poſtquam dixit *meus ſcrupoſam victus commeat viam* , dentes dicit joculariter *calceatos* , paratos ſcilicet ad comedendum , ut viator calceatus paratus dicitur ad iter . SENTA idem eſſe , ac *horrida* docet Terentius in *Eun. video ſentum , ſqualidum , aegrum , pannis , anniſque obſitum*. Alii legunt SANCTA propter ſepulcri religionem , ipſis quoque a ſacrilegis magni habitam , ut in *vet. monum.*

SACRILEGAE BVSTIS ABSTINVERE MANVS .

2. Ita Virg. *Aen. VI.*

Largior hic campos aether & lumine veſtit
Purpureo , ſolemque ſuum , ſua ſidera norunt .

3. *Aeterna domus* pro ſepulcro perinde Chriſtianis , ac Ethnicis in uſu fuit .

Muſarum amatoribus haec gratiſſima fore arbitror Petronii Antigenidis carmina edita *Amſtelod. An.* 1669.

De Achille .

Cauta quidem genitrix , noceant ne vulnera nato
Confirmat ſtygio fonte puerperium :
Sed quia fas nullis humanam vincere ſortem ,
In membris tincti dant ſibi fata locum .

In Xerſem .

Perſes magnus adeſt . totus comitatur euntem
Orbis ; quid dubitas , Graecia , ferre jugum ?

Mun-

Digitized by Google

Mundus juſſa facit: ſolem texere ſagittae:
Calcatur pontus, fluctuat altus Athos.

In eundem.

Hic, quem cernis, Athos immiſſis pervius undis
Flexibus obliquis circumeundus erat,
Accepit magno deductum Nerea fluctu,
Perque latus miſit maxima bella ſuum.
Sub tanto ſubitae ſonuerunt pondere claſſes,
Caeruleus cana ſub nive pontus erat.
Idem commiſit longo duo litora ponte
Perſes; & fecit per mare miles iter.
Quale fuit regnum? mundo nova ponere jura:
Hoc terrae fiunt, hac mare, dixit, eat.

De Telepho.

Telephus excellens Alcidae pignus, & Augae
Externae ſortis bella inopina tulit.
Nam Graji Trojam peterent quum mille carinis,
Tangeret & claſſis litus adacta ſuum,
Occurrens Danais forti dum pugnat Achilli,
(a) *Syria pugnanti percutit haſta femur;*
Pro cujus cura conſultus dixit Apollo,
Hoſtica quod ſalubrem cuſpis haberet opem.
(b) *Mox precibus flexi Pelidae e robore ſacro*
Injecto membris pulvere plaga fuit.
Monſtrant fata viri vario miracula caſu,
Unde datum vulnus, contigit inde ſalus.

(a) Cl. Annibal Oliverius *ad marm. Piſaur. in not. pag.* 33. prudenter legendum putat non *Syria*, ſed *Pyrrhia*, quia Theſſalia, ubi Achilles natus Pyrrhia olim dicta eſt a Pyrrha Deucalionis. (b) Idem ſcite pro *ſacro* emendat *ſana*. Interea ne libertus hic noſter nimium ſibi plaudat, Melioris annos XIII. nati elogium audiat, adoleſcentis *tantae memoriae & ſcientiae, ut omnium titulos ſuperaverit*.

Digitized by Google

L X I I.

Fabrett. Inſcr. Ant. II. pag. 88.

D M

MELIORIS . CALCVLATORIS
VIXIT . ANN. XIII. HIC . TANTAE . MEMORIAE.ET.SCIENTIAE
FVIT . VT . AB . ANTIQVORVM . MEMORIA . VSQVE . IN .DIEM
FINIS . SVAE . OMNIVM . TITVLOS . SVPERAVERIT
SINGVLA . AVTEM . QVAE . SCIEBAT . VOLVMINE . POTIVS
QVAM . TITVLO . SCRIBI . POTVERVNT . NAM
COMMENTARIOS . ARTIS . SVAE . QVOS . RELIQIT *ſic*
PRIMVS . FECIT . ET . SOLVS . POSSET . IMITARI . SI · EVM
ſic INIQA . FATA . REBVS . HVMANIS . NON . INVIDISSENT
SEX . AVFVSTIVS . AGREVS . VERNAE
SVO . PRAECEPTOR . INFELICISSIMVS.
FECIT
IN . F. P. II. IN . AG. P. VI.
EXCESSIT . ANNO . VRBIS . CONDITAE.
DCCCXCVII.

L X I I I.

Ex Muſ. Veron. pag. LXIII. 3.

ΣΗΜΑΤΟΔΕΕΥΔΑΙΜΩΝΔΙΟΝΥΣΙΩΙΟΝΡΕΤΑΡΟΝΩΣ
ΦΙΛΑΤΟΚΑΙΜΟΥΣΑΙΣΕΞΟΧΑΦΙΛΑΜΕΝΩΙ
ΕΙΚΑΙΜΟΙΘΥΜΟΣΔΙΟΝΥΣΙΕΠΕΙΡΕΤΑΙΑΙΝΩΣ
ΑΜΦΙΣΟΙΑΛΛΕΜΠΗΣΟΙΑΠΑΡΕΣΤΙΔΕΧΟΥ
ΥΣΤΑΤΑΔΗΦΙΛΕΔΩΡΑΤΑΔΑΛΛΑΤΟΙΟΣΣΑΕΟΙΚΕ
ΚΑΙΠΑΡΟΣΕΥΔΑΙΜΟΝΔΩΚΕΚΑΙΟΙΧΟΜΕΝΔΩΙ
ΖΩΟΝΜΕΝΜΕΘΕΗΚΕΝΕΛΕΥΘΕΡΟΝΟΥΔΕΠΑΡΟΙΘΕΝ
ΟΥΣΥΓΕΕΠΕΙΡΗΘΗΣΠΩΠΟΤΕΔΟΥΛΟΣΥΝΗΣ
ΗΓΑΡΕΗΣΑΥΤΩΙΚΕΧΕΧΑΡΙΣΜΕΝΟΣΕΞΕΤΙΠΑΙΔΩΝ
ΗΠΙΟΣΕΣΘΛΟΣΙΔΕΙΝΕΥΝΟΟΣΑΓΧΙΝΟΟΣ
ΚΑΡΠΑΛΙΜΩΣΓΡΑΨΑΙΣΗΜΗ . . . ΔΙΠΛΟΑΦΩΝΗΣ
ΕΛΛΑΔΟΣΕΤΕΙΔΩΣ . . . ΕΚΑΙΑΥΣΟΝΙΩΝ
. . . .

Σῆμα τόδε Εὐδαίμων Διονυσίῳ, ὅν ῥ᾽ ἕταρον ὡς
Φίλατο, καὶ μούσαις ἔξοχα φιλαμένῳ.

Εἰκαί

Εἰκῇ μοι θυμὸς Διονύσιε πείρεται αἰνῶς
 Ἀμφί σοι, ἀλλ' ἔμπης οἷα παρέσι δέχυ
Ὕστατα δὴ φίλε δῶρα, τὰ δ' ἄλλά τοι ὅσσα ἔοικε
 Καὶ πάρος Εὐδαίμων δῶκε καὶ οἰχομένῳ.
Ζωὸν μὲν καθέηκεν ἐλεύθερον' ἤδη· πάροιθεν
 Οὔ σύγε ἐπηρήτης πώποτε δουλοσύνης.
Ἦ γὰρ ἔης αὐτῷ κεχαρισμένος ἐξ ἔτι παίδων,
 Ἤπιος, ἐσθλὸς ἰδεῖν, εὔνοος ἀγχίνοος.
Καρπαλίμως γράψαι σημήια διπλόα φωνῆς
 Ἑλλάδος εὐεπίης ὑδὲ καὶ Αὐσονίων.

Sic vertit Marchio Cl. Scip. Maffejus.

Eudaemon ſocii Dionyſio ad inſtar amato,
 Caro etiam Muſis, haec monumenta dedi.
Et quamvis ob te, Dionyſi, maximus angor
 Me excruciet, tamen haec accipe, qualia ſint
Munera, amice, extrema. Tibi quaecunque decebat
 Praeſtiti & ante, & idem praeſto abeunti etiam.
Vivum donavi te libertate: ſed illa
 Et prius utebaris, neque ſervus eras.
Namque inter ſervos etiam acceptiſſimus, aptus,
 Et ſolers fueras, & ſapiens, & amans.
Docte notis brevibus ſermonem ſcribere utrumque,
 Argolicum egregie, nec minus Auſonium.

Notarum Romae inventio Ciceroni conſuli tribuitur, cujus libertus Tiro primus hoc ſtudio claruit, Catonis oratione, quamvis feſtinanter pronunciata, ad verbum exſcripta: *Plutarch. in Caton. Utic.* Poſt Tullium Tironem, qui notas praepoſitionum invenit, Tertius Perſannus, Philargius, & Aquila, liberti Mecoenatis, alius alias ediderunt, teſte Iſidoro *l.* 21. Svetonius *de illuſtr. Grammat. l.* tradit Ennium, non veterem quidem poetam, ſed poſteriorem mille & centum inveniſſe vulgares notas. Seneca contracto omnium, auctoque numero opus effecit in quinque millia. Quum his notis obſcuritatis occaſio praeberetur, Juſtinianus imperator vetuit, ne quis iis amplius in ſcriptis publicis uteretur.

Digitized by Google

Scripſerunt de his bene multi, quos numerat Albertus Fabricius in *Biblioth. Lat. II.* 9. & *IV.* 6. vid. & *Tom. XI. Theſ. Ant. Rom. Georg. Graev.* & *Walch. Tom. I.* Servos porro Amanuenſes, qualis hic noſter fuit, inter lectiſſimos fuiſſe habitos, ex Nerone ediſcimus, quem Svetonius 44. narrat, poſtquam tribus urbanas ad ſacramentum citari juſſit, *nullo idoneo reſpondente*, certum dominis ſervorum numerum indixiſſe, diſpenſatoribus quidem exceptis, & *Amanuenſibus*.

L X I V.

Extat in muſ. Coll. Rom. PP. Soc. Jeſu.

Ex Muſ Veron. pag. CCLVIII. 3.

1. GRAMMATICVS LECTORQVE FVI·
SET LECTOR EORVM MORE INCOR·
RVPTO QVI PLACVERE SONO COIVGIS *ſic*
EXIGVO NATAE PIETATE SEPVLTVS
HOC MARIVS FIDENS CONTEGOR A TVMVLO·
V. MARIA DIDYME MARIA ACHELOIS
VIVIT
TII LAPIS OPTESTOR LIIVITIIR SVPIIR OSSA RIISIDAS

1. Servi lectores noti ſunt in lapidibus, & in hiſtoria. Vid. *Svet. in Aug.* & *Blanchin. in ſepulcr. Fam. Aug. pag.* 42. In ultimo verſu duplex II pro E non raro a veteribus uſurpata.

L X V.

Comi.

P. ATILII
P. F. O. V. F.
SEPTICIANI
GRAMMAT. LATINI
CVI . ORD. COMENS
ORNAMENTA
DECVR. DECREVIT
QVI . VNIVERSAM
SVBSTANTIAM
SVAM . AD . REMPVBL·
PERTINERE . VOLVIT

In

In latere dextero.

MORBORVM
VITIA . ET . VITAE
MALA . MAXIMA
FVGI
NVNC . CAREO
POENIS . PACE
FRVOR . PLACIDA

Morborum vitia, & vitae mala maxima fugi,
Nunc careo poenis, pace fruor placida.

Ex MS. Benedicti Zobii Comenſis V. C. collectaneis veterum monumentorum, quae tum Comi, tum ejus in agro reperta ſunt, quorum mihi copiam fecit humaniſſimus Abbas Rodulphinus Venutus.

LXVI.

Bergomi. *Theſ. Grut. pag. DCLIII.* 2.

PVDENS . M. LEPIDI . L. GRAMMATICVS
PROCVRATOR . ERAM . LEPIDAE . MORESQ. REGEBAM
DVM . VIXI . MANSIT . CAESARIS . ILLA . NVRVS
ATTEIVS . PHILOLOGVS . DISCIPVLVS

Aemilia Lepida, quae Syllam, & Pompejum M. proavos habuit, deſtinata fuerat conjux L. Caeſari, & Auguſto nurus, ſed illo Maſſiliae mortuo A. V. 757. data eſt Quirinio privato & poſtea repudiata: tum illi ob ſcelera aqua & igni interdictum fuit. Vid. *Tacit. Ann. II.* & *ibid. Lipſ.* qui de hac Lepida hunc titulum exponit; ſecus nonnullis fruſtra ſentientibus, hanc fuiſſe uxorem Druſi Germanici, Tiberii nepotis, quae proprie Auguſti nurus eſſe non potuit.

Qui ſequuntur lapides, videntur quidem artis muſicae monumenta, ſed quorum laudes inibi celebrantur, eos autumo ad vocis ſuavitatem etiam ingenii gloriam addidiſſe, praeſertim lectiſſimam feminam Publianam, poeſeos ſimul, & artis muſicae, ut ex verſu ultimo Bovbierius conjicit, ornamento inſignem, tum Illyrium Graecum, quem utpote cum Amphione comparatum, opinor quidem fuiſſe muſicum, ſed litteratorum albo minime

Digitized by Google

me eradendum . Nam ex tetraſtichi concluſione apparet , illi debuiſſe plurimum optimas facultates .

L X V I I.

Ex Fabrett. Ant. Inſcr. X. p. 731.

ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΜΑΙ ΔΑΜΑΡ ΥΠΑΤΟΥ ΗΡΟωΣ *a* ΑΓΑΥΟΥ
ΑΡΡΙΟΥ *b* ΜΟΙ ΦΙΛΙΟΥ Τω ΔΕ ΜΙΓΕΙΣΑ ΜΟΝω
ΗΝΔΕΚΕΝΕΚΠΡΟΓΟΝωΝΠΟΤΕ ΤΟΥΝΟΜΑ *c* ΠΟΥΒΛΙΑΝΗΜΟΙ
ΣΚΙΠΙΑΔΑΙ *d* Δ' ΕΠΕΛΟΝ *e* ΕΥΓΕΝΙΗΙ Τ' ΕΠΡΕΠΟΝ
ΧΗΡΕΙΑΙ Τ' ΑΥΤΗ ΤΟΝ ΑΠΑΝΤΑ ΧΡΟΝΟΝ ΜΕΙΝΑΣΑ
Κ' ωΚΥΜΟΡωΝ ΤΕΚΕωΝ ΠΕΝΘΑΙ *f* ΤΗΚΟΜΕΝΑ
ΕΝ ΒΙΟΤω ΔΕ ΠΟΝΟΝ ΠΟΧΛΗΝ Δ' ΑΝΕΤΛΗΝ *g* ΜΟΓΕΟΥΣΑ
ΜΟΥΣΑΙΣΙ ΜΟΥΝΟΝ ΤΗΝ ΦΡΕΝΑ *h* ΘΕΛΓΟΜΕΝΗ

Valde quoque deformis eſt lapis apud Sponium *pag. ult.* praeſertim: *a* ΑΓΛΑΟΥ. *b* ΜΟΥ. *c* ΠΟΥΡΑΙΑΝ ΗΜΟΙ. *d* CΚΙΑΙΑ ΔΑΙ. *e* ΕΥΓΕΝΙΗC ΠΡΕΠΟΝ. *f* ΠΕΝΘΗ. *g* ΔΑΝ ΕΤ ΑΗΝ ΜΟΥΕΟΥC. *h* ΘΕΛΠΟΜΕΝΗ.

Hagenbuchius in *Epiſt. Epigr. p.* 150. laudata Bovhierii diligentia in hoc epigrammate emendando, ſuam quoque operam erudite, ut ſolet, ibidem collocat in hunc modum.

Ἐνθάδε κεῖμαι δάμαρ ὑπάτου ἥρωος ἀγαυοῦ
Ἀῤῥίου μοι φιλίου. Τῷ δὲ μιγεῖσα μόνῳ.
Ἦ δὲ καὶ ἐκ προγόνων ποτὲ τ' οὔνομα Πουβλιάνη μοι.
Σκιπιάδαι δ' ἔπελον, εὐγενίῃ τ' ἔπρεπον.
Χηρείᾳ τ' αὐτὴ τὸν ἅπαντα χρόνον μείνασα,
Κ' ὠκυμόρων τεκέων πένθεϊ τηκομένη.
Ἐν βιότῳ δὲ πόνον πολλὸν δ' ἀνέτλην μογέουσα,
Μούσαισιν μοῦνον τὴν φρένα θελγομένη.

Ita vertit Emmanuel Martinus Valentinus apud Fabrett. *p.* 732.

Hic jaceo herois ſupremi ac nobilis uxor
Arrj, cui tantum corpore nota viro,
Inclyta Publianae fuerant mihi nomina gentis,
Scipiadum, clarum nobilitate genus.
Orba viro viduum duxi ſine crimine tempus.
Abreptae prolis tacta dolore gravi.

Dum

Dum vixi multoſque tuli miſeranda labores,
Illexitque animum ſola Camoena meum.

Nobilis Publiana uxor fuiſſe videtur illius Q. Arrii Paetini, cujus conſulatus cadit in an. Chr. 123. Vid. *Hagenbuchius loc. cit.*

LXVIII.

Athenis in lapide moenium.

Muratorius e ſchedis ſuis pag. 672.

ΑΜΦΙΩΝ ΜΟΥΣΑΙΣ ΚΙΘΑΡΗΣ ΕΞΗΣΕΝ ΘΗΒΗΣ
ΤΕΙΧΕΑ ΝΥΝ Δ' ΕΠ' ΕΜΑΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΙΛΛΥΡΙΟΣ
ΑΔΥΛΟΓΟΝ ΜΟΥΣΑΝ ΜΕΘ' ΕΠΩΝ ΤΩ ΚΑΙ ΔΟΚΕΟΥΣΙ
ΑΚΜΗΤΕΣ ΡΕΞΕΙΝ ΠΕΙΡΑΤΑ ΠΑΝΤΑ ΤΕΚΝΑΣ.

1. Ἀμφίων Μύσαις κιθάρης ἔκπισεν Θήβης
Τέιχεα νυῦ δ' ἐπ' ἐμᾶς πατρίδος Ἰλλύριος
Ἀδυλόγον μῦσαν μεθ' ἐπῶν, τῶ καὶ δοκέυσι
2. Ακμῆτες ῥέξειν πείρατα πάντα τέκναι

In primo verſu Cl. Muratorius pro ἔξησεν legendum putat ἐξέργασε. Cur non potius ἔκπισεν?

Sic ego interpretabar.

Amphion cytharae ſonitu ſi moenia Thebis
Extulit, in noſtra nunc patria Illyrius
Dulce melos verbis: artes ideoque vigentes,
Nullo ferre vides non decora ampla loco.

1. Amphion quamvis a Tatiano inter ſcriptores Homero antiquiores enumeretur, plerique tamen ejus de ſcriptis tacent, eumque artis muſicae vel peritum, vel inventorem fuiſſe tradunt. Quod muſices ope Thebas muro cinxiſſe dicitur, hoc quidem vel cum Horatio in *art. poet.*, & Macrobio in *ſomn. II.* 3. ad ejus ſapientiam, vel cum aliis ad eloquentiam eſt referendum, qua cives ſparſim degentes, ut in unum convenientes civitatem legibus ſtabilirent moenibuſque cingerent, hortatus eſt.

2. Concluſio hujus tetraſtichi perobſcura Muratorio viſa eſt: neque id quidem ſine cauſa: in hunc enim locum fortaſſe quadrat Plautinum illud; *praeter Sibyllam leget nemo*

mo; *nam divinandum eſt*. Utar ergo, vel potius, ſi diis placet, divinatione abutar. Primum equidem ſuſpicabar per exſcriptoris, vel marmorarii negligentiam epigramma foede corruptum eſſe, ac legendum in fine ΑΚΜΗΤΑΣ, vel ΑΚΜΑΙΑΣ ΡΙΖΟΥΝ ΠΕΙΡΑΤΑ ΠΑΝΤΑ ΤΕΧΝΑΣ, videlicet *integras*, vel *honeſtas*, aut *vigentes artes efflореſcere*, aut *radices agere univerſis Athenis*. Tum putabam veriſimillimum, nempe ἀκμῆτες ſeu *vigentes* dici Aeolice pro ἀκμῆτας; itemque ῥέξειν *eloquuturi* aut *praedicaturi* pro ῥήσειν Attice mutatis Η in Ε, & Σ in Ξ, quare haec ſit ſententia, *vigentes artes praedicaturi termini omnes*. At nihil facilius arbitror, quam quod exſcriptor lapſus ſit in exſculpenda ultima lapidis vocula, ſeu potius littera, uſurpata Σ pro Ι; nam ſi legas τέχναι pro τέχνας, jam ſenſus eſt obvius; ἀκμῆτες τέχναι *vigentes artes* δοκέουσι ῥέξειν *videntur operaturae*, vel *celebrabantur exercitio* πείρατα πάντα *in omni loco*. Honeſtis artibus, aut *vigentibus* optimas diſciplinas denotari patet ex Claudiani titulo, quia nimirum ſuo ſatis praeſidio tutae, ubique ut ſtent ac vigeant, minime videntur alienis viribus indigere; quare Mercurius doctrinae praeſes Herma a veteribus fingebatur.

L X I X.

Celſ. Cittadin. De vera Origine & Propr. Ling. Ital. XIV.

EVCHARIS . LICINIAE . L.

DOCTA . ERODITA . OMNES . ARTES . VIRGO . VIXIT . ANN. XIIII

1. HEVS . OCVLE . ERRANTE . QVEI . ASPICIS . LETI . DOMVS
MORARE . GRESSVM . ET . TITVLVM . NOSTRVM . PERLEGE

2. AMOR . PARENTEIS . QVEM . DEDIT . GNATÆ . SVÆ
VBEI . SE . RELIQVIÆ . CONLOCARENT . CORPORIS
HEIC . VIRIDIS . ÆTAS . CVM . FLORERET . ARTVBVS
CRESCENTE . ET . ÆVO . GLORIAM . CONSCENDERET
PROPERAVIT . HORA . TRISTIS . FATALIS . MEA
ET . DENEGAVIT . VLTRA . VEITÆ . SPIRITVM
DOCTA . ERODITA . PÆNE . MVSARVM . MANV
QVAE . MODO . NOBILIVM . LVDOS . DECORAVI . CHORO
ET . GRAECA . IN . SCÆNA . PRIMA . POPVLO . APPARVI

EN

EN . HOC . IN . TVMVLO . CINEREM . NOSTRI . CORPORIS
ſic INFISTÆ . PARCÆ . DEPOSIERVNT . *ſic* CARMINE
STVDIVM . PATRONAE . CVRA . AMOR . LAVDES . DECVS
SILENT . AMBVSTO . CORPORE . ET . LETO . TACENT
RELIQVI . FLETVM . GENITORI . MEO
ET . ANTECESSI . GENITA . POST . LETI . DIEM
BIS . HIC . SEPTENI . MECVM . NATALES . DIES
TENEBRIS . TENENTVR . DITIS . ÆTERNA . DOMV
ROGO . VT . DISCEDENS . TERRAM . MIHI . DICAS . LEVEM

1. *Ei* pro *i* ſaepe in uſu apud veteres ad diſtinguendos numeros; ita in ſingulari ſcribebant *viri*, *pueri*, *magni*, in plurali *virei*, *puerei*, *magnei*, uti hoc loco *quei*. A. Gell. *XIII.* 15. Item pro diſtinguendis caſibus viguit hujuſmodi ſcribendi genus, quare in antiquo lapide MARTEI. legitur, *Cittadin. loc. cit. XII.* Poſtquam deſiit uſurpari *ei* pro *i*, tum coepit produci I, adeoque comediae Plautinae, cujus erat titulus CAPTIVEI, poſt Caeſariana tempora mutatus eſt in CAPTIvI. Tandem multiplici diphtongorum genere antiquato apices Auguſti aetate inventi ſunt, ut vocales longae a brevibus diſtinguerentur, quod praeter *Quintilianum I.* 13. & *Iſidor. I.* 4. & 26. docent vetuſta marmora Auguſti tempore dedicata. *Letum* ſine diphtongo ſcribendum contendit Aldus Manutius in *Orthogr.* ad hunc lapidem *pag.* 471. auctoritate Priſciani, qui *letum* deducit a *leo les*, quo veteres utebantur pro deleo, unde dicta mors, quod omnia deleat.

2. Diphtongi nunc ſeparatae, nunc conjunctae, & quidem in uno lapide, id ſane evincunt, utrumque ſcribendi genus valuiſſe Auguſti aevo, quo ex Cittadini ſententia perelegans hoc ſpectat marmor; ideo Gronovius ejus imaginem prope Catonis Cenſorii collocat. Dicet fortaſſe aliquis apage hanc libertam: quid ſaltatrici ac mimae cum litteratorum choro? Novi equidem, Fulvium Urſinum, ubi hujus imaginem illuſtrat notis, inter ſaltatrices ac mimas ponere in orcheſtra ſolitas ante comoediam canere, vel ſaltare. At ipſa inſcriptio, ejuſdemque in primis initium DOCTA ERODITA

OMNES ARTES neſcio quid amplius huic libertae tribuit, quam ſaltandi peritiam ad tibiarum ſonum : icċirco P. Alexander Politus, ſingulare mei Ordinis ornamentum, in celeberrima oratione, cujus eſt thema, *breviorem longe eſſe optimarum omnium artium, quam humanae vitae curſum*, poſtquam Crațetis uxorem Hipparchiam, Pulcheriam & Eudoxiam Auguſtas, Zenobiam reginam, Irenem item Auguſtam, Aſpaſiam, Hypatiam aliaſque feminas omnibus excultas litteris commendavit, hanc etiam virginem admirandam proponit, utpote omnibus artibus eruditam, & poſterorum memoriae in Romano lapide conſecratam. An ERODITA OMNES ARTES ita interpretaris, ut indicentur artes mimicae, praeterea nihil? ut per me quidem eſt tibi integrum arbitrio ſentire tuo, ſic per te mihi contra ſuſpicari omnino liceat neceſſe eſt, niſi muſarum decretum recites, quo feminae ſervili e genere quam longiſſime ab intimis ſapientiae penetralibus arcerentur. Ingenuis porro ſemper ad doctrinam aditum patuiſſe tum illuſtres feminae modo laudatae oſtendunt, tum quas Menagius apud Laertium recenſet, ac in muſeo Veronenſi *pag.* 180. quaedam puella Placidia Chriſtiana, quae annos VIII. & menſes XI. nata dicitur INSTRVCTA LITERIS.

L X X.

Petroniae Muſae. *Inſcr. Ant. Etruriae Part. I. p.* 270.

ΤΗΝ ΚΥΑΝΩΠΙΝ ΜΟΥΣΑΝ ΑΗΔΟΝΑ ΤΗΝ ΜΕΛΙΓΗΡΥΝ
ΛΕΙΤΟΣ Ο Δ' ΕΞΑΠΙΝΗΣ ΤΥΜΒΟΣ ΑΝΑΥΔΟΝ ΕΧΕΙ
ΚΑΙ ΚΕΙΤΑΙ ΛΙΘΟΣ ΩΣ Η ΠΑΝΣΟΦΟΣ Η ΠΕΡΙΒΩΤΟΣ
ΜΟΥΣΑ ΚΑΛΗ ΚΟΥΦΗ ΣΟΙ ΚΟΝΙΣ ΗΔΕ ΠΕΛΟΙ.
ΤΙΣ ΜΟΥ ΤΗΝ ΣΕΙΡΗΝ' ΑΚΑΚΟΝ ΚΑΚΟΣ ΗΡΠΑΣΕ ΔΑΙΜΩΝ
ΤΙΣ ΜΟΥ ΤΗΝ ΓΛΥΚΕΡΗΝ ΗΡΠΑΣ' ΑΗΔΟΝΙΔΑ
ΝΥΚΤΙ ΜΙΗΙ ΨΥΧΡΑΙΣΙΝ ΑΦΑΡ ΣΤΑΓΟΝΕΣΣΙ ΛΥΘΕΙΣΑ
ΩΛΕΟ ΜΟΥΣΑ ΕΤΑΚΗ Δ' ΟΜΜΑΤ' ΕΚΕΙΝΑ ΣΕΟ
ΚΑΙ ΣΤΟΜΑ ΠΕΦΡΑΚΤΑΙ ΤΟ ΧΡΥΣΣΕΟΝ ΟΥΔΕΝ ΕΤ' ΕΝ ΣΟΙ
ΛΕΙΨΑΝΟΝ ΟΥΚ ΕΙΔΟΥΣ ΟΥ ΣΟΦΙΗΣ ΠΕΛΕΤΑΙ
ΕΡΡΕΤΕ ΜΕΡΜΗΡΑΙ ΘΥΜΑΛΓΕΕΣ ΑΜΜΟΡΟΙ ΕΣΘΛΗΣ
ΕΛΠΙΔΟΣ ΑΝΘΡΩΠΟΙ ΠΑΝΤΑ Δ' ΑΔΗΛΑ ΤΥΧΗΣ

Τὴν

1. Τὴν κυανῶπιν μοῦσαν ἀηδόνα τὴν μελίγηρυν
Αὐτὸς ὁ δ' ἐξαπίνης τύμβος ἄναυδον ἔχει.
Καὶ κεῖται λίθος ὡς ἡ πάνσοφος ἡ περίβωτος
Μοῦσα καλή, κούφη σοι κόνις ἥδε πέλοι.
Τίς μου τὴν Σειρῆν' ἄκακον κακὸς ἥρπασε δαίμων;
Τίς μου τὴν γλυκερὴν ἥρπασ' ἀηδονίδα;
Νυκτὶ μιῇ ψυχραῖσιν ἄφαρ σταγόνεσσι λυθεῖσα
Ὤλεο μοῦσα, ἐτάκη δ' ὄμματ' ἐκεῖνα σέο.
Καὶ στόμα πέφρακται τὸ χρύσειον, οὐδὲν ἔτ' ἐν σοὶ
2. Λείψανον οὐκ εἴδους, οὐ σοφίης πέλεται.
Ἔρρετε μέρμηραι θυμαλγέες, ἄμμοροι ἐσθλῆς
Ἐλπίδος ἄνθρωποι, πάντα δ' ἄδηλα τύχης.

Ita vertit Antonius Maria Salvinius.

Luſciniam nigris oculis, muſamque canoram
Hic mutam tenuis urna repente tenet.
Atque lapis veluti, ſapiens celebris jacet illa
Muſa decora: haec o ſit tibi terra levis.
Daemone quo a nocuo rapta eſt innoxia Siren?
Luſciniam dulcem quis rapuitve meam?
Heu gelidis guttis una tu nocte ſoluta,
Muſa: intabeſcunt lumina & illa tua.
Aureum & os clauſum: formae nullae amplius in te
Reliquiae: ſophiae nulla & imago manet.
Mordax cura vale: mortalis ſpei bonae exſors:
Cunctaque fortunae non manifeſta cluent.

1. Muſae cognomen ſatis notum in ſervitute, & aeque in viris, ac mulieribus, inter quas praeter hanc noſtram claruit Aemilia Muſa, cujus, quum inteſtata periiſſet, bona in fiſcum petita Tiberius Aemilio Lepido tradi juſſit, quia ejus ex familia videbatur.

2. Philoſophiae, vel potius ſapientiae commemoratio jure in hac claſſe locum tribuit non poſtremum Petroniae Muſae.

L X X I.

D . M . S

M. LAELIO . AFRICANO

M. LAELIVS . AFRICANVS

ET . FLAVIA . OPTATA . PARENTES

B . M . F

QVI . VIXIT . ANNIS . XXI. M. VI. D. X.

MVSICVS . *in ſcena* DOCTE . CANTARE . SOLEBAT

ACCEPTVSQVE . NIMIS . MVLTIS . MAGNIFICO . INGENIO

RECEPTVS . INTER *vina jocoſque* PRIOR

CELEBRI . FAVORE . ARTEM . EXPONENS . SVAM

VT . QVEMVIS *raperet* MIRIFICO . INGENIO

Leniretque animum CARMINE . DOCTILOQVO

Ingenii nunc *magnifici*, nunc *mirifici* commendatio videbatur litterarum aliquid in hoc muſico indicare . Lacunas utcunque explevi ſequutus veterum conſuetudinem, quibus cantum inter epulas jucundiſſimum fuiſſe prae ceteris Virgilius docet . *Aeneid. I.*

L X X I I.

Ex Inſcr. Donian. Cl. VIII. p. 336.

Η ΠΟΛΥ ϹΕΙΡΗΝΩΝ ΛΙΓΥΡΩΤΕΡΗ Η ΠΑΡΑ ΒΑΚΧΩΙ

ΚΑΙ ΘΟΙΝΑΙϹ ΑΥΤΗϹ ΧΡΥϹΟΤΕΡΗ ΚΥΠΡΙΔΟϹ

Η ΛΑΛΙΗ ΦΑΙΔΡΗ ΤΕ ΧΕΛΕΙΔΟΝΙϹ ΕΝΘ' ΟΜΟΝΟΙΑ

ΚΕΙΜΑΙ ΑΤΙΜΗΤΩΙ ΛΕΙΠΟΜΕΝΗ ΔΑΚΡΙΑ

ΤΩΙ ΠΕΛΟΝ ΑϹΠΑϹΙΗ ΒΑΙΗϹ ΑΠΟ ΤΗΝ ΔΕ ΤΟϹΑΥΤΗΝ

ΔΑΙΜΩΝ ΑΠΡΟΙΔΗϹ ΕϹΚΕΔΑϹΕΝ ΦΙΛΙΗΝ

Ἡ πολὺ Σειρήνων λιγυρωτέρη, ἡ παρὰ Βάκχῳ,
Καὶ θοίναις ἀυτῆς χρυσοτέρη Κύπριδος,
1. Ἡ λαλίη φαιδρή τε χελιδονὶς ἔνθ' Ὁμόνοια,
2. Κεῖμαι Ἀτιμήτῳ λειπομένη δάκρυα·
Τῷ πέλον ἀσπασίη βαιῆς ἄπο, τὴν δὲ τοσαύτην
Δαίμων ἀπροϊδὴς ἐσκέδασεν φιλίην.

Ibidem ita Salvinius vertit .

Quae cantú melior longe Sirenibus, aurea
Ad Bacchum, ad menſas cara magis Venere

Lac-

Laeta & hirundo loquax jaceo hic feſtiva Homonoea,
Liqui & Atimeto perpetuas lacrimas:
Cui jucunda fui exigua ſed ſorte; ſed iſtam
Fors inopina eheu fudit amicitiam.

Aliter idem.

Sirenas cantu vincens, magis aurea & ipſa
Heu Venere in menſis, Bacchum apud atque patrem;
Hic Homonoea loquax jaceo, & bene garrula hirundo,
Linquo & Atimeto funeris heu lacrimas;
Cui dilecta fui parvo ſed tempore vitae,
Fortuna heu tantam fudit amicitiam.

Fabrettus in *Ant. Inſcr. III p.* 235. ex Graeco hoc lapide confictum eſſe ait Latinum, qui legitur apud Reineſium, & Sponium.

1. Homonoea apud Graecos idem, ac concordia eſt, & conſenſus, ideo Homonoeum dicebatur concordiae templum.

2. Atimetus Domitiae Neronis amitae libertus eſt apud Tacitum *Ann. XIII.*

Garrula haec hirundo cantrixne tantum fuerit, quod quidem arbitror veriſimile, an & poetria, ex titulo non apparet: eam tamen hic locum duxi abſque piaculo habere poſſe, quod hirundines olim tanquam poeſeos ſymbola acciperentur: itaque Menagius ad Laertium *pag.* 255. ſuavem hirundinum cantum ait fuiſſe Moſcho, Achilli Tatio, aliiſque, idemque praeterea docet in Luciano *de morte Peregrini* non χορώνας, ſed χελιδόνας legendum eſſe, ita ut ediſcamus, ad Heſiodi ſepulcrum hirundines convolaſſe. Magni hujus poetae, quem Vellejus *I.* 7. appellat *perelegantis ingenii virum, & molliſſima carminum dulcedine memorabilem*, duo ſunt elogia in hac Claſſe, itemque aliud in *I. pag.* 123., in quo erratum vides in voce ΝΙΚΗΣ pro ΝΙΚΗΣΑΣ, de cujus tituli antiquitate dixi eſſe merito dubitandum, quod ita accipias velim, ut non aliter illius de vetuſtate me dubitare exiſtimes, quam quoad tempora Homerica Nam Heſiodi cum Homero certamen ad exequias Amphidamantis in Chal-

Chalcide, Salmaſius ad *Solin. p.* 869. ab Heſiodi amatoribus confictum eſſe contendit. At Plutarchus, Philoſtratus, Libanius, Themiſtius, aliique ab Alberto Fabricio in *Bibl. Graec. Tom. I. lib. II.* 8. & Dodwello *de Cyclis Graec. Diſſ. III.* ac Lilio Gyraldo *Hiſt. Poet. Dialog. II.* commemorati, de illo certamine mentionem faciunt; Euſtathius autem *Iliad. α.* quamvis de Heſiodi victoria taceat, ejus tamen cum Homero contentionem his verſibus teſtatam facit.

Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ, καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ
Μέλπομεν, ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν

Ita vertit P. Alexander Politus.

Quum mecum in Delo cantu certaret Homerus,
Tum primum ſuimus vates nova carmina uterque.

Jam finem facio, benigne Lector, qui hanc ſi opellam utcunque probes, *ſupera convexa*, ut inquit ille, *digito me tangere* exiſtimabo, ſin minus, deportari me in exilium jube, ut violatae antiquitatis reum, qui non magis veteres ritus noverim, quam calo & cacula ſambucae modos: in tam turpi damnatione id ſaltem gloriabor me habere boni, quod affero pene nihil non graviſſimorum auctoritate hominum confirmatum, ut illud poſſim ex A. Gellii praefatione libere uſurpare, *quae putaverint reprehendenda, his, ſi audebunt, ſuccenſeant, unde ea nos ſumpſimus.* Interea vero, qui plurimum auctoritate valet, mihi apud te, Lector optime, non parum Cicero prodeſſe debet, cujus ſententiam in Verrinis eſſe opportunam volo primi hujus Voluminis concluſionem:

Exempla ex vetere memoria & monumentis ac litteris plena dignitatis, plena antiquitatis plurimum ſolent & auctoritatis habere ad probandum, & jucunditatis ad audiendum.

FINIS.

SYL-

Digitized by Google

SYLLABVS
DEORVM, AC VIRORVM,
Qui carminibus celebrantur.

Numerus Romanus indicat plures lapides ibidem eodem nomine inſignitos.

CLASSIS I.

Aegeria Numae conjux pag. 123.
Aeſculapius Servator 106.
Rex. 107.
Apollo. 76. II. 77. 78. III. 79. III.
Caſtor & Pollux. 101. 103.
Daphne. 80.
Diana Orientalis. 119.
Dii magni. 87. 90.
Dii. 92. 124.
Fortuna Praeneſtina. 114.
Genius Pagi. 98.
Hercules Victus. 92.
Tricoſus. 93.
Victor. 96.
Domitor Ferarum. 97.
Hercules. 94. II. 98.
Juno. 80. 109. 108.
Jupiter. 65. 66. II. 67. 68. III. 69. III. 70. 71. 72. II. 73.
Aenigma. 75.
Juſtitia Nemeſis. 81.
Latona. 120. II.
Mercurius. 80. 82.
Minerva Pronoea. 76. 113. II.
Muſae. 121. 122.
Nortia. 117.
Nympha regina. 119.
Nymphae. 122.
Opis & Atys. 84. 86.
Pallas. 112.
Sanctus. 96.
Serapis. 104.
Silvanus. 99.
Venus. 110. 111. II.
Undae Cyaneae. 122.

CLASSIS II.

Alexander M. pag. 192.
Ariſtocrates. 192.
Aureolus. 184.
Conſtantinus M. 192. II.
Con-

Conſtantius. 186.
Fridericus imp. 190.
Hentius rex. 197.
Herennia Cupriſenia. 198.
Marcianus imp. 189.
Mida. 190.
Mithridates. 193.
Nerva Trajanus. 183.
Phytalus. 191.
Sardanapalus. 196.
Theodoſius. 188. II.

CLASSIS III.

Anonymus. 256.
Antenor. 254.
Chaeremon. 277.
Chilon. 272.
Claudius Marcellus. 253.
Cleoetas. 274.
Conſtantius Comes. 262.
Demarchus Parrhaſius. 273.
Demaratus Heraeenſis. 273.
Laevinus. 261.
Lycus Corinthius. 274.
M. Livius Salinator. 254.
Oibotas Achivus. 275.
Petronius Probus. 257. 258. 260.
Philo. 273.
Pontius. 261.
Proculus. 256. II.
Publius Aelius Ulpius. 277.
Telephus. 276.
Timon. 278.
Vettius Agorius Praetextatus. 262.
Virginius Rufus. 255.

CLASSIS IV.

Adimantus. 330.
Agamemnon. 329.
Amazones. 346.
Aratus. 335.
A. Acilius Fontanus. 341.
Corinthiorum polyandrion. 343. II.
Cimonis hermae. III. 344. 345.
Decimus circitor. 337.
Epaminondas. 331.
Lyſander. II. 330. 331.
Megiſtias. 332.
Miltiades. 329.
Philopoemenes. 333.
Q. Cetronius. 338.
Sextus Naevius. 336.
Scipio Africanus. 334.
Sinna Amphilochus. 340.
Soranus Batavus. 339.
Spartanorum polyandrion. 341. 342.
Tyrannicidae. 336.

CLAS.

CLASSIS V.

Aeſchylus. 423.
Anaxagoras. 399.
Ariſtophanes. 424.
Aſclepiades medicus. 429.
Bias. 398.
Chilo. 397.
Chronius Euſebius. 422.
Chryſippus. 403.
Claudianus. 420.
Cleobulus. 398.
Demoſthenes. 404.
Diogenes. 401.
Dionyſius. 435
Diophantus. 425.
D. Servilius Apollonius. 426.
Epicharmus. 402.
Ennius. 414.
Eucharis.
Euripides. 411. 412. 413. II. 414.
Herophile. 410.
Heſiodus. 409. 410.
Homerus. 404. 406. II. 450.
Homonoea. 444.
Illyrius. 439.
Iſocrates. 403. II.
Julius Nicephorus. 428
Linus. 395.
Lucanus. 418.
L. Sabinus Primigenius. 428.
Macer medicus. 428.
M. Laelius Africanus. 444.
M. Pacuvius. 415.
Marius Fidens. 436.
Melior Calculator. 434.
Menander. 407. 408.
Meſſias. 427.
Muſaeus. 395.
Naevius. 414.
Oppianus. 424.
Orpheus. 396. 450.
Ovidius. 418.
Periander. 399.
Petronia Muſa. 442.
Petronius Antigenes. 431.
Pittacus. 398.
Plato. 400. II. 401.
Plautus. 416.
Plutarchus. 419.
Publiana. 438.
P. Attilius. 437.
Pudens. 437.
Puppius. 417.
Sappho. 410.
Seneca. 418.
Solon. 397. 450.
Statius. 420.
Thales. II. 396.
Terentius. 416.
Virgilius. 417. II.

Addenda praecedenti Claſſi.

Num. III.

Lil. Gyrald. Dialog. de Poet. hiſt. II.

Orphea muſarum famulum hic Thraces poſuere,
Qui cecidit rapido fulminis igne Jovis.
Filius Oeagri, Alcidaeque magiſter, & idem
Scribendique notas repperit & ſophiam.

Num. VI.

Solonis epitaph. ex M. Tullio Cicerone.

Mors mea ne careat lacrimis: linquamus amicis
Maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Num. XXIV.

Homeri cippo in Io inſula.

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

Lil. Gyrald. *loc. cit.*

Sacrum hic terra caput divinum claudit Homerum,
Heroum atque virum cecinit qui fortia facta.

VENIAM PETIMVSQVE DAMUSQUE VICISSIM.

Errata. Rubens *pag.* 24. *corrige* Rubenius. adumbratum 27. adumbratam. attingere 33. tangere. Cecropide 66. Cecropidae. Mumnii 68. Mummii. Epidamnii 69. Epidamni. Gulielmus 72. Guillelmus. Diſticun 255. 387. Diſtichon. columnella 105. columella. ΝΙΚΗΣ 122. ΝΙΚΗΣΑΣ. dittico 165. diptycho. Triſmegiſtro 166. Triſmegiſto. Conſtantinum 169. Conſtantium. inquit 222. 231. 257. 323. ait. inciſam 255. inciſum. Dindymenes 266. Diadymenes. hirophanta 271. hierophanta. olxmpiadas 273. olympiadas. conotaphiis 280. cenotaphiis. paena 280. *& alibi* poena. Chaeronaeam 288. Chaeroneam. *Pagina* 314. *lin.* 11. *deme* praeterquamquod. Amphiloci 340. Amphilochi. Sapphon 366. Sappho. Tyanejum 375. Tyaneum. Ciceroniam 388. Ciceronianam. Herma 410. Hermias. Calmadulenſes 429. Camaldulenſes.

IN-

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quae in hoc Volumine continentur.

A

ABRAHAMUS Ortellius emendatus. pag. 84
Abſentes invitati ad funus aliquo legato. 220
Achillis tumulus. 300
Actii poetae imago. 382
Adimanti vindiciae contra Herodotum. 330
Admeti luctus mortua uxore. 306
Aediculae Deorum argenteae thenſis vectae in pompis. 25
In variis locis collocatae. ibid.
Aedituorum varia munera. 105
Aemiliae Lepidae nuptiae & exilium. 437
Aeſchines orator. 376
Aeſculapii cultus. 107
Aeſchyli fuga, & mors. 424
Aeſopi gloria. 381
Agamemnonis nomen inverſo ordine. 69
Symbolum in clypeo. 329
ΑΓΑΘΗΤΥΧΗ vox boni ominis. 43
Ageſilai cavillatio in Thaſios. 153
Agrippina cur velata. 170
Alarici Gothorum regis ſepulcrum. 145
Alcaei honor in funere. 358
Alcibiadis, & Pythagorae ſtatua in cornibus comitii. 382
Imago in ſarda cum Socrate. 370
Alae divinitatis inſignia. 40
Alexandri Albani S. R. E. Cardinalis laudata liberalitas. 27
Alexandri M. deluſio ad ſepulcrum Cyri. 144
In Darium, & hoſtes pietas. 288
Luctus in morte Epheſtionis. 306
Alexandri Severi parſimonia in deos. 13
Extrema voluntas. 115
Lararium. 375 & 392
Alexandri Neapolitani error de luctu Graecorum. 307
Alexiaci Dii. 99
Amianti pretium, variae de eo opiniones. 218
Amuleta Caeſarum imaginibus inſignia. 176
Anactes & Dioſcuri. 103
Anaglypha in ſepulcris varia pro diverſa demortui aetate. 313
ſepulcri militaris propria. ibid.
Anaxagorae mors & funus. 358
Epitaphium & virtus. 400
Andocidis hermes. 380
Angeli argentei cum gemmis alabandinis loco oculorum. 38
Angelonii falſa de apotheoſi opinio. 157
Animarum origo varie ab Aegyptiis, & philoſophis explicata. pag. 167
Earum immortalitas a ſepulcri ſtudio comprobata. 284
Amphionis ſcripta dubia. 439
Annibalis in mortuos hoſtes pietas commendata. 253 254 308
Immanitas. 288

P. Anſaldus Ord. Praedicator. 16
Nicolaus Antonellius Cl. Praeſul. pag. 284
Antonelliorum nobilitas. 283
Comiti Bernardino inſcripta diſſ. IV. Angelus, & Leonardus. 282
Antonii pietas in Archelai, & Bruti cadavera. 288
Antonini philoſophi conſecratio ſingularis. 135 148
Cur ei columna erecta. 323
Antonii Muſae numiſma. 363
Imago. 393
Anthropomorphitae ethnicis poſtpoſiti. 6
Annulo ſignatae preces. 54
Annulorum diverſa ſymbola. 372
Gemmae annulares philoſophorum, ac poetarum. *ibid.*
Veterum Chriſtianorum. 374 375
Apes, & aries ad Iſocratis ſepulcrum. 361
Apes Ariſtomachi ſymbolū. 367
Apollini dicata lyra & ſtatua. 62
Apollo quadriauris. 63
Ejus ſimulacrum buxeum. 70
Idem cum Homero invocatus. 391
Apollonii Tyanei imagines. 375
Magicae fraudes. 393
Indigna laudatio. *ibid.*
Apotheoſis in Latio poſt ſepulturam decreta 147 157 158, ſecus in Graecia 153 157, ejus initium apud gentes 150, in Urbe *ibid.* finis 151, jus decernendae apotheoſeos 151 & ſeq. diverſi ritus 153 154 & ſeq., ejus triplex typus in nummis. 163
Aquilae typus in nummis multiplex 164 ſingularis in Antonini ſtylobata. *ibid.*
Ara cum igne accenſo apotheoſeos nota in nummis. 163
Arati Sicyonii laus. 335 336
Arati poetae ſepulcrum. 353
Typus in nummis. 366
Arborum Diis dedicandarum mos antiquiſſimus 100, arbores plūbeae pro pluteis in biblioth. 385
Archimimi cavillatio in Veſpaſiani avaritiam. 135
Ejuſdem munus in funere. 206
Archimedis funus. 354
Sepulcrum. 362
Architae character in nummis. 367
Arigei dictum in tyrannicidas. 336
Ariſtidis in Smyrnam beneficentia 278, ſtatua in Vaticano. 385
Ariſtocratis poena & monum. 198
Ariſtomachae poetriae ſacrum donarium. 62
Ariſtophanis laus. 408. 424
Armillae dona militiae Romanae propria. 296
Aſinii bibliotheca. 365
Aſſeſſores & Aſſidentes Dii. 82
Aſtydamantis gloria & damnatio. pag. 353
Aſyli jus Athenis, & Romae in variis locis 180. ad Caeſarum ſigna, & numiſmata. *ibid.*
Tiberii decretum de aſylis imminuendis. 181
Athenienſium in doctos acerbitas 353. liberalitas 361. 369. mos in nummorum typo. 367
Attilae honor funebris. 306
Sepulcrum. 145
Atrii etymologia. 210
Auditionis praeſtantia. 63
Auguſtorum & Auguſtarum ſigna panthea 28. apotheoſis a pag. 147 uſque ad fin. Diſſ. II. divini honores in vita 161. ſine diſcrimine dicti poſt conſecrationem Divi, & Dei 173 aevo poſteriore Divini & Divales 174. tranſiit hoc praenomen ad omnes prin-
ci-

cipes *ibid.* Perperam in ſacris adhibitum. *ibid.* & 175
Aures Memoriae, & aliis Diis doctrinae praeſidibus dedicatae. 63
Aurum ſacrum in Urbe 14. aurum, argentum, aes, ferrum in templis a Platone vetitum 12. aurum, argentumque interraſile, coronae interraſiles. 34

B

Baldinus P. Jo. Franciſcus Cl. Reg. Congregat. Somaſchae Praep. Gen. 163. 297. & alibi.
Baptizati principes in Jordane. pag. 259
Barba & coma diſſidii cauſa inter Ariſtotelem & Platonem. 401
Barchaeorum in mortuos immanitas. 290
Batavorum fides in Rom. imp. 339
Ludovicus & Joſeph Battaglini Patricii Ariminenſes. 360
Bellum Mithridaticum quibus impenſis a Sylla geſtum. 14. Militum Romanorum in eo bello rapacitas. 17
Beroſi ſtatua cum lingua inaurata. 381
Biantis funus 352. divini honores 390. eloquentia & virtus. 398
Bibliotheca locus ad doctorum ſtatuas praecipuus 384. an haec decora fuerint in bibliothecis Alexandriae & Pergami. *ibid.*
Biſelii honor in coloniis & municipiis. 328
Biſnu idolum Nekpalenſe deſcriptum & explicatum. 29 & ſeq.
Jo. Bottarius Cl. Praeſul. 370
Brenni regis avaritia. 14
Brunettus medicinae D. Cl. 431
Bulla aurea nobilium puerorum propria & matronarum. 24
Buſta Gallica. 287

C

Cadaverum collocatio in laudatione funebri 216. translatio penes Pontifices. 298
C. Menio & C. Duillio cur columna erecta. 323
C. Marii ſtatuae disjectae. 325
Caeſares procul ab Urbe extincti, qua pompa Romam vecti. 134 Vivi adhuc inſtar Deorum habiti 159. eorum matribus quis datus honor. 176
Calcei, crepidae, cothurni Deorum. 36
Caligulae luctus amiſſa Druſilla 306. judicium litteris triſte. 387
Camoenae in Cypſeli arca. 76 Earum lucus. 133
Canuleji inſcr. ſepulcr. explic. 227
Capita Auguſtorum poſt apotheoſ. primo radiata, deinde nuda 168 169. Velata in viris Sacerdotium indicant 169. in feminis divinitatem. 170
Captivi raſo capite in triumpho & funere. 207. cum ſervis mactati ad rogum. 219
Caput in funere nudum. 309
Caracallae in Getam impietas. 139
Carcerum in ludis olympicis architectus & deſcriptio. 275
Carondae typus in nummis. 367
Carvilii ſtatua ex limae reliquiis. pag. 15
Caſtritii funus. 222
Cato Cenſorius de anima. 196 Ejus Apophtegma de ſtatuis. 226 Vultus in farda. 371
Cauſei opinio de Diis Pantheis 28
Cecrops Athenis idolorum auctor. 6
Cedrinae majorum imagines. 208
Cedro illiti Numae libri. *ibid.*
Celtarum buſta. 285

Cc-

Cenotaphia quibus extructa. 317
Ritus ad ea obſervati. 319
An iis religio ineſſet. *ibid.*
Cenotaphium Pythagoricum. 318
Cenſorium funus. 205
Centones Virgiliani Petroniae Probae, & Homerici Eudociae falſo attributi. 259
De iis judicium S. Hieronymi. *ib.*
Cerea conſecrandi imago. 153
Poſtremis oſculis honorata. 156
Cerei ad deorum & heroum ſtatuas. 58
Cereris ſignum ex peculio. 15
Characteres votorum indices. 58
Ciacconii & aliorum de ſepulcro & aetate Antonini Pii error. 148
Ciceronis dictum in Jul. Caeſ. 159 325. Sepulcrum repudiatum. 359 ſcomma in Philagri ſymbolum. 362. mentio rara coram Auguſto. 373. ejus imago incerta. 388
Cimonis victoria. 73. gloria ſingularis. 345. 346
Circitoris munus & epitaph. 337
Chilonis Achaei palmae olymp. pag. 272
Chilonis philoſophi funus. 358
Epitaphium. 397
Chiorum ſepultura. 290
Childerici divitiae ſepulcrales. 145
Chriſtus Dominus in annulis veterum Platoni ſimilis. 374
Chryſippi mors & epitaph. 403
Clarorum ſtatuae vectae in Auguſtorum ſolemni apotheoſi. 154
Claſſiariis aliter, ſi in navi occidiſſent, ſi in mari, aliter parentatum. 293
eorum tituli ſepulcrales. 300
Claudiani inſcr. vindicata. 382. 421
Claudii columna in portu Oſtienſi: Auguſtini error. 102
Cl. Marcelli titulus, ſacra donaria, funus. 253. 254
Cl. Gothici virtus & numiſm. 185 in eo deſinunt nummi argentei Auguſtorum. 186
Cleandri judicium de Parmenionis cadavere. 320
Cleobuli funus. 352. 399
Clypei anaglypha. 66
Clypei hoſtiles diis dedicati. 249
honorarii quando inſtituti. 150
quo decreto & ubi poſiti. 151
eorum nomina & ornatus. *ibid.*
Cognatorum dolor in funere. 212
Columna militiae praemium. 323
duplex ad ſepulcrum. 324
Collativum funus. 204
Collegium Nazarenum. 4. 129
Commodus imp. in achate. 160
Comae elegantia in deabus. 37
Concentus muſici in conſecrationibus & votis. 44. 100
Conſecrationis ritus. 40. & ſeq.
Sortitio Conſulum. 41
Lex Curiata & Papyria. 42
Conſecr. a dedic. diſtincta. 46
Conſentes dii. 43. 81
Conſi ara in circo maximo. 9
Conſtantini M. liberalitas. 60
Ejus ſymbolum. 115
Funeris magnificentia. 135
Cur caput velatum. 169
Obeliſcus. 196
Victoria de Sarmatis. 315
Conſtantii comitis beneficentia. pag. 262
Conſulis ſuperſtitis cura de collegae funere. 205
Converſio corporis in adorationibus diverſa. 53
Corinthiarum mulier. votum. 112
Corinthiorum polyandria. 343
Cornelii Taciti gloria. 384
Coronae ſoli Deo. 33
Varietas & pretium. *ibid.*

Coronatae victimae, aſelli vectores & donaria. 35
Coronae in funere Syllae.. 211
Coronae longae: quando inſtitutae, & quibus datae in funere.. 296. ad ſtatuas viror. illuſtr. 328
Correctorum dignitas.. 268
P. Eduardus Corſinus Scholarum Piarum.. 88. 117. 419. & al.
Cortonenſis Academia.. 299. 351
Cruci affixos lugeri nefas.. 303
Corvus cum lucerna in ſepulc. 313
Criobolium & taurobolium.. 85
Cubiculares imagines. 46. 48. 247
Cydiae monumentum.. 71
Cymelia ſepulcralia. 315. 316
Cypſeli arca cedrina. 76
Cyri ſepulcrum.. 221.

D

Dactyliothecae Scauri, Pompeji M. & aliorum.. 369
Damnatorum imagines abſconditae. 209. in carcerem truſae. 240 cruci affixae. 247. cadavera inſepulta. 303
Darii liberalitas. 109
avaritia deluſa. 144
Decimae diis oblatae. 67. 112
Dedicatio ſub aſcia. 337
Decretum de ſtatuis tollendis. 387
Decurſio militaris ad rogum. 310
ad cenotaphia. 311
Deae reginae. 109
Demarchus Parrhaſius. 273
Demetrii Phalerei ſtatuae. 377
Demonactis funus.. 358
Divini honores.. 391
Demoſthenis ſtatua. 391. 404
Deorum evocatio 15. 16. 17. 18
ſtatuae in confiniis imperii.. 17
itinerum comites, vel ipſae icunculae, vel inſignia. 22. 23. ſigilla in coronis, torquibus, bullis. 24
icunculae in pompis. 25
Deorum agreſtium imagunculae fixae arborum ramis. 101
Derbicum in cognatos furor. 289
Dextra manus ſedes fidei. 52
Deus incorporeus. 6. 7
Deus ab Ethnicis invocatus. 29
Dianae orientalis fanum. 119
Digitus abſciſſus mortuis. 297
Digitis pectinatim junctis nefas deos tangere.. 51
Dii penates. 9. fictiles ut culti. 12
Panthei & eorum ſigna.. 26. 27
Dii reges.. 109
Dii indigetes.. 150
Dinomenes Syracuſis duo.. 70
Diodorus Corinthius. 120
Diocletiani dictum de Antonino philoſopho. 135
Diogenis ſepulcrum: 362
Diogenis honores. 402
Diophanti elogium.. 426
Dirci votivi.. 317. 335
Diſcrimen inter deos & divos. 158
Ditizeles veſtis funebris.. 134
Divi appellatio inter vivos infauſtum omen. 157. explicata in ſepulcris.. 147. perperam tributa Sanctis.. 174
Divi Divaeque alis victoriae, aut ventis, ac geniis vectae.. 165
Divorum imagines. 176. 177. 209
Domini titulus recuſatus ab Auguſto, affectatus a Domitiano & Aureliano. 160
adhibitus in Eccleſia. 175
Domitiani funus infelix. 136
Doctorum opinio de apotheoſi. 153. conſtantia in amicorum morte. 357. effigies in nummis. 366. in gemmis. 370. alienis notis vulgatae.. 376. ſtatuae. 381 vectae in funere imperator. 154
poſitae in bibliothecis. 384. 385
effigies gypſeae. 385. pictae in volu-

Digitized by Google

voluminibus. *ibid.* more deorum cultae. 390
Dona in apotheoſi. 154
in funeribus. 207
Dona promiſſa militi, ſi is periret data cognatis. 296
Donaria diis ſacra, quanta Romae in ſumma egeſtate. 14
Druidarum docendi ritus. 63
Druſi funus triumphale. 132
tranſvectio cinerum. 307
cenotaphia & honores. 318
Druſillae funus. 310
Dea Panthea. 28
P. Joſepho Auguſtino Dulbequio Cl. Reg. Schol. Piar. Praepoſ. Gen. inſcripta Diſſert. I.

E

EI cur inſcriptum in templo Delphico. 75
Ennii poſtremi honores. 355. 414
Epaminondae reſponſio. 319
ſtatua & clementia. 331. 332
Epicurus & Metrodorus. 379
Epicuri vindiciae. 380
divini honores. 392
Epicurei epitaphium. 197
Epicharmi ſcripta. 402
Epidamni currus Olympiae. 69
Epulae in ſepulcris. 232
Equa in Olympiis celebris. 274
Equus funebris. 310
Eſſedonum ſepeliendi ritus. 290
Evocatio deorum templa in Urbe & aerarium auxit. 16
Euripidis funus. 353
Athenienſium ſerus amor. 358
Eurydices cura in educ. liberis. 62
Eutimi divini honores. 390
Exercitationes deorum. 44
Exercituum duces de ſuorum ſepultura ſoliciti. 286
ſi ſecus multati. *ibid.*
eorum funus. 306. & ſeq.

F

FAltonia Proba. 259
Farnabius emendatus. 309
Faſtigium in domo Caeſarum. 159
Fata victricia. 276
locus tribus fatis. *ibid.*
Faviſſae capitolinae. 106
Feliciter acclamatio. 88
Feminarum liberalitas in funere Syllae. 208
Feretri geſtandi munus. 211
Feretrum Auguſti. 132
Ferretii error. 418
Feſtus Avienus & Muſonius. 117
Fictilia diis & heroibus grata. 221
Figlini operis inventor. 11
Flabella ſpecula pectines & alia ornamenta deorum. 37
Flaminius Vacca de ſepulcris philoſophorum refutatus. 363
Floralia & Accalia. 150
Fortuna Panthea in bulla. 24
Praeneſtinae ſortes. 115
Fortuna primigenia eadem ac Pallas. *ibid.* oculata. 116
Fori Ulpii majeſtas. 422
Francorum ſepulcra abſcondita. pag. 144
Marchioni Pompejo Frangepanio inſcripta Diſſ. III. 201
Petrus Frangepanius Cl. Praeſul. 203
Fraterna pietas in parricidam. 294
Fridericus Victor Mediolanen. 190
Frontinus in nummis Smyrnaeorum. 366
De Fulvio Urſino ad numiſma Apollonii Tyan. dubitandum. 367
Fulgur dium & fulgerator Deus. 45
Funus Auguſtorum. 132
Funus qui praecederent, 206
qui ſequerentur. 212
Funeris varia genera. 204
Deſignator ejuſque inſignia. 206
Galli

G

Galatarum apud Aegeos avaritia in ſepulcris. 144
Gallaei opinio incerta de poetarum ſepulcris. 362
Galli Herculis ornatus. 20
Galli gallinacei pugnaces. 66
eorum oſſa in ſepulcris. 233
Gaudium Urbis in tyrannorum morte. 136
Gemina manus in achate. 316
Gemmae doctorum vultibus inſignes. 370
Genii deorum. 22. 167
Genius domeſticus diverſus a Laribus. 25
Genius aeternitatis. 27
Genua miſericordiae ſedes. 57
Germanici funus. 306. honores ad cenotaphium. 311. ſella curulis inter Auguſtales. 328. clypeus inter litteratos. 386
Glebae injectio. 295
Goltzius emendatus. 368
Gordiani III. titulus. 138
Antonius Franciſcus Gorius. 24 & alibi.
Gothica & Longobardica ſepulcra cur rara in Italia. 145
Gracchi ethnici pietas. 90
Graeca adulatio. 157. 171
Gravis armatura in ludis Olympicis quando inſtituta. 274
MarchioAloyſius Gualterius, itemque Carolus. 18

H

Hadriani ſtatua cum Jove Eleutherio. 72. cavillatio in Chriſtianos. 105. ſuperba moles. 141. nummus rariſſimus. 172
laudati milites. 339
Jo. Gaſpar Hagenbuchius. 103 & alibi.
Hannonis apophtegma. 326
Harduini error. 354
Haymi ſententia de nummis Atticis repudiata. 368
Hecate Epipyrgidia. 27. 270
Hectoris oſſa Thebas tranſlata. 346
Heliogabali foeda mors. 137
Herba Sabina in conſecrationibus. 43
Hercules Gallus. 20. Prodicus. 95
Muſagetes. 96
ejus varia nomina. 97
cur phialis inſculptus. 93
Hentius Sardiniae rex. 197
Heredes ingrati. 287
Herennia Cupriſſenia. 198
Hermeracles ubi collocatus. 20
Hermerotes in gymnaſiis. 21
Hermis inſignia deorum addita. *ib.*
Hermarum elegantia. 22
Hermae bicipites. 378
doctrinae praemia. 380
Herodoti malignitas. 330. 343
Heroes ſepulti in montibus. 220
Herois ſignificatio apud Graecos. pag. 172
Herophile ſibylla. 411
Heroum cadavera quandiu domi detenta a Graecis. 307
Heſiodi certamen cum Homero in Chalcide. 122. 445
Hippocrates in marmore. 377
Diis adſcriptus. 392
Homeri ſepulcrum. 357
typus in nummis. 365
archetypum. 378. 405
divini honores. 391
Homicida ſui propter diuturnam felicitatem. 305
Horatii & Sapphus ſacrum donarium Apollini. 62
Horatii laus. 357
effigies in nummis. 371. 388
Hortenſii imago: Hortali infelicitas apud Tiberium. 382

Hoſtiae ad fontium capita . 123
Hymnorum varietas . 50
Hypogaei deſcriptio . 228. & ſeq.
pícturae varietas & elegantia . 229. ſedilium ordo & uſus . 230.
cellae plures : cella pura : veſtibulum : mortuor. imagines. 231

I

Ichthyophagi in cognatos mortuos barbari . 290
Idolorum antiquitas Athenis & Romae . 6. & ſeq.
forma multiplex . 19. & ſeq.
qualis materia ante Aſiam victam contra Plinium . 13. 14.
multitudo in Urbe . 15. 16.
varius ornatus . 33. & ſeq.
conſecratio & dedicatio a p. 40 uſque ad 50.
Idus Martii parricidium . 131
Imagines Auguſtorũ in coronis. 34
conſecratas vendi nefas . 177
qualis earum cultus . 176
Chriſtianorum virtus . 179
Imag. mortuorum in ſepulcris. 236
Imagines cereae inſignia nobilitatis; earum cuſtodia & cultus. 138
jus imaginum vivis . 239
uſus mortuis . 340
dictum Ageſilai & Mecoenatis . 241. quandiu Romae in uſu. 242
Imago ad caput lecti . 248
Inferiae in ſepulcris . 232
ad inferias collegia invitata. 233
Initia Eleuſinia & Sabazia . 268
P. Joannes Baptiſta Beccaria Cl. Reg. Scholar. Piar. 269
Iſidi initiatis promiſſa . 50
Iſocratis cippus . 361
unius orationis pretium . *ibid.*
ſtatua honoraria . 391. 403
Judaeorum adulatio . 130
Judaeorum infelicitas . 289
Juliani apoſtatae furor . 18
Julii Caeſaris funus . 130
Divus ſinè additamento . 172
ejus alii honores . 178
luctus corã Pompeji annulo. 329
Junii Ruſtici virtus . 371
Juno regina . 109. Lanuvina. 268
Jupiter auro violatus . 12
aeneus e Samnitum ſpoliis . 15
conſervatoris ſymbolum . 24
idem in multis diis variato nomine . 28
Eleutherius . 72
minianus . 37
Jovis Hercei . 47
& Cteſiae dedicatio . 48
Jupiter Lacedaemonius . 60
Nautis propitius . 74
arcanus ſive Aegcrius . 116
Aegiochus . 431
Juramenta per Auguſtor. nomina . 178
Juſta funebr. Pontif. mandata. 285
Juſtiniani lex de libertis Charonianis . 207
Juniae Caſſii uxoris funus . 210
Juſtitium in morte Auguſtor. 131
Juvenes dicti heroes . 337
Juventutis ſacrum donarium . 124

L

Lacedaemonum de ſepulcro ſolicitudo . 298
votum contra Meſſenios . 68
Lactantii adagium . 63
Lapides informes & tetragoni prima idola . 10
Lararii cuſtodes . 46
Larium ſigilla in ſepulcris . 237
Larva in nummo ac gemmis Virgilii . 371
Laudatio funebris . 214. 215
ejus inventores . *ibid.*
in caſtris habita . 308
Lectorum copia funebris . 210
Lectulus mortui . 211

Le-

Legum latores celebres. 6
Leo gradiens in nummiſ. 164
Leonidae hortatio ad milites, & ſepulcrum. 342
Lethum informe. 324
Liberti litterati. 394
Liberti Orcini. 207
Libertina pietas in Auguſtos. 136
Libri diis inſcripti. 62
Licinius cur Gordiani ſepulcrum everterit. 138
Liquidorum menſura Etruſca. 233
Livia ſtolatus Ulyſſes. 161
cur velata in nummis. 170
honores, aetas, numiſm. 161
divinitatis inſignia. 162
honores imminuti. 163
Livii hiſtorici honor. 356
Loca Nymphis ſacra. 122
Loculorum ſepulcralium ordo. 229
Longobardorũ ritus funebris. 302
Lothophagorum ſepultura. 290
Lucani divini honores. 392
L. Fauni error. 157
Luctus funebris varius. 306
Ludi in votis publicis. 60
Ludi Olympici, & certatorum nobilitas. 271. 272
Ludi gladiatorii ad ſtatuas. 328
Ludorum diverſa genera. 20
Luſtratio areae in conſecr. 42
Lycurgi lex ſepulcralis. 299
Lycurgi oratoris honor. 353
Ibis ejus ſymbolum. 361
Lyſandri ſtatua. 330

M

Macedonum in Aetolia victoria intemperans. 377
Majorum imagines cum magiſtratuum inſignibus in funere. 208
Mandrocles architectus. 109
Jo: Marangonius Vicentinus. 374
Marathonia pugna. 330
Marciani imp. ſepulcrum. 189
M. Clodii poena ob turpem cum Corſis pacem. 302
M. Aurelii ſepulcrum. 141
Marcelli ſepulcrum Athenis. 354
Mardonii luctus. 306
Marchio Scipio Maffejus. 124. & alibi.
Mamercus Catanae tyrannus. 92
Manus idolorum porrectae vel terebratae. 33. 34
Manuum geſtus in adorationibus multiplex. 51
Maſſagetae ſenectutis hoſtes. 289
Materni Cynegii titulus. 383
Matronarum liberalitas. 14
Mauſoleum Auguſti. 141
Maxentius cur Tapotus. 187
Medici proprie dicti. 429
Megiſtae Vatis monumentum. 332
Menandri honores. 354. 407
Mendaeorum donarium. 69
Mentis ſymbolum. 28
Mentum tangere in ſupplicando. 52
Mercurius cum Gratiis. 64
inſignia & poteſtas. 82
Metrodorus Lampſacenus. 379
Midae regis ſepulcrum. 190
Militum gregariorum funus Athenis. 291
Milites in bello Mutinenſi occiſi magnifice honorati. 293
laudati a Cicerone. 308
Militaribus in ſepulcris arma abſcondita. 301
Militum dolor in Othonis morte. 137. amiſſo exercitus ſupremo duce. 306. dona in pyram commilitonum. 308
Militaris inconſtantia. 139
virtus nutante imperio valde honorata. 315
Miltiadis ſtatua. 329
ei negata corona oleagina. 345
Minerva Academiae praeſes. 21

domorum & urbium cuſtos. 21
Minerva Pronoea. 76
eadem ac fortuna. 115
Miniati dii; Minianus Jupiter. 37
Mithridatis honores. 193
Mithradates in nummis. 195
Mithriaca initia. 86
Mithrae ſchema perelegans. 91
Mitylenaeorum character in nummis. 366
Minucii auguris columna. 323
Modeſtia pompae funebris in multis laudata. 220
Monile perelegans. 38
Mors in mari quam horrifica Ethnicis. 294
de naufragis Graecorum opinio & Romanorum. 295
Mortis typus in conviviis & in inferiis. 234
Mortis voluntariae cauſae. 304
Mortis tria genera. 312
eorum ſymbola. 313
Multi dii in uno Jove. 28
Murrata potio mortuis indita. 218
Muſcas a cadaveribus abigendi munus. 212
Mundi genius. 164
Muſeum Gualterianum. 18
Muſae alatae. 121
Muſis ſacrificia & vota. 62
Muſis ſepulcra ſacra. 363

N

NAma cunctis: Nama Sebeſio in lapidibus explicatum. 89
Nardini error. 156
Nationum ſtatuae in funere Pertinacis. 154
Naſamonum juramenta. 285
Naufragorum ſepultura. 295
Naulus Charonti alius divitum, alius pauperum fuit. 237
Necatis in bello ſaepe duo data funera. 297
Nero in nummis Σωτήρ. 336
ejus in Graecos beneficentia. 77
ejus memoria honorata. 136
Naevius poeta. 414
Niciae in milites demortuos pietas. 290
Nigriniani memoria nummis duntaxat debita. 163
Nobiles viri ac feminae taurobolio initiatae. 91
Nobilium contentio in conſecrationibus. 40
P. Jo: Franciſcus Nobilius Cler. Reg. Scholar. Piar. 180
Nonii Balbi ſtatua. 327
Notae apotheoſeos. 163
Notarum inventio, augmentum, interdictum. 435
Nortiae diverſa pronunciatio. 118
Nudis pedibus adoratio. 56
Numeriani imp. ſtatua in biblioth. Ulpia. 386
Nummi Caligulae in memoriam Auguſti. 165
Nummi aurei Tiberii Conſtantini ſingularum librarum. 316
Nummi doctorum hominum charactere inſignes. 366
Numiſmata conturniata. 367. 388

O

OCtaviani Auguſti crudelitas poſt bellum Philippenſe. 303
pompa funebris. 132
ſolicitudo in Ciceronis morte Antonio aſcribenda. 373
nummi cum arctoo ſidere. 166
cur ei columna erecta. 323
Oenomai columna. 66
Ollae Il. M. Vareni Maximi. 318
Oliverius Annibal Eques Cl. & alibi. 173
Olybrii illuſtres. 84
Onatae aetas & opus. 71
Oppiani elogium & opera. 425

Ora-

Oratio ducum ante pugnam. 286
Oratorum, philoſophorum, poetarum ſacra donaria. 63
Oritarum ſepultura. 290
Ornatores & ornatrices deorum. pag. 37
Ornatus deorum multiplex. 33
Ornatus & ritus ad cenotaph. 319
Orpheus in nummis. 367
Oſcillationis purgatio. 305
Oſcula pro ſacrificio. 51
Oſculis attenuata deorum ſigna. 52
Oſcula mortuis ultima. 218
Ovidii ſepulcrum. 360

P

PAenulae depoſitae inter preces. 55
Paeonum ſepulcra. 290
Palladium & dii fatales. 10
Pallas Ithonia. 113
Palmata tunica ablata mortuis. 218
Palmae olympicae honor. 271
certatorum cibus. 272
Pantheon quibus diis dicatum. 26
Panthei dii. 27
Papinianus cum uxore in amethyſto. 371
Jo: Bapt. Paſſerius 54. & alibi.
Paterae deorum ſuperum & inferorum. 234
Patronorum imagines an uſitatae apud veteres. 245
Pavo in Chriſtianor. monum. 171
Pavo apotheoſeos index uſitatior quam aquila. *ibid.*
P. Paulinus Schol. Piar. 124
Pauſanias emendatus. 68
Pauſaniae ducis donaria Delphis. 78. pietas in Mardonium. 289
Peculiarium varia ſignificatio. 261
Pegaſus Animarum vector. 165
Pelopis enſis. 70
Peltae deorum propriae. 314
Perduellium poena. 302
Periandri duo. 399
Pertinacis ſepulcrum. 149
ſellae curules in theatro. 328
Petronii Probi laudes. 257
celebritas apud exteros. 259
lapis capitolinus fidelis. 260
Petronii Antigenidis carmina. 432
Phialae ſepulcrales. 235
Philippi Macedonis pietas. 288
Eminentiſſimi Cardinalis Philippi Mariae Monti pinacotheca. 389
Philopoemenis gloria. 333
Pinacotheca Attici. 246
Pindari donaria Apollini. 63
fama ſuis ſalutaris. 354
Plaſtices & ſtatuariae vetuſtas. 13
Platonis ſepulcrum. 353
in ſarda cum Socrate. 370
divini honores. 390
auctores ei probatiſſimi. 424
Plebs pileata Nerone mortuo. 136
Plectra & libri diis dicati. 62
Plinii adulatio. 152
Plotina honorata ab Hadriano. 162
Plutarchi laus. 419
Poetarum imagines in aede Camoenarum. 382
Pollae doctrina. 392. 419
P. Alexander Politus Cl. Regul. Scholar. Piarum. 191. & alibi.
Polyandria. 292
Pompeji liberalitas in Mithridatis funere. 288
imago pretioſa. 243
ſepulcrum in monte Albano. 307
disjectae ſtatuae. 325
ſymbolum in annulo. 329
Pomponii Muſae nummus. 363
Pons Aureoli, ſepulcrum & nummorum raritas. 186
Pontica ſcribendi ratio. 194
Pontifex Veſtae alius a P.M. 268
Poppocae funus. 133
Popularis inconſtantia. 331

luctus

luctus in ſacris Iſidis . 50
Porticus ab hermis dicta . 380
Praeceptores in gemmis cum diſcipulis. 372
Praeter naturam praeterque fatum. 305
Prima cura poſt pugnam . 286
Principes juventutis . 312
Probi imp. elogium. 138. extrema officia in Arcadionem . 288
Procuratores fiſci, vel aerarii. 101
Protenſa manus in nummis . 52
Puellae alimentariae . 176
Purpura & cetera dignitatum inſignia diis data . 35
Purpura rogo tradita . 309
Pyrae ornatus . 155
Pyrrhicha certamina . 311
Pyrrhi bellum cum Antigono . 65
Pythagorae ſymbolum . 363

Q

Quaeſtores candidati . 268
Q. Caepionis poena . 302
Q. Flaminii beneficentia. 77
Quantum thuris Arabes Perſis quotannis penderent. 133
Quartum & quarto conſul . 257
Quo ſtrepitu dii excitati . 60
Quomodo praenunciata Octaviani Auguſti mors. 158

R

Reditus animae ad priſtinam ſui originem. 167
Regia in ſepulcris opulentia . 143
Religionis ſimulatio Romam idolis implevit . 15. 16
Reorum laudatio funebris . 215
imagines cruci affixae . 247
Jo: Paulus Ricolvius . 405. 409
Riſiſſe, laviſſe &c. in funere Auguſtorum capitale fuit . 131
Ritus conſecrandi Deorum ſigna & aras a pag. 40. ad 44
itemque dedicandi . 46
Ritus adorationum multiplex . 51
ſolemnis apotheoſeos. 153. & ſeq.
Ritus ſepeliendi cadavera , vel cineres ſemper Romae tenuit. 229
Antonius Rivautella . 405. 409
Romae nomen & Dei tutelaris arcanum . 16
Romulus NVBIS CONS. 151
Roſtra ſtatuis illuſtria . 326

S

Sabaeorum ſepultura . 290
Sacer locus & ſacrarium . 46
Saccus XI. in caſtris . 291
Sacerdotes funeris comites . 213
Salluſtius explicatus . 16
Saltatio pyrrhicha & pacifica. 314
Sancti appellatio quando uſurpari coeperit . 175
Sancus vel Sangus . 96
Sapphus typus in nummis . 366
in cameo . 370
ſtatua prope Anacreontem. 381
Sardanapali vecordia . 196
Saturni cultus feralis . 95
Saxa inſtar coni prima idola . 19
Scalae uſus in ſacris . 33
Scipionum cenotaphia . 318
Scipionis Africani monum. 334
Diſcus argenteus . 335
imago in capitolio . 243
Scriptores de gemmis , 370
de veterum imaginibus . 384
Scytharum crudelitas . 290
Sebaſt. Maccius emendatus . 320
Sejani ſtatuae . 246
Sellae curules mortuis & abſentibus in theatro poſitae . 328
Semiramidis templum . 166
Senatorum luctus funebris . 212
Senecae mors . 418
Septenarius numerus . 32
Septizonium duplex . 142
Sepulcra quandiu in urbe . 221
poſt XII. tab. quibus data . 222

corum

eorum ratio Athenis & Romae legibus definita . 223
Sepulcra inſtar templorum . 224
cura & religio . 285
forma triplex . 225
barbara nomina . 226
Sepulcra Nobilium . 227
militaria .. 300
Jus reficiendi . 298
Serapis ſive Oſiris . 105
Serta lemniſcata in ſepulcris .. 313
S. Sulpicii ſtatua . 324
Sevirorum conditio . 276
Sicyonorum theſaurus . 70
Sigillatores vel ſigillarii .. 25
Signa legionum religioſe culta . 22
Silii Italici in Virgilium amor. 355
Silvani cultus .. 99
Simulacra catenis vincta . 15
in cellis quo converſa . 7
Sinenſium ſuperſtitio . 32
SITI qui proprie dicti .. 295
Socratis honor .. 362. 381
Solemnis precantum formula . 55
Solis typus in num. Conſtantini. 88
Solonis ſtatua .. 381. 397
Somno cum muſis ſacrificatum. 121
Sophoclis luctus in morte Euripidis . 353. ſepulcrum . 361
Spartanorum navigatio infelix. 342
in Meſſenios ſeveritas .. 133
Spartianus explicatus . 142
Sportularum ſignificatio . 48
Statuae honor rarus ſtante repub. 325. decernendae jus . 423
dedicatio . 48
impenſa pub. vel privata . 327
Steſichori funus . 359
ſtatua quanti habita . 377
Stellae apotheoſeos indices . 165
Stemmata a diis petita . 244
Stoicorum de ſepulcro opinio. 298
Supellectilis funebris militum. 296
Suovetaurilia in conſecrat. 43
Syderis cujuſque genius . 167
Syllae honor poſtumus . 208
Symbola in annulis . 372

T.

Tabellae votivae . 58
Tabernacula deorum . 25
Taciti decretum de Aureliani imaginibus . 176
Tanaiae in funere . 214
Taurobolii lapides explicati .. 84
Templorum auctor in Latio . 9
Templum Serapeum . 105
Ter gemini honores . 259
Terrae motu ſtratae urbes, & reſtauratae .. 278
Teſtamentum militare .. 299
Thaletis doctrina . 397
Thautica littera in deorum ſignis & ſepulcris .. 228
Thebanorum cura ſepulcralis. 285
Themiſtii philoſophi ſepulcr. 360
Temiſtocles unde factus fortior. pag. 381
Thenſarum forma & uſus . 177
Thermi ſtatuae .. 377
Theodoſii beneficentia . 387
Theophraſti funus . 354
Theſauri ſepulcrales . 315
Theſei cineres quo honore translati in patriam . 341
Tiberii & Sejani ſella curulis in theatro . 328
Tib. clypeus in regia Herodis. 251
Tibicinum cornicinum & mimorum turba in funere . 206
Titi arcus deſcriptus . 156
Tituli ſepulcrales militum . 299
Thibarenorum immanitas . 289
Thraſeae libatio Jovi . 72
Torques & monilia deorum . 38
militares aurei & argentei . 296
Trajani pater conſecratus . 158
templa Trajano ſacra . 184
cinerum translatio . 132

pons

pons ſuper Danubium. 339
Tripartita pietatis officia. 285
Triumphantiū manus miniatae. 37
Trojae ludus. 312
Tropaea ducibus erecta. 317
Tullii Laureae doctrina. 394
Typus poeſaeos & philoſophiae in ſepulcris. 362
Tyro lib. Ciceronis. 394
Tyrthaei decus & dedecus. 353

V

VAillantius emendatus. 155
Val. Maximi aſſentatio. 153
Varia anni tempora in monilibus indicata. 38
Variana & Turriana clades. 292
Varronis honor. 386
Vaſis ad ſepulcri latera inclinati ſignificatio. 313
Vas aeneum capitolinum. 195
Vaticani etymologia repudiata. pag. 364
Vectigalia pro mortuis. 233
Velum feretro 211
& pyrae obductum. 218
Velata capita inter preces. 55
Venatoria donaria. 120
Venus victrix & murtia. 110
Veneri arva dicata. 111
Venuti Fratres Cl. 349
Abbati Rodulphino Venuto inſcripta Diſſertatio V.
Veſpaſiani funus. 133
decretum de Galbae ſtatua. 137
ei columna erecta. 323
nummus Scambonidarum. 368
Veſtales cum pueris & puellis in conſecrationibus. 43
Veſtes deorum & veſtitores. 35
Veſtes nigrae in inferiis. 234
Veſtes poſt taurobolium ſervatae, vel ſuſpenſae ſimulacris. 89
Vettii Agorii ſplendor. 262
Vexilla & dona triumphalia in funere. 210
Viarum ornatus in ſacris pompis. pag. 25
Vibrata labia ad ſolis ortum. 55
Victimae ad rogum. 219. 309
Victores in ludis Olympicis. 328
Victoriae indicium. 290
Victorius Eques Cl. 38
Vicus ſigillaris. 26
Virgilii ſepulcrum. 355
effigies in num. ac gemmis. 371
divini honores. 392
Virginii Rufi ſplendor & infelicitas. 255
Wiſigothorum lex ſepulcralis. 146
Ulyſſis ſtatua. 69
Unguentis oblita idola, 35
& cadavera. 218
Vocomii poetae honores. 355
Volſinii ſtatuarum copia. 39
Vologeſi legatio pro Neronis apotheoſi. 136
Vovendi ratio varia. 57
vota publica. 59
pro citharedi victoria. 49
votiva dona. 58. 59
Vox in conſecrationibus. 43
Urbes ſepulcrales. 292
Urbini Metaurenſis laus. 321
VTERE FELIX ſolemnis formula in ſacris ac profanis. 317

X

XEnophontis ſepulcrum. 361
Xerſes templorum everſor. 8
crudelis in Leonidam. 342
cur victus a Themiſtocle. 381

Z

ZAleuci typus in nummis Locrenſium. 366
Zamoſii opinio rejecta. 158
Zenonis ſepulcrum Athenis. 353
Zoroaſtres aſtrologiae doctor. 166

FINIS.

Digitized by Google